This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

2946 e. 40

DELECTUS COMMENTARIORUM

IN

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA,

AD EDITIONEM

JO. AUG. ERNESTI

ACCOMMODATUS.

EX EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

TOM. II.

LONDINI:

TYPIS EXCUDIT J. F. DOVE;

PROSTANT VENALES APUD R. PRIESTLEY.

MDCCCXIX.

BODLEIAN
12 JUL 1937
LIBRARY

DELECTUS
COMMENTARIORUM

IN

M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA.

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

DELECTUS
COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMINIS TERTII PARTEM PRIMAM.

EPISTOLAS AD DIVERSOS.

JOSEPHUS OLIVETUS

LECTORI.

PLINIUS, de suis ipse præfatus epistolis, *Collegi*, inquit, *non servato temporis ordine, neque enim historiam componebam*. Atque in eadem fuisse sententia videtur, sive Tiro, ut volunt, sive quisquis demum is fuit, qui Ciceronianas *edidit primus: cui multum profecto debet litterata posteritas: at paulo plus debitura tamen, si ordine alio digestas accepisset, magisque cum ad intelligentiam, tum ad memoriæ diuturnitatem accommodato. Nam si quid lectori negotium facessere interdum videtur, hinc maxime orta est difficultas, quod præpostera dispositione aliæ antecedunt, quæ subsequi alias debuerant. Et quoniam eæ non tantum in privatis Tullii rebus, sed multo etiam magis in publicis Romæ negotiis versantur; nemini est, opinor, dubium, quin majori conjunctam utilitati oblectationem habuisset apta distributio, quæ universam illorum temporum historiam exhiberet, summi artificis penicillo aut expressam, aut saltem adumbratam.

* Tironem patroni sui Ciceronis epistolas, eo, quo passim leguntur, ordine collocasse proditum est. Id ego non libenter credo: libenter enim eum, quem Cicero ipse et vehementer dilexit, et laudavit sæpe ut litteratum, ac diligentem, gravi negligentiæ culpa libero. Feramus illud, atque etiam probemus consilium, quod eas epistolas, quæ ad unum scriptæ sunt, puta ad Lentulum, Cœlium, Appium, aliosve, simul omnes voluerit conjungere, et rationem habere personarum potius, quam temporum: cum satis constet, si tempora spectentur, interponi debuisse multas: sed peccasse eum in iis ipsis, quas eidem inscriptas aggregabat, nec vidisse ordinem, quem vel adscripta cuique dies, vel argumentum ostendebat, magnopere miror. Quid, quod in iis disponendis, quas ad ipsum scripserat Cicero, item ut in aliis peccavit? quod vitium quia non licet excusare; libenter, ut dixi, Tirone absoluto, quemvis alium condemnaverim. MANUTIUS, *proœmio ad Comment. in lib.* 14. *Epist. Famil.*

At enim negligi potuit vetus ordo, novusque ac melior describi. Primum, si ita esset, tamen fieri non oporteret. Epistolas, quæ sunt eodem tempore, de eodem scriptæ argumento ac negotio, esse alias ab aliis distractas, incommodum est, agnosco. Est in ordinis mutatione remedium: fateor; sed quale in omni mutatione, quæ si utilitate juvat aliquando, semper novitate conturbat. Et quid putamus causæ aliud fuisse, cur *Familiares* quæ dicuntur, cum aliquis e Germania litterator * jam olim vulgarit ordine *chronologico* digestas: tamen extiterit hactenus nemo, qui vel æmulandam ejus diligentiam, vel editionem adoptandam, censuerit? Testimonia enim ex his epistolis adducunt scriptores innumeri, aut locos indicant, quibus inspectis sit opus. Parumne igitur magna quærendi difficultas oritur ex ordinis mutatione? Atque, ut hominum ingenia sunt, e centenis, quos legendi studium delectet, quotum speramus fore tam animosum, et cui tantum suppetat otii, ut loci alicujus inveniendi voluptatem bene credat emi diuturna investigandi molestia?

Quod si nondum illos mutationis instituendæ suasores revocare hæc ratio ab ea cogitatione potuit; velim, perpendant ipsi secum, idne postulent, cui efficiendo par sit humana vis aut sagacitas. Epistolis in multis, video equidem, impressa est certa temporis notatio: sed quid plurimis item aliis facias, in quibus vix leve quidpiam, plerumque nihil deprehendas, unde aliquam ducere vel tenuem

* Non desunt equidem speciosæ rationes, quibus inductus vir clarissimus, *Adamus Theodorus Siberus*, novum ordinem secundum annos et consules ut inveniret, industria non contemnenda laboravit. Justo modo etenim temporibus dispensatis, quanta lux rebus et historiis accedat, nemo est litterarum disciplinis imbutus, qui ignoret: si modo dispensari series per annos et tempestates ubique possit. Quot vero in epistolis Ciceronis sunt, de quibus dubitant eruditi, utrum civile bellum antecesserint, an ardente illo, aut prope finito, sint conscriptæ? et quoties a doctissimis viris argumento, quod prænotarunt, adjectum est, *Incerto anno?* et, si etiam tempus videtur deprehensum esse, fortasse tamen non distincte innotescit, ut annum definire, et consules nominare, aut partem anni, vel mensem possis exprimere. Hoc enim oportet fieri, si ad tempus epistolæ, quo scripta unaquæque fuit, cum cura et industria sunt ordinandæ. Ex quo consequitur, Siberianum ordinem pro certo qui tradunt aliis, vel etiam accipiunt; utrosque ab eo, quod certum probatumque sit, in multis longius aberrare. Cellarius, *præfat. in Epist.* Fam. *sive, ut inscripsit*, ad Diversos.

conjecturam liceat? Tullium ergo, aut ejus custodem scriniorum, et studiorum adjutorem, excitemus Tironem ab inferis, ut sciscitemur de multis, quæ illi habent secum, *servantque sepulcro*. Nam quod Sigonius, ac Manutius, Romanarum rerum apprime gnari, atque in Ciceronianis supra modum curiosi, ad hanc investigationem omne studium contulerunt: tamen, quæ fuit illorum hominum vel prudentia, vel modestia, continuerunt se, ne quid novarent in vulgatis. Quorum verecundiam hoc æmulari me decet magis, quo diligentiam minus possum.

Quanquam in hac editione provisum et illud est, ne omnis desideretur ea utilitas, quam afferret novus epistolarum ordo, per annos et Consules distributus. Tabulam enim columellis distinctam exhibebo, qua demonstretur, quo quæque sit numero ad historicam rerum notitiam legenda. Neque tamen in multiplici conjectionum copia errorem omnem præstare ausim. Id selegi, quod propius visum est ad veri speciem accedere. Ita et consequentur, quod volebant, historiarum curiosi; et manebit librorum atque editionum veterum usus.

Alterum fuit quoddam postulatum de Commentariorum situ et collocatione: in quo nimis pugnax contra monitores amicos esse nec volui, nec debui. Proinde, etsi illud semper æque comprobo, quod initio in explicanda consilii mei ratione scripsi, eam suppellectilem universam in extrema voluminis parte, ubi ab volentibus atque egentibus visatur*, stare melius, quam si per singulas fusa paginas, sollicitet invitos, atque a contextus perpetuitate revocet; non recusavi tamen, quid id facerem in Epistolis, quod feci jam antea in Fragmentis, hoc est, iisdem paginis Ciceronem, ejusque interpretes conjungerem. Quippe minus verendum, ne media forte in epistola, cum breviculæ sint, lectorem constantia deficiat: neque hic ea est, quæ aliis in libris, argumentorum rationumque continuatio, unde averti animum non oporteat. Sed tamen hoc monere non desinam, commentariis perinde utendum esse, ac medicamentis, parce ac so-

* De Editione Parisiensi id quidem intelligendum est.

brie, ubi necessitas jubet. Non enim horum assuetudo corpori plus officit, quam ingenio usus illorum frequentior.

His autem sexdecim libris, qui hoc volumine continentur, nullam fuisse olim communem inscriptionem colligebat Victorius ex veterum Grammaticorum instituto ac more: qui cum loca quædam hinc depromunt, librum quemque non aliter designant, quam ejus nomine, ad quem prima scribitur epistola. Hoc etsi reducere sategit ille salutis Tullianæ restitutor, incommodum erat satis, ut moleste nemo ferre debeat, esse mutatum. Criticis dolet mutatum esse parum feliciter. Quædam editiones titulum præferunt, *Epistolæ Familiares*: aliæ, *Epistolæ ad Familiares*. Atenim neque in plerisque inest ea forma, et proprius *character*, qui familiare genus epistolarum discernit a cæteris: neque plurimi eorum, ad quos sunt missæ, Ciceronis erant familiares. Propterea nonnullis recentioribus placuit inscriptio, *Ad diversos*. Quæ melius fortasse convenit. Verum id libuit sequi, quod erat in exemplo Gruteriano, et offendi magis usitatum.

Ad extremum, ne quid prætermittam, quod lectori esse declaratum oporteat: de illa, quam promisi, et proxima statim pagina offeret, Epistolarum annali Tabula, erant tamen duo, quæ admonere debueram. Ac primo quidem, eas omitti epistolas, de quarum anno quod affirmarent, vel ariolarentur, viri docti non habuerunt. Deinde, in putandis annis id me retinuisse, quod Franciscus Fabricius in *Ciceronis Historia per Consules descripta* constituerat. Non, quod hanc ego rationem Varroniana veriorem esse existimem: neque enim id meum est, neque hoc loco disceptandum. Sed, cum tenui admodum discernantur limite, et ab altera Cicero ad alteram transisse aliquando videatur; discedere a Fabricio nolui, ne lectores conturbem, si qui volent (velle autem debent omnes) intelligendis melius Epistolis lumen ab ejus Historia mutuari.

M. TULLII
CICERONIS
EPISTOLÆ AD FAMILIARES.
LIBER I.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D. 1

ARGUMENTUM. Rex Ægypti Ptolemæus, a suis ejectus, ut ab Romanis restitueretur, cupide largitionibus laboravit. Obstabat Sibyllinum carmen, quod vetabat Ægyptium exercitu juvare. Quidam censuerunt, ut Lentulus, Ciliciæ proconsul, sine exercitu reduceret: alii, ut Pompeius. Quid actum de his in senatu fuerit, Cicero perscribit. *Anno* U. C. 697. CELLARIUS.

Meritorum] Meritum Lentuli maximum erga Ciceronem fuit, cum eum, lege Clodia pulsum, quod cives Romanos, conjurationis in patriam convictos, capitali supplicio, contra veteres leges, moremque majorum, indicta causa affecisset, consul sextodecimo ejus exilii mense revocavit. *Orat. post Redit.* MAN.

Nisi perfecta re, de me] Lambinus et Grævius sic distinguunt: *nisi perfecta re de me, non conquiesti.*

Creditores] Qui non solum id agebant, ut rex restitueretur, quo creditas ei pecunias exigere possent: verum etiam aperte pecunias pro Pompeio contra Lentulum suppeditabant, quod regem cupere intelligebant. Vide ep. 2. lib. 2. ad Q. Fr. MAN.

Religionis calumniam] Sibyllæ versus Ægypti regem cum exercitu reduci vetabant: cujus oraculi verba apud Dionem lib. 39. hæc sunt: *Si rex Ægypti, auxilio indigens aliquo, venerit, amicitiam quidem ei ne denegaveritis; ne tamen eum multitudine aliqua juveritis: sin aliter, et labores, et pericula habebitis.* Cicero, qui reductionem regis, Lentuli gratia, vehementer cuperet, *Calumniam religionis* appellat, id est, malitiosam et fictam de Sibyllinis versibus orationem. IDEM.

Malevolentia] Duas causas affert, quare præceptum Sibyllæ de non reducendo cum exercitu rege senatui placeret: malevolentiam, quia de legatis Ægyptiis, mandato regis clam interfectis, percrebuisset; regiæ largitionis invidiam, quia, cum Ammonius quorundam senatorum animos aperte pecunia corrumperet, ea largitio turpissimam infamiæ notam ordini inureret universo. IDEM. Hic *invidiam* esse arbitror offensionem. Invidiam id habere dicitur, aut invidiosum esse, quod homines non libenter vident. ANON.

Liberius accusare] Levius est quam, libere accusare. Nam interdum efficacitatis minus habent, quæ comparandi adverbia Grammatici appellant, quam quæ simpliciter, sine ulla comparatione enuntiantur. *Accusatio* autem extra judicium etiam in privatis rebus, atque adeo inter amore conjunctissimos, locum habet. Itaque lib. 3. Off. *Accusabit patrem filius nefaria de patria cogitantem:* pro, reprehendet. MAN.

Magnam infamiam] Triplicem; vel ingrati animi, qui Lentulo, cujus erga se officia cum in sermone quotidiano,

tum in senatu palam commemoraverat, reductionem regis Alexandrini, præsertim ei jam a senatu decretam, conaretur eripere; vel immoderatæ ambitionis, qui summis jam perfunctus honoribus, triumque triumphorum gloria circumfluens, frumentaria etiam curatione, summa cum potestate, paulo ante ornatus, tamen his non contentus, honorem præterea, quicunque esset, Ægyptiæ legationis appeteret; vel etiam avaritiæ, quod regis muneribus, magnam ab ipso restituendi cupiditatem præ se ferentis, corruptus existimari posset. ID.

Relinquit locum] *Non relinquere locum precibus*, duobus modis accipitur: vel cum is, cujus gratia et auctoritas prodesse nobis potest, ita se gessit, ut eum rogare non oporteat; ut in hoc loco: vel cum ita meriti sumus, ut precibus nihil proficere posse videamur: cujus generis habemus exemplum apud Terentium in And. *Quid causæ est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via? Nihil est preci loci relictum: jam perturbavi omnia.* Locum igitur precibus vel aliena humanitas, vel nostra adimit improbitas. MAN.

Marcellinum] Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum, consulem hoc anno cum L. Marcio Philippo. ID.

Tibi esse iratum scis] Si *regi esse iratum scis*, legas, ut quidam volunt, non erit quærendum, an qui una in re sit alicui iratus, induci possit ut in cæteris se ejusdem defensorem fore ostendat. CORRAD.

Referre] *Referre* ad senatum, de quo sententiæ dicerentur. MAN.

De religione] De Sibyllinis versibus, reduci regem cum multitudine vetantibus. IDEM.

Luculli] Marci, non Lucii, qui perierat anno superiore. IDEM.

Cedit religioni de exercitu] Antea tamen, reducendum cum exercitu regem, Cicero censuerat: habuit enim orationem pro Ptolemæo reducendo. IDEM. Vide in Fragm. sub fin. hujusce delectus.

Illo S. C.] Quod factum est in Ciceronis sententiam, ut Pompeius annonæ procurationem susciperet, et P. Lentulus, cui provincia Cilicia obvenerat, regem reduceret. COR.

Commodo] Quod id ille maxime propter loci vicinitatem et opportunitatem commode et apte facere posset. Nam Lentulus in iis locis erat, ut ipsi prope in conspectu Ægyptus esset. VICTORIUS. Censet Manutius, *commodo* adverbium esse, et poni pro *commode*. Quod satis redarguunt illæ locutiones, quas ipse aliique e Cicerone afferunt: *quod tuo commodo fieri possit, quod e tuo commodo facere poteris.* Hæ sunt integræ locutiones, pro quibus concise et breviter dixit, *quod commodo facere possis.* Terent. vero in Adelph. act. I. scen. 2. *Dum erit commodum.* GRÆV.

Auctorem] Ut restituti regis honor, et gloria penes te sit: quod jam senatus decreverat. Auctor is est, cujus auctoritate et sententia aliquid fit. MAN.

Crassus] M. Licinius Crassus, nunc quidem in Pompeium male animatus: quod indicat epist. 3. lib. 2. ad Q. Fr. Sed anno sequenti, consules iterum creati, in gratiam redierunt. Plutarch. IDEM.

Bibulus] M. Calpurnius Bibulus, plebeii generis, Cæsaris in ædilitate, prætura, consulatu collega, ejusdemque inimicissimus, Pompeio etiam, ob Cæsaris affinitatem, hoc tempore infensus: ideo privatos decernebat, ut eum excluderet. IDEM.

Servilium] P. Servilium Vaciam Isauricum, qui cum Appio Clodio Pulchro consul fuit. CORRAD.

Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Æmilio Lepido consul fuit. IDEM.

Lupo referente] P. Rutilio Lupo, qui fuit tribunus plebis. IDEM.

Afranium] L. Afranium, qui cum Q. Cæcilio Metello Celere consul fuit. IDEM.

Inclinata res est] Lepida translatio. Rerum status triplex est: aut enim ita se habent, ut volumus, et *stare* tunc dicuntur; aut aliter, ac volu-

mus, et *inclinatæ esse:* aut prorsus contra quam volumus, et *jacere.* MANUTIUS.

Libonis] L. Scribonii Libonis, cujus filiam Sext. Pompeius, Pompeii Magni filius, uxorem habebat. COR.

Hypsæi] P. Plautii Hypsæi, qui Pompeii Magni quæstor, et postea Milonis competitor fuit. IDEM.

Ornasti] Cum ad eum consul frumentariam curationem detulisti. MANUT.

Nos] Epistolæ clausula mirum habet artificium. Nam, quia rem inclinatam esse dixerat, veritus ne propterea Lentulo, cui omnia debebat, in aliquam negligentiæ, aut etiam ingrati animi suspicionem veniret, avertit a se omnem culpam, excusatione quinquepartita: quod auctoritatis in regia causa minus habeat, quia pro bene de se merito contendat: quod gratiam suam Pompeii gratia major extinguat: quod multi ad Pompeium, ab ejus domesticis, et a rege ipso corrupti, rem deferri velint: quod consulares, ob regiam præcipue largitionem, totum consilium de restituendo rege improbent: postremo, quod nonnulli, quorum Lentulus auctoritatem, dignitatem, voluntatemque defenderat, non tam virtutis ejus memores essent, quam laudis inimici. Quod perfidiæ vitium et hic perspicue notat, et in seqq. epist. 7. 8. 9. IDEM.

Præsentes] Huic lectioni favet id quod est in epist. 6. hujus libri: *Tantum habeo polliceri, me tibi absenti præsentibusque tuis satisfacturum.* Alii legunt, *tui absentis, præsentisque tuis*, &c.

M. T. C. S. D. P. LENTULO PROCOS. 2

ARG. Significat quid deinceps actum in senatu sit in causa regia Idibus Januariis: quæ sententiæ dictæ: quo Pompeius, quo ejus familiares animo: et quæ tribuni frustra moliti sint. *Anno* U. C. 697.

Altercatione] De rege reducendo: cum Caninius Pompeio rem deferri vellet; consul regem neque cum exercitu reduci, neque ab iis, qui cum imperio essent. Ita Pompeium excludebat, qui cum imperio erat. MAN.

Divideretur] Qui de religione, et de tribus legatis simul deliberandum censebat: quod si esset factum, utrumque simul rejici, aut utrumque simul probari necesse erat. Quam consuetudinem egregie Pedianus expressit his verbis: *Cum aliquis in dicenda sententia duas plureve res complectitur, eæ si non omnes probantur, postulatur, ut dividatur, id est, de rebus singulis referatur.* MAN.

Cuique rei jam obsisti non poterat] Satis implicata sententia videtur, sed, ut arbitror, explicabitur hoc modo. Quatenus de religione loquebatur, et in quo jam obsisti non poterat; Bibulo assensum est. Obsisti autem ideo non poterat, quia factum jam erat S. C. regem cum multitudine reduci, periculosum reip. videri. ID.

Ierunt in alia omnia] *Ire in alia omnia*, et *discedere*, et *transire*, pro dissentire, veteres dicebant. De quo Festus his verbis: *Qui hoc censetis, illuc transite; qui alia omnia, in hanc partem.* IDEM.

Lupus] Obscurus hic locus est; neque enim apparet causa hæc, an occasio tantum fuerit postulati tribunitii; et si causa, quæ causa hujus causæ. Suspicor autem rem invidiose magis (ut Oratorum mos est in iis, quibus adversantur) quam simpliciter a Cicerone propositam. Et accipiendum, non quasi omnino tribunus pleb. jus vindicet ante consules, quod absurdum verba sonant; sed quia quam consules tertiam fecerant sententiam (satis ostendentes eo se non valde inclinare, et sperantes ex duabus prioribus utique alteram victuram, ita ut ad tertiam non perveniretur) quia igitur, quam illi tertiam fecerant sententiam, eadem erat relatio tribuni plebis Lupi, hic contendisse videtur, quoniam de prima

sententia concessisset ipse consulibus, et ea irrita esset; nunc oportere se discessionem facere, et præponi relationem tribuni, qui esset magistratus populi Romani: sententia Hortensii nihil aliud tum, quam consularis viri. J. F. Gronov.

Intendere] Sic antiqui libri, quos viderim, omnes; non, *contendere*. Manut. Omnini *contendere* malim, quam *intercedere*, atque adeo quam *intendere*. Lambin.

Discessionem facere] Perrogatis omnibus sententiis, cum tres, aut quatuor controversiæ invenirentur: oportuit in aliquam earum S. C. fieri. Fiebat vero in eam, quam plures laudassent. Pronuntiatis igitur differentibus opinionibus senatorum, in singulas discedebatur, ut quam plures probarent, cognosceretur. Hinc apud Festum: *Pedarius senator appellatur, quod nunquam diceret, sed, cum discederetur, transeundo tantum ad eum, cujus sententiam probabat, quid videretur indicaret.* Zamoscius, de Senatu Rom.

Iniqua et nova] Quia semper consulum jus fuit sententiam primam, postremam pronuntiare, quamcunque libuisset: atque hæc eorum præcipua vis et potestas in senatu. J. F. Gronov.

Concedebant] Scilicet, sui juris suæque dignitatis causa. Idem.

Repugnabant] Libidinis ergo, et voluntatis suæ, et in præsenti causa, ne statim Hortensianam sententiam, a qua abhorrebant, pronuntiandam haberent. Idem.

Multis partibus plures] Qui sic explanant, vidisse consules in Hortensii sententiam plures ituros a multis partibus, id est, hinc illinc, parum omnino agnoscunt purissimam et ornatissimam locutionem, qua elegantissimi ejus ætatis viri suis in scriptis eleganter usi sunt. *Multis partibus plures.* Multo plures. Eodem modo Cælius ep. 9. lib. 8. *Turpe tibi erit, Patischum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus plures.* In Academicis: *Quibus efficitur, solem multis partibus majorem esse quam terram.* Lib. 3. de Fin. *Multis partibus malit*, pro *multo malit*. Man.

Aperte] Simulabant Pompeii causa: sed consules, oratione Ciceronis reconciliatam Lentulo senatus voluntatem intelligentes, diem consumi passi sunt, ne discessio fieret. Idem.

Rogabantur] A tribuno Lupo scilicet de discessione facienda. J. F. Gronov.

Invitis] Quod credibile est et ipsos et factionem illorum demonstrasse, Lupo et Lupinæ factioni obstrependo. Idem.

Honestissimus] Id est, auditus fuerum ab applaudentibus, assurgentibus, acclamantibus, mirificas dantibus significationes favoris. Idem.

Aut denique sine vi] Cur hoc tertium addit? Ut ostendat, si tribunos pleb. nec auspicia, nec intercessio deterreat, populum tamen ipsum novas leges non esse probaturum. Itaque præter vim, qua tribuni plebis nonnunquam in ferendis legibus utebantur, nihil timendum. De hac ipsa vi sic in ep. 2. lib. 2. ad Q. Fratr. *Suspicor Caninium per vim rogationem perlaturum.* De eadem, et simul de populi studio erga Lentulum, ep. 4. *Ego tibi a vi, hac præsertim imbecillitate magistratuum, præstare nihil possum: vi excepta, possum confirmare, te, et senatus, et populi Romani summo studio amplitudinem tuam retenturum.* Vis autem illa significatur, cum seditiosi tribuni pleb. ut suas rogationes perferrent, eam populi partem, quæ bene de republica sentire videbatur, armis foro excluderent, operas autem ad suffragia ferenda inducerent. Describitur hæc vis cum in aliis orationibus, tum in Phil. I. his verbis: *Forum sepietur, &c.* Man.

Auctoritas] Cum senatus legitimus, id est, quo loco, quo die, quo numero, a quo magistratu oporteret, habitus, aliquid vel de publica, vel de privata re decreverat; tum si ex collegio tribunorum plebis nemo intercedebat, rata senatus voluntas erat,

et S. C. dicebatur; eoque nomine inscriptum publicis tabulis consignabatur: sin autem vel senatus non legitimus aliquid decreverat, vel tribunus plebis intercesserat; infirmum ac prorsus irritum decretum illud erat, nec S. C. sed *senatus auctoritas* vocabatur: propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis testata senatus voluntas habere videbatur. IDEM.

Intercessit] *Intercedere*, modo est impedire, ut infra: *Cui cum Cato et Caninius intercessissent, &c.* modo intervenire, ut hic. IDEM.

Cato] Cato hic Marcellino et Philippo coss. tribunus plebis, diversus fuit a Catone Uticense, cum ille M. prænomine, hic noster C. diceretur, adolescens audax, nec imparatus ad dicendum. Periit paulo post per tumultum occisus, cum Pompeium privatus Dictatorem appellasset. Vide Cic. ad Q. Frat. lib. 1. Liv. ep. lib. 105. Fenestellam apud Nonium Marcellum in voce *rumor*. GLANDORPIUS.

M. T. C. P. LENTULO S. D. 3

ARG. A. Trebonii negotia, quæ in provincia Cilicia habebat, proconsuli Lentulo diligentissime commendat. *Anno* U. C. 697.

Expedita] Impedita enim, ne tibi molestiam afferrem, haud libenter tibi commendarem. MAN.

T. Ampius] Qui ante Lentulum Ciliciæ præfuerat, prætorius, non consularis. MAN.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D. 4

ARG. Conquestus de adversariorum calumniis, quæ peracta in senatu fuerint eodem die, quo superiorem epistolam ante lucem scripserat, significat, obtinendæ causæ spe adjecta, nisi vis, quam solam timet, interverterit. *Anno* U. C. 697.

Variis calumniis] *Varias calumnias* vocat Cicero varias causas ficte inductas, varia figmenta, cum nihil verum, nihil ex animo loquerentur, sed tantum ut rem ducerent, diemque dicendo extraherent. Sic 1. lib. 2. ad Fratrem: *Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est.* MANUTIUS.

In magna varietate] Varietatem sententiarum dicit. Sententias autem quinque varie decernentium exposuit in prima epistola; Hortensii, de reductione regis uni Lentulo mandanda; Crassi, de tribus legatis, etiam ex iis qui cum imperio essent; Bibuli, de tribus item legatis, sed ex iis tantum, qui privati essent; Servilii, ne rex reduceretur; Volcatii, ut reduceretur a Pompeio. IDEM.

Curionem] C. Scribonium Curionem, consularem, et triumphalem, patrem ejus, ad quem epistolæ mittuntur lib. 2. IDEM.

Justiorem] Hujus mutationis illa Bibulo causa fuit, quod, cum ipse de tribus legatis obtinere non potuisset, malebat Lentulo rem deferri, quam Pompeio, quem Cæsaris, inimicissimi sui, generum, fautoremque et amplificatorem dignitatis, ornari non libenter videbat. IDEM.

Per legem Pupiam] Quæ comitialibus diebus haberi senatum vetabat. Ad Q. Fratrem, II. 2. et 12. IDEM.

Rejectis] In aliud tempus dilatis. Mense autem Februario postulata et legationes provinciarum audiri solitas confirmat Cic. in Verr. I. 35. II. 31. Item ad Atticum I. 14. J. F. GRONOV.

Fictæ religionis] Non enim eos religio movebat: sed specie religionis malevolentiam suam tegebant. *Religionis calumnia* vocatur in ep. I. MANUT.

Ab senatu] Non enim senatus, sed adversariorum tuorum culpa; ne discessio fieret, commissum est. IDEM.

5 M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D.

ARG. Scribit de C. Catonis promulgatione, de statu regiæ causæ, de suo Seliciique consilio, cujus non inhonorum eventum sperat. *Anno* U. C. 697.

Fidem et benevolentiam] Cum referuntur ad *meam*, retinent suam nativam significationem: si ad *cæterorum*, notat perfidiam et malignitatem. J. F. GRONOV.

In tua dignitate] De qua agitur in regia causa. MAN.

In mea salute] Cum ab amicis proditus in exilium abii. IDEM.

Exorta est] Præter expectationem: quia Cato et Caninius negaverant se ullam legem ante comitia esse laturos. IDEM.

Promulgatio] Ut Lentulus e Cilicia revocaretur. Vide ad Q. Fr. I. 3. IDEM.

Minore cura] De reducendo Rege.

Timorem] Ne imperium tibi abrogetur. CORRAD.

Perfidiam] Si enim in officio manserint amici, qui suam nobis operam ad impediendas tribunorum plebis rogationes polliciti sunt, nihil timemus. MAN.

Causa regia] Facile et ipse crediderim *causa regia* esse glossema, ut Lambinus et Manutius recte viderunt; verum ejicere illa verba, et eradicare invitis omnibus, quotquot visi adhuc sunt, codicibus antiquis, non ausim, et id sane temerarium est. Fecerunt tamen illi duumviri. Sed ego sequor libros exaratos manu, Victorium et Gruterum. GRÆV.

Quiddam tertium] Quid hoc sit, plane non exponit: sed videtur significare: si Lentulus regem non reducat, neque sibi, neque Selicio displicere, ut a quovis alio potius, quam a Pompeio, reducatur. MAN.

Jacere] A nemine restitui. IDEM.

Repulsi] Pertinet ad illud tertium, quod sibi non displicere dixit: rege enim ad Pompeium delato, Lentulus repulsam tulisse videretur; sin, utroque rejecto, alia quapiam ratione reduceretur, jacturam existimationis suæ Lentulus in eo nullam faceret. ID.

Hic quæ agantur] Disjungendum a superioribus, ut sit alia epistola: quod ex ipso cognoscitur argumento: dixit enim in superiore, prope delatum esse regem ad Pompeium: in hac, Alexandrinam causam ab eo depositam, significat. Præterea, cur de Catone eadem iterentur? cur ita concludat epistolam: *Tu fac animo forti, magnoque sis:* cum eam jam ad animi magnitudinem cohortatus in eo loco sit: *Tuæ sapientiæ, magnitudinisque animi est?* Et omnino cum tota res alia videtur, tum agnoscitur epistolæ principium in his verbis: *Hic quæ agantur, quæque acta sint, ea te, &c.* Aut hoc est alterius epistolæ initium: aut quæ sequuntur, non eodem die scripta sunt, quo superior epistolæ pars: sæpe autem accidit, ut litteras non continua, sed crebro repetita scriptione conficiamus, singulis diebus novi aliquid appingentes: id quod in epistolis ad Atticum scriptis sæpissime factum videmus. IDEM.

Convicio] Cum enim Clodius de loco superiore (ut ait Plutarchus) interrogaret suos in concione stantes, quis esset, qui plebem fame necaret? respondebant operæ, Pompeius; quis Alexandriam ire cuperet? Pompeius. Ad convicium impetus accessit: nam in oratione pro Milone: *Reo*, inquit, *Milone ad populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus esset, quæ tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit?* IDEM. Vide ad Q. Fr. II. 3.

Catone] Caio Catone, Tribuno plebis, de quo supra. IDEM.

Perturbatus] Non tam, quod aspere et acerbe accusatus esset a Catone, quam quod senatorum omnium magno silentio. IDEM.

Nihil enim tibi detraxit senatus] De-

derat tibi, ut regem reduceres: id postea non detraxit, sed exercitum: quem non tam tibi, quam omnino omnibus ademptum existimare debes. IDEM.

Levissimi] Ideo dixit ep. 2. lib. 1. ad fratrem: *Cato adolescens, nullius consilii.* Et Fenestella: *Cato adolescens, turbulentus, et audax.* MANUTIUS.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D. 6

ARG. Et a temporis medela, et a suo exemplo solatur Lentulum in tardo speratæ rei progressu, et ad animi magnitudinem adhortatur. *Anno* U. C. 697.

Si ea non timuerim] Forte, ut nos victi perpetuo jaceremus. CORRADUS.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D. 7

ARG. Varia hæc responsoria epistola habet. Post moratum exordium agit de amicorum fide: de Alexandrina causa: de suis consiliis: de constantia tenenda: de reip. statu: de Tulliæ nuptiis: de Lentuli filio. *Anno* U. C. 698.

Ex magistratibus L. Racilium] Loquitur de magistratibus anni superioris: dixit enim, *Quo quidem tempore:* et infra, *Temporibus illis*, id est, Marcellino et Philippo consulibus. Racilius autem eodem anno, quo Lupus, tribunus plebis fuit, ut constat ex epistola prima lib. 2. ad Q. Fratrem. Lupum vero tribunum plebis fuisse, Marcellino et Philippo consulibus, plane cognoscitur ex ep. 1. et 2. Non potest igitur hoc anno Racilius tribunatum plebis gerere: cum epistola scripta sit Pompeio et Crasso II. coss. post decretum Cæsari stipendium, et auctum legatorum numerum: quæ facta esse Pompeii et Crassi secundo consulatu, Appianus et Dio docent. MANUT.

Officii] Favere me tibi, fortasse homines arbitrantur, non quod ita sentiam, sed quod beneficio tuo vinctus, ingratus esse non possim. MAN.

Non sæpe in senatu fuisse] Postquam a C. Catone accusatus fuerat, et a Clodio conviciis agitatus. Vide sup. ep. 5. CELLAR.

Liberalitate] Liberalis in Pompeium Lentulus fuerat, cum de frumentaria curatione ad eum deferenda et egerat consul, et obtinuerat. Epistola prima Cicero dixit. *Quod eum ornasti.* MAN.

Opinionem suæ cupiditatis] Ortam ex eo, quod ejus familiares omnes de re Alexandrina ei mandanda vehementer contenderant. ep. 1. et 2. IDEM.

Suspiciocissimo] Quo suspicio maxima fuit, Caninium tribunum plebis, inductum a Pompeio, rogationem ferre voluisse, ut Ptolemæus ab eo, cum duobus tantum lictoribus, reduceretur. IDEM.

Adempta sit] Quæ tibi data est eo S. C. quod, te consule referente, factum est. IDEM.

Intercessum] A tribunis plebis, ex quo fieri non potuit S. C. sed remansit senatus auctoritas. IDEM.

Redeat in regnum] Non a te reducatur, ne contra senatus voluntatem committas; sed Alexandria prius a te pace, præsidiisque firmata, ipse redeat. IDEM.

Si cecidisset ut volumus] Infra idem aliis verbis: *Si rem istam ex sententia gesseris.* Translatum videtur a talis, modo ut volumus, modo contra quam volumus cadentibus. IDEM.

Esset offensum] Si difficultatem res habuisset, et Alexandrinis regem recusantibus, ventum esset ad arma. IDEM.

Periculosa tibi videbitur] Visa est. Non enim consilium illud Ciceronis, et Pompeii secutus est Lentulus. IDEM.

Fidem suam præstitisset] Non opi-

nor hoc dici: pecuniam persolvisset: non enim solvendo rex erat, prius quam in regnum reduceretur: sed cavisset de fide sua: effecisset aliquo modo, ut ejus fides in dubium illis venire non posset. Ep. 9. *Ut fidem fratris mei præstarem.* Ep. II. 1. 5. *Quamcunque ei fidem dederis, præstabo.* De Divin. lib. 2. *Spectare vetat fortunam virtus, dum præstetur fides.* IDEM.

Adjuvares] Non, ut ipse cum classe, atque exercitu Alexandriam proficiscaris, ut eam pace, præsidiisque firmes: quæ ratio rei gerendæ periculosa videri potest: sed ut ipsum Ptolemæum, in regnum redeuntem, auxiliis tuis, et copiis adjuves. IDEM.

Rationem] Alii, *regionem.*

De nostro statu] Quod pristina fruar et dignitate, et gratia. MANUTIUS.

Quanquam] Excusatio, quod se in tuenda republica ad Pompeii maxime voluntatem conformet, temporibus admonitus, et quorundam invidia, qui tamen eum in reditu juverant, compulsus. Erant enim factiones in repub. duæ: in una Cæsar, Pompeius, Crassus, de sua potentia laborantes; a quibus dissentire, periculosum Cicero videbat: in altera optimates: qui licet de rep. optime sentirent, Ciceroni tamen, novo homini tantam gloriam, ac dignitatem adepto, invidebant, atque etiam obtrectabant. Quos in ep. 9. significat his verbis: *Certorum hominum sermones referebantur ad me: qui, cum illa sentirent in rep. quæ ego agebam, semperque sensissent; me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsaremque mihi inimicissimum futurum gaudere se aiebant.* Notat autem maxime Bibulum, Catonem, Domitium Ahenobarbum, Marcellinum, Cæsari Pompeioque infensos. IDEM.

Consularibus] Quos sæpe carpit lib. 4. ep. ad Att. IDEM.

Præfuisti] Alii, *favisti.* Victorius, quia neutrum extat in Mss. neutrum agnoscit, locumque ut mutilum notavit.

Utrum laus imminuatur] Tantum enim de tua dignitate agitur, mea vero salus afflicta est. Ep. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.* MAN.

Liberalitatis] Quod officia libenter in omnes conferas: ut supra: *Tua præstanti in eum liberalitate tibi devinctum.* Vel ad ædilitatem respexit, in qua Lentulus summam liberalitatem ostenderat: quam Cicero effert laudibus lib. 1. Off. MAN.

Ex imperio] Hoc addit, quia multis imperium, quod vel augendæ, vel tuendæ reip. causa dabatur, et ipsis, et reip. dedecori, damnoque fuit. IDEM.

Quod scribis] Hic ellipsis est. Integrum foret: ut respondeam ad id, *quod scribis.* Nihil frequentius Ciceroni, inquit Jac. Perizonius in Sanctii Minerv. IV. 5. quam progredi respondendo per voculam *Quod* ad alteram partem epistolæ illius, cui respondet. OLIV.

Qui plus opibus, armis, potentia valent] Cæsar, qui Galliam cum exercitu administrabat; Pompeius, et Crassus, cum Cæsare sentientes, qui consulatum gerebant. MAN.

Stultitia] Stulti enim, qui a senatu et ordinem equestrem, et Pompeium abalienaverint. Ep. 8. IDEM.

Inconstantia] Quod in gratiam redierint cum P. Clodio, quem oderant antea. Ex quo dum Clodium ad suas partes adjungunt propter Cæsarem, Ciceronem a publica causa propter Clodium removerunt. IDEM.

Stipendium] Et stipendium, et legatorum numerum, et supplicationes senatus decernebat sine populi suffragio. MAN.

Decem legati] Quorum opera in bello uteretur, quique singulis legionibus, singuli præessent. Vide Or. de Prov. Cons.

Lege Sempronia] C. Gracchus, Tiberii frater, in ea lege, quam de provinciis tulit, tria comprehendit, unum, ut senatus consulares provincias decerneret, id est eas, in quas consules, magistratu functi, sorte pro-

ficiscerentur; alterum, ut quotannis; tertium, ut, cum decerneretur, intercedere nemini liceret. IDEM.

De filia, et de Crassipede] Cui Tulliam post reditum ab exilio pridie nonas Aprilis despondit, mortuo jam, ut in Quæstura ostendimus, C. Pisone. CORRAD.

M. T. C. P. LENTULO PROCOS. S. D. 8

ARG. De statu rerum publico conqueritur: Lentulum solatur spe exigua causæ regiæ, aut propemodum extinctæ: certiorem spem supplicationum facit, ut dolorem Lentuli leniat. *Anno* U. C. 698.

Amicorum] Pompeii et Cæsaris: addo etiam Crassum; cum quo, rogatus a Pompeio, et Cæsare, a Publio præterea, ipsius Crassi filio, redierat in gratiam. Ep. sequenti, et ep 8. lib. 5. et apud Plutarchum in Crasso. MANUT.

Pietas, utilitasque] *Pietas*, erga optime de me meritum: *utilitas*, cum habendam mihi rationem aliquando etiam salutis intelligam. IDEM.

Ad ejus rationes] Ad ea, quæ illi utilia sunt, quæque ille vult. Pompeium significari, satis constat. ID.

Putasti] Cum de me ageres. ID.

Honeste dissentire non possum] Cum is auctor fuerit salutis meæ. IDEM.

Paucis] Si pauci, quo modo ab iis frustra dissentitur? quia pauci quidem principes, Cæsar, Pompeius, Crassus; sed factio eorum maxima. IDEM.

Culpa eorum] Catonem significat: qui publicanis, questis in senatu, se cupiditate prolapsos, nimis magno publica conduxisse, ut locatio induceretur, postularant, adversatus est, et ita equites a senatu alienavit, et concordiam ordinum a Cicerone in consulatu constitutam, opinione falsus, dissolvit. Qua de re plura epistolarum ad Attic. libro I. LAMB.

Hominem Clarissimum] Pompeium, quem abalienaverant a senatu, qui ea, quæ ille, devicto Mithridate, regibus, dynastis, et civitatibus in Asia concesserat, confirmari a senatu non permiserant: quorum princeps fuit L. Lucullus, qui sororem M. Catonis Serviliam in matrimonio habebat, adjuvantibus Catone, et Metello Celere consule: ex quo Pompeius, uxore ducta Cæsaris filia, facile impetravit, ut is consul acta sua confirmaret. Appianus lib. 2. bell. civ. Dio lib. 37. Suetonius. MAN.

Affixum] Ab eo non discedam.

M. T. C. P. LENTULO IMPERATORI S. D. 9

ARG. Excusabundus respondet Lentulo, qui quæsierat, cur in gratiam cum Cæsare, Vatinio, et Crasso rediisset. Rationes consilii sui multis verbis exponit, et de Cæsare quidem, de Vatinio, de Crasso denique. Tandem de scriptis suis respondet, et de Q. Fratris negotio; quibus addit de Appii spe succedendi, et de publicanis non offendendis. *Anno* U. C. 699.

Lentulo imp.] Re bene gesta, qui ab exercitu imperator erat appellatus, litteras suas imperatoris nomine inscribebat: quod Cicero fecit epist. 10. libro secundo. Similiter, qui ad eum scribebant, imperatorem appellabant: propterea superiores litteræ inscribuntur, *Lentulo proconsuli*, victoria nondum certa; hæ vero, *imperatori*, cum plane cognita res esset. MAN.

Hoc tempore omni] Triennium. Nam ante biennium Lentulus, consulatu functus, iverat in Ciliciam, mansitque ad Calvinum, et Messalam consulem: quo anno successit ei App. Clodius. IDEM.

Ostendis] Verbis significas. Sic ep. 2. *Cæteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit.* IDEM.

Præsentiores] Alii, *præstantiores*.

Inimicus] C. Cato, qui vim suam in Lentulum potissimum contulit, cum de abrogando illi imperio legem promulgavit. COR.

Nostram vicem] Quod ad nos pertinuit, quod ipsi facere debuimus. Sic *Doleo tuam vicem*, veteres dicebant, pro, quod ad te pertinet: et Plautus in Captiv. *Neque ullum pol de hac re negotium est, Quin male occidam, oppetamque pestem, heri vicem mei.* MAN.

Ultus est ipse sese] Se ipse punivit, pœnas ipse sibi eas intulit, quas inferre nos debuimus. IDEM.

Ne libertatis quidem] Ut ei ne liberum quidem sit in publico versari; vel quod scelus aliquod insigne committere voluerit, vel quod revocatus in judicium sit; cum defendente Scauro, hoc ipso anno, ut Pedianus docet, Quintili mense absolutus esset. Certe cum propter alia flagitia, tum eo nomine invisum esse optimatibus oportuit, quod tribunus pleb. intercesserat, ne Consules Marcellinus, et Philippus comitia consularia habere possent. Ex quo senatus, ad mœrorem indicandum, vestem mutavit. Epitome Liviana libro 105. IDEM.

In molestia gaudeo] Figura quædam ex mistione contrariorum orationi venustatem concilians: quæ nisi pluribus ostendatur exemplis, fortasse non facile dabitur imitandi facultas. Nobis autem, hunc interpretandi laborem suscipientibus, id maxime propositum fuit, ut adolescentes, pro viribus ingenii nostri, commodiore quadam quasi via ad aliquam eloquentiæ laudem perduceremus. Duplex igitur hæc figura est. Aut enim cum significatione doloris, et molestiæ, conjungitur gaudium; et consolatio: aut contra, gaudii consolationisque significationem dolor, et molestia sequitur. Primum genus hoc exemplo declaratur, *in molestia gaudeo*. Et epist. 14. libro secundo ad Q. Fr. *Se effecturum, ut ego in medio dolore, ac desiderio tui; te, cum a me abesses, potissimum secum esse lætarer.* Nec dissimile illud epist. 6. *Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas.* Aut illud epist. 15. libro primo ad Atticum: *In ista incommoditate alienati illius animi, et offensi, illud inest tamen commodi.* Aut epist. 26. lib. 11. *In maximo meo dolore, hoc solatio utor.* Alterum genus agnoscitur epist. 21. lib. 15. *Sed tamen in ea voluptate, hunc accepi dolorem.* Epist. 8. lib. 16. *In magna consolatione, ingens inest sollicitudo.* Epist. 9. lib. 2. ad Q. Fr. *Nunc mihi jucunditatis plena epistola hoc aspersit molestiæ.* Pertinere videtur ad hoc genus et illud epist. 16. lib. 2. *Hæc aspersi, ut scires, me tamen in stomacho solere ridere.* IDEM.

Non ita magna mercede] Quod explanavit epist. 6. *Minore in re violatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit.* Et epist. 7. *Multum interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur.* IDEM.

Maximo dolore] Afflicta salute, cum ejectus patria sum. IDEM.

Initio actionum tuarum] Pro, initio reditus mei; qui actio tua fuit. ID.

Quendam] Hoc verbo amoris magnitudo tanta declaratur, quantam verbis exprimere non licet. Sic enim loquimur, ubi conceptam animo sententiam enunciare, atque ostendere pro voluntate non possumus. Epistola prima libro secundo: *Incredibilis quædam exspectatio.* In hac, infra: *Commemoranda quædam, et divina Cæsaris liberalitas.* IDEM.

Audivit] Cum sententiam dicerem: non enim reputans, quid Pompeius vellet, aut socer ejus Cæsar, in omnibus meis sententiis de rep. pristinis permanebam. IDEM.

De reliqua nostra dignitate] Ut dejecto P. Clodii monimento in meis ædibus collocarer. CORR.

De monumentis] Domo, porticu Catuli, et forte etiam monimento, de quo lib. I. epist. ad Q. Fratrem mentionem facit. IDEM.

Resarciendis] Quod enim Clodius everterat, id cum senatus publica

sumptu ædificandum censuisset, æstimarunt consules de consilii sententia, quanti fuisset ædium superficies: neque hoc solum, sed quanti etiam fuissent villæ, Tusculana, et Formiana, eversæ ab eodem Clodio. Quam Cicero æstimationem in domo non improbat, in villis accusat epist. 2. lib. 4. ad Attic. MAN.

Quæ fecerant] Pro salute mea. ID.

Sedente Cn. Pompeio] In judicio, cum defenderet Sextium Cicero. ID.

Laudaret] Laudatione judiciali.

Introisset] Quod ut ei salvis legibus liceret, a senatu impetraverat. Alioqui, cum esset cum imperio frumentariæ curationis causa, urbem introire non poterat. MAN.

Bibuli] Quem Vatinius Tribunus pleb. et Cæsar Consul exire domo, prohibuerant, ne Cæsaris acta impediret. IDEM.

Eodem teste] Pompeio. IDEM. Vel, cum iterum alio in judicio testis Vatinius adversus clientem meum esset. J. F. GRON.

Eosdem esse] His verbis nec ipsi Pompeio pepercit. Is enim pro Cæsare consule contra Bibulum, ejus collegam, omni non solum studio, sed etiam contentione dimicavit. Plutarchus, et alii. MAN.

Interrogatio] Extat Tomo II. Edit. Ernest.

In quo] Ita Victorius, Grævius, Cellarius, et referunt ad Vatinii tribunatum. Alii vero *in qua*, et ad Ciceronis interrogationem referunt. OLIVET.

De vi] Qua Bibulum obnunciantem foro expulit, atque etiam in vincula ducere conatus est. MAN.

De auspiciis] Quibus neglectis, leges pro Cæsare Vatinius tulit. ID.

De donatione regnorum] Vide interrogat. in Vatinium cap. 12.

Idibus Maii] Quod tamen die relatum non esse, scribit ipse ad fratrem epist. 7. lib. 2. *Quod*, inquit, *idibus, et postridie fuerat dictum, de agro Campano actum iri; non est actum.* Ideo autem eo die, ut senatus decreverat, de agro Campano non est actum, quia sententiam Cicero mutavit: quod indicant ea, quæ sequuntur. MAN.

Magis in arcem] Magis adversari Cæsaris, ac Pompeii voluntati. Translatione usus est, ad indicandam animi sui fortitudinem accommodata. Nemo enim, nisi fortis, et constans in arcem invadit. IDEM.

Temporum] Calamitatum, quas modo pertuli. *Actionum*, quas olim gessi.

In Sardiniam] Ut frumentum ad urbem convehendum curaret. MAN.

Lucam] Extremum oppidum Galliæ Cisalpinæ, quæ Cæsaris imperio cum Transalpina, et Illyrico regebatur. IDEM.

Cum in Sardinia] Ubi, nisi fallimur, Q. Cicero pro M. fratre erat Pompeii legatus. CORR.

Vibullium] Q. Vibullium, præfectum fabrum Pompeii civili bello, ejusdemque copiarum ductorem. Epist. 2. libro octavo ad Att. et epist. Pompeii ad Ciceronem eodem libro, et epist. Cæsaris lib. 9. ad Att. idemque lib. I. Bell. civ. MAN.

Integrum] Sunt qui scripturam sollicitent, malintque *integram rem servarem*. Sed ita etiam scripsit Cælius epist. 6. lib. 8. *De Dolabella integrum tibi reserves, suadeo.* CELL.

Bonum virum] Bonum civem a bono viro distinguit, quia patriæ simul et amicitiæ satisfacere non possit. Verum, duobus propositis honestis, minori majus præferendum esse quis dubitet? Major igitur patriæ, quam amicitiæ, habenda ratio est, quod ipse lib. 3. Off. declarat. Quanquam, cum dicat, *Bonum virum esse paceretur*, quasi gratiæ loco postulat ab ipsa rep. quod ab ejus rationibus alienum esse, id est, quod officio boni civis adversari, non ignorat. Eandem sententiam in oratione pro Plancio posuit cap. 38. *Res vero ipsa publica si loqui posset*, &c. MAN.

Certorum hominum] Catonis in primis, Bibuli, L. Domitii. IDEM.

Litteris, et officiis] Litteris ad M. Ciceronem missis, officiis in Quintum collatis: qui tuno erat Cæsaris lega-

tus in Gallia. Infra, et ad Att. IV. 18. IDEM.

In hac mente] Hoc est, in hoc proposito: cum ita sentirem. Atque hæc est Victoriana lectio, quam Camerarius sic interpretatur. Man. et Lamb. *in hanc mentem;* non ita bene. OLIV.

Apud Platonem] De Leg. IV.

Ex Kal. Jan.] Dicta in Senatu oratione contra Rullum. CORR.

Nonis Dec.] Quo die Senatus sumendum de conjuratis supplicium censuit.

Quasi certaminis causa] Speravit Clodius, si Ciceronem vexaret, eam fore causam bonos cum improbis committendi. IDEM.

Non defenderunt] Hortensium et Catonem, videtur significare. ID.

Reliquerunt] Ut Pompeius. ID.

Tres sorores] Clodiam, Terentiam, et alteram cognomine Quadrantem, quas Clodius frater constuprasse dicitur. IDEM.

Impunitatem] Ne quis putet hoc dici, Clodium absolutum esse judicum sententiis, in eo judicio, quod de violatis Bonæ Deæ sacris factum est: quod ante Ciceronis exilium factum erat: sed quorundam optimatum, quorum hic Cicero inconstantiam, et perfidiam accusat, sententiis, in senatu dictis, factum esse, ut judicium illud, quod Milo tribunus pl. Clodio de vi accusato intendebat, omitteretur; ex quo non absolutus Clodius, (non enim *absolutus* dicitur, de quo latæ sententiæ non sunt) sed impunitatem consecutus, quia punitus non est, vere, ac proprie dicitur. Tota vero res ita se habet. Restituto Cicerone, cum ejus domus ex S. C. reficeretur, expulsi a Clodio fabri de area sunt: disturbata porticus Catuli, quæ ipsa quoque ex S. C. reficiebatur, et ad tectum pene pervenerat: Q. Ciceronis domus primo fracta conjectu lapidum, deinde inflammata. Neque hac una vi contentus quievit Clodius, sed, sexto post die, cum lapidibus, fustibus, gladiis M. Ciceronem insecutus est: sequenti autem die Milonis domum expugnare, et incendere ita conatus est, ut palam cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Propterea Milo tribunus pl. eum de vi accusavit. Sed judicium, opera Clodii, ejusque amicorum, usque eo perductum est, donec habitis ædilitiis comitiis, Clodius ædilis creatus in judicium vocari non potuit. Non enim vocare in judicium eos licuit, qui magistratum gerebant. Hoc igitur queritur Cicero, et jure queritur, quod, cum ageretur in senatu, utrum ante comitia judicium fieret, quod Milo, Cicero, nec pauci præterea, bene de rep. sentientes, exoptabant, an quod Clodius, ejusque factio postulabat, ut comitia ante judicium haberentur, quo posset, magistratum adeptus, pœnam effugere; S. C. factum sit, ut post comitia judicium fieret: in quibus positam esse Clodii, nocentissimi hominis, salutem, licebat intelligere. Hac de re sic in oratione pro Sextio: *Volitat ædilis, accusat eum, qui aliqua ex parte ejus furorem exsultantem repressit: hic accusare eum moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus auctoritatem non est situs.* Non licuisse Miloni per senatus auctoritatem Clodium accusare, demonstrat. In oratione autem de provinciis, *Qui meum*, inquit, *inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt.* Præterea epist. 3. lib. 4. ad Att. et lib. 2. ad Q. Fr. *Impugnitatem igitur Clodius assecutus est, quia judicium fieri de eo, ædile creato, non licuit. Optimatum vero sententiis, quia comitia fieri ante judicium voluerunt.* Nec tamen omnes notat optimates, sed tantum eos, qui judicium de Clodio a Milone accusato fieri noluerunt. Nam bonos aliquot in senatu pro Milone, id est pro rep. sensisse, satis ostendit iis verbis, quæ jam recitavimus ex oratione de provinciis. Cum enim dixit: *Qui meum inimicum, repugnante vestra auctoritate, texerunt*, optimatum duo genera significat, eos, qui Clodium texerunt, et eos, qui repugnarunt. CORR.

Hostili nomine] Clodii nomine. ID.

Veneris caput] Apelles inchoavit et aliam Venerem Cois, superaturus etiam illam suam priorem: invidit mors peracta parte, nec, qui succederet operi ad præscripta lineamenta, inventus est. *Plin.* XXXV. 10.

Constantia] Cum in L. Saturnini legem de agro Gallico dividendo, per vim latam, jurare noluit, et in exilium abire, quam de sua sententia decedere, maluit. Plutarchus in Mario. MAN.

Est vero probandum] Ironia: quæ negandi vim habet, cum affirmare verba tamen ipsa videantur. Sic Virgilius lib. 4. Æneid. *Egregiam vero laudem*, &c. IDEM.

Scaurum] Patrem ejus, pro quo extat mutilata Ciceronis oratio. ID.

Hominibus] Vocem hanc delendam esse, conjicit Grævius ex Mss.

Sollicitudinem, et laborem] Quibus eum splendorem, eamque speciem tueor. GRÆV.

Cœperam exponere] Cum enim sententiam Platonis posuisset de corruptis principum exemplo civibus, eam ut probaret, ita longe digressus est, inducta commemoratione sui consulatus, ut a proposito nonnihil aberrasse videatur. Itaque narrationem interruptam, ab alio tanquam orsus principio, retexit. MAN.

Tabella] In judiciis: cum absolverunt, quos damnari oportuit. Nec dubito, quin hic Cicero Sex. Clodii, nocentissimi hominis, absolutionem significet, quem senatorum urna copiose absolvit, ad quos dirigitur hæc tota narratio. Vide epist. 6. lib. II. ad Q. Fr. IDEM.

Plato] In Critone.

Neque integra re] Integra Platoni res fuit ad consulendum; quia nunquam attigit rempubl. Quod mihi non contigit; qui cum remp. antea tractassem, propterea implicatus tenebar. MANUT.

Discesserim] Vobis exceptis, nemo est, cui perinde ac Cæsari debeam. IDEM.

Reditus intercesserat in gratiam] Reconciliatio intervenerat. CELL.

Pompeium] Quo consule comitia habente, superiore proximo anno prætor Vatinius creatus est, M. Catone rejecto: qui cum ante Vatinium populi suffragiis prætor fieret, consul Pompeius, auspicia mentitus, comitia dissolvit. Quod ei, augur cum esset, jure sacerdotii licebat. Plutarchus in Pompeio, Dio lib. 39. MANUT.

Defenderem] Accusatus est Vatinius, ut ait Pedianus in commentarii procemio orationis pro Scauro, Appio et Domitio coss. id est, quo anno scripsit Cicero hanc epistolam: accusatus autem a C. Licinio Calvo de ambitu, quia prætoria comitia corrupisset. IDEM.

Ultimis terris] Hispaniæ duæ fuerunt, citerior, et ulterior: hic de citeriore accipiendum; cui præfuisse cum imperio Lentulum, supra demonstratum est iis verbis, *Cum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres*. MANUT.

Stimulus] Quod enim P. Clodium quidam optimates, Ciceronis inimicum, ipso præsente amplexarentur, in manibus haberent, foverent, oscularentur, ut ei stomachum facerent: propterea, ut eorum consuetudinem imitaretur, et quasi par pari referret, ipse quoque, hominem optimatibus invisum Vatinium defendit. IDEM.

Eunucho] Actu III. scen. 1.

Severe] Quasi de gravibus, seriisque rebus cum eo deliberaturi. MAN.

Magna jam gratia] Vetus inter eos fuerat simultas, vel exorta Cicerone consule, cum Crassus Catilinæ consiliorum particeps esse putaretur, ut historiæ declarant; vel, ut ego arbitror, multo ante, cum Cicero ab adolescentia sua, ut in hac epistola jam dixit, Pompeii fautor extitisset, Crassumque sæpe, ut ep. 12. lib. I. ad Atticum scripsit, in Pompeiana laude perstrinxisset: in suasione quidem legis Maniliæ, laudem servilis belli, Crassi virtute confecti, magna ex parte ad Pompeium transfert. Primus dies eos in gratiam reduxit, cum Crassus in senatu, præsente Pompeio, a Mithridatico bello proxime reverso,

de rebus a Cicerone consule in urbe gestis ornatissime locutus est. Cujus orationis illustrem sententiam cum Cicero ad Atticum scripsisset, subjunxit: *Hic dies me valde Crasso adjunxit.* Rursus oduim inter eos emersit, quo anno lege Clodia Cicero pulsus est, Crasso Clodium adjuvante, ut in Plutarcho legimus. Iterum autem reconciliati, restituto in patriam Cicerone, intercedente Publio Crassi filio, Ciceronis amantissimo, ut idem Plutarchus. Tertiæ tum dissensionis, tum etiam reconciliationis causa hic exponitur. MAN.

Disputantem] In senatu. IDEM.

Foris] Vulgo, apud omnes homines: *fructum tulisset*, bonam de me hominum opinionem auxisset. ID.

Temporum meorum] Earum calamitatum, quas olim pertuli, quia nimium in repub. libere sensissem. MANUT.

Naturæ] Quæ me ab omni contentione revocabat. IDEM.

Gratia] Hic est reconciliatio. GRÆ.

Condixisset] In diem certum denunciasset. Sic enim Festus interpretatur. MAN.

Defendi] Vide lib. V. ep. 8.

Solutissima] Soluta, et libera Ciceronis voluntas non erat, cum et alliceretur Pompeii, Cæsarisque beneficiis, et compelleretur optimatum quorundam injuriis. MAN.

Facile patior] Ita loquebantur, cum aliquid se nec admodum libenter, nec moleste tamen facere significabant. Ep. 7. lib. 5. *Si quando non mutuo respondetur officiis meis; plus apud me officii residere facillime patior.* MANUT.

Menocrito] Lentuli liberto. IDEM.

In disputatione ac dialogo] Hoc totum alienum videtur et subdititium. LAMB.

Tres libros de temporibus meis] Dio lib. XXXIX. βιβλίον μὲν τοι τὶ ἀπόῤῥητον, &c. Vertit Leunclavius: *Librum quendam occultum conscripsit, cujus erat inscriptio*, de suorum consiliorum rationibus. *In eum multa acerba contra Cæsarem, Crassumque, aliosque nonnullos dicta congessit: metuensque ne se vivo emanaret, obsignatum filio tradidit, cum mandato, ne eum se superstite aut legeret, aut ederet.* H. VALESIUS.

Sed, quia verebar] Ἔλλειψις, figura aliquid detrahens: Nam hic sententia desiderat, *Non misi:* ut sit; Ideo non misi eos libros ad te, quia verebar eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. MAN. Ego delendum puto τὸ *quia*, nec rationem reddi quare non miserit, sed quare non putarit edendos. *Sed verebar non eos*, id est, non edendos putavi, qui verebar. J. F. GRON.

Appius] Appius Pulcher, Coss. cum L. Domitio Ænobarbo. CORR.

Si licitum] Per tribunos pleb. ID.

Se paraturum cum collega] *Parare*, hic est pacisci, constituere. Mos enim fuit, ut S. C. de provinciis consularibus ita fieret, ut eas consules aut sortirentur, aut compararent inter se. MAN.

Opus esse] Convenire. *Necesse non esse:* scilicet Consuli. CORRAD.

Provinciam haberet] Non Ciliciam nominatim: quod si esset, quorsum de sortitione, aut comparatione loqueretur? sed provinciam ideo habebat, quia senatus decreverat, ut ex duabus consularibus provinciis unam Appius, alteram Domitius, vel sortientes, vel inter se comparantes, obtinerent. MAN.

Lege Cornelia] Quæ imperium, sed sine armis, dabat. Alia ejus legis sunt lib. III. ep. 6. CELLARIUS.

Ne id quidem valde dubium est] Ne de jure quidem dubitari valde potest, quin Appio, vel si tibi sine curiata lege succedat, provinciam debeas concedere. Argumento sunt hæc verba, falli eos, qui legem curiatam rectoribus provinciarum omnino necessariam putarent: cum sine ea jus dicere, et provinciæ præesse possent, imperio lege Cornelia dato, quoad in urbem introissent. Cum hæc scripsissem; disputationes ad me suas adversus Nicolaum Gruchium misit Carolus Sigonius: in quibus de eu-

rista lege, duplicique provinciarum imperio, probari idem utrique nostrum, animadverti. Sane sum lætatus, ut animo, et voluntate, itidem nos opinione, et judicio congruere. MANUT.

Liberalitatem] Sic Lambinus, sic H. Stephani editio 1577. Alii, *libertatem.*

De publicanis] Contra quos decretum ex voluntate provincialium fecerat. MAN.

Non potui non probare] Videtur alterum *non* delendum esse. J. F. GRON.

Felicitate quidem, vellem, consequi potuisses] Vellem, ita felix esse potuisses, nihil ut omnino contra ejus ordinis, quem semper ornasti, aut rem, aut voluntatem ageres. Quidam veteres libri, *Felicitatem:* alii, *Facilitate autem quod vellem consequi potuisses.* Sed facilitas est voluntatis: quam si Cicero requirit in Lentulo, hominem carpit amicissimum, optimeque de se meritum. IDEM. Lego: *Felicitate quadam, vellem consequi,* &c. Vellem sic favisset tibi Fortuna, ut necesse non fuisset aliquid abs te statui, quo illi aut vectigalia sua deteriora, aut gratiam contemptam putarent. J. F. GRON.

Q. Scævolæ] Auguri, P. F. Lælii Sapientis genero, Crassi oratoris socero. Fuit alter Q. Scævola, Q. F. Pont. max. multis annis junior. MAN.

Ordinem] Equestrem.

M. T. C. S. D. L. VALERIO, JURISCONSULTO. 10

ARG. Inter jocos significat Valerio se ejus nomine P. Lentulo gratias egisse, eumque, ut domum redeat, hortatur. *Anno* U. C. 699.

Cur enim tibi hoc non gratificer] Cum inscripsisset, *Valerio, Jurisconsulto,* subjunxit jocans: Nam, jurisconsultum cur te non appellem, nescio, etiam si jurisconsultus valde non sis. Et sane Valerius hic non videtur jus civile, quantum opus esset, cognovisse: cum de eo sic ad Appium scripserit: *Valerium jurisconsultum valde tibi commendo, sed ita etiam, si non est jurisconsultus.* Verum ita familiariter eum Cicero diligebat, ut ei, quod omnino falsum non erat, id per jocum objiceret. MAN.

Audacia pro sapientia] Vivimus eo seculo, quo sapiens habetur, qui plurimum audet. Ludit in vocabulo *sapientiæ.* Nam JC. κατ' ἐξοχὴν *Sapientes.* De amicit. c. 1. et 2. II. de Off. 11. Sic Lælius sapiens, M. Cato sapiens, II. Verr. 2. Pro Mur. II. *et ab ipsis cautis JC. eorum sapientiam compilavit.* J. F. GRON.

Desinas litteris nostris uti] Commendatitiis. Desinas abesse et procul vagari meis commendationibus. IDEM.

Ubi aliquo numero sis] Ludit rursum in verbis; nam *aliquo numero esse* est in dignatione esse, et esse ubi plures sint similes tibi. IDEM.

Solus sapere] Significat eum ibi esse, ubi nulli sunt alii Jurisconsulti: nam Jurisconsulti, ut dictum, sapientes. IDEM.

Quod nihil respondeas] Jocus est in his verbis et abstrusus, et elegans. Vult enim innuere, ideo nihil eum quandoque respondere, non quod superbus sit, sed quod eum nemo consulat, cum homines bonum jurisconsultum non putent: ideo autem male respondere, non quod contumeliosus, sed quod imperitus, et indoctus. Proprium vero jurisconsultorum fuit, hodieque est, de jure consulentibus respondere. Similis jocus est in Trebatium ep. 16. lib. VII. *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere.* MANUT.

Ut possimus salvum venisse, gaudere] Quod si Romam, inquit, venies; erit, qui, te salvum venisse, gaudeat: habes enim hic, qui te norint, et diligant: in Apuliam vero tuam si accesseris; quis erit, qui gaudeat? Hanc sententiam, illata figura παρὰ προσδοκίαν, confirmat sequentibus verbis: *Tanquam Ulysses, cognosces tuo-*

rum neminem. Quod etsi discrepat ab Ulysses fabula; qui suos quidem domesticos omnes, Ithacam reversus, cognovit, sed ab iis cognitus non est: tamen Cicero, nactus jocandi locum, lepide sermonem convertit ab Ulysse ad ipsius Valerii humilitatem, ac solitudinem. Quod ideo ostendendum putavi, ne quis Ciceronem in Ulyssis fabula memoriæ vitio labi putet: cum in eo ipso jocus appareat, quod, cum, inducta Ulyssis mentione, dieturus videretur, Cognosceris a tuorum nemine, traduxit sententiam, ut dixi, ad id, quo Valerii notabatur ignobilitas. Possit etiam hoc aliquis referre ad illud tempus, cum Ulysses dormiens, a Phæacibus in litore Ithacensi expositus, mox experrectus, patriam non agnovit. *Odyss.* lib. 13. ID. *Cognosces tuorum neminem:* quasi significet omnes periisse. J. F. GRON.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER II.

1 M. T. C. C. CURIONI S. D.

ARG. Accusatus a Curione negligentiæ litterarum, se excusat, eique quod absens summam laudem consecutus sit, gratulatur, hortaturque, ut, quam concitasset, expectationi sui respondeat, et ipsum, cujus consiliis ad hanc dignitatem pervenerit, jam prope senescentem, amore suo oblectet. *Anno* U. C. 700.

De litteris hactenus] Dixi jam nihil esse in Latina lingua contemnendum; si modo ea proprie, recteque uti cogitamus. Quare subjungam, quæ nonnullis fortasse levia videantur: sed, quo turpius in minimis labimur, eo diligentior esse debet animadversio. *Hactenus*, et *adhuc*, æque continuationem significant; sed hoc differunt, quod, *Hactenus* de re semper usurpatur; *Adhuc* de tempore. Non enim recte dixeris, *Hactenus ita sensi;* sed, *Adhuc ita sensi.* Contraque proprie non dicitur, *de litteris adhuc;* sed, *de litteris hactenus.* Etiam illud observavimus, non eandem utroque continuationem significari. Nam *Hactenus*, absolutæ rei continuationem semper indicat; *Adhuc*, interdum etiam non absolutæ: ut ep. 20. lib. II. ad Attic. *Clodius adhuc mihi denunciat periculum.* Exemplorum refertus est Cicero. MAN.

Abfuisse] Erat Curio in Asia. MAN.

Memoriam ulla nunquam delebit oblivio] Pusillum hoc; sed ita tamen edendum, ut præeunt meliores libri: nempe Victorii, Vatic. Pall. quart. quintus. Vulgo, *nulla unquam.* GEB.

2 M. T. C. C. CURIONI S. D.

ARG. Patris mortem filio absenti significat, ac se illi parentis loco fore pollicetur. *Anno* U. C. 700.

Clarissimo viro] Consulatu, quem cum Cn. Octavio gessit: eloquentia, et rebus gestis in Macedonia, de qua etiam triumphavit. CORR.

Fortunent] Ep. 8. lib. XI. *Eum honorem tibi deos fortunare volo:* id est, ne quid adversi contingat. MAN.

M. T. C. C. CURIONI S. D. 3

Arg. Rupam libertum excusat, quod in patris funere ludos populo non promiserit, quia amicis displicuerit. Cujus consilii, coram pluribus exponendi, jam summam perscribit, et quanta in expectatione Curio filius sit, significat. *An.* U. C. 700.

Declarandorum] Ostendendorum, promittendorum: ut ep. 8. lib. IX. *Munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus.* Man.

Munerum] Munera populo dabant, gratiam ejus aucupantes, cum vel gladiatorum certamina præberent, vel nummos dividerent, vel epulum darent, aut aliquid ejusmodi. Curio in funebri patris munere, præter cætera, ludos dedit, et in iis pantheras: ut scripsit Cœlius ep. 6. et 7. lib. 8. Dedit etiam admirandam illam, quæ amphitheatri formam faceret, ligneam machinam, de qua Plinius XXXVI. 15. Idem.

Non esset integrum] Ut, si consilium nostrum probares, mutare sententiam posses. Verebatur Cicero, ne, muneribus dandis, æris alieni plurimum Curio contraheret, eoque coactus, omissa reip. causa, cum improbis civibus, maximeque cum Cæsare, societatem, bonis exitiosam, coiret. Quod ita contigit. Idem.

Ne ad eam] Legendum, *ne ad ea*, scilicet plura, quæ scribere poteram. Aut etiam non scribam quid de istis muneribus sentiam, ut venias ad me non præmeditatus, non commentatus; nec habeas quicquam cogitati, quo sententiam meam oppugnes. J. G. Gron.

Contra istam rationem] Istud genus ambitionis, plebem muneribus demulcendi. Idem. Et sane lib. II. de Officiis (cap. 16.) pecuniarum effusiones ad multitudinem deleniendam; nec iis, quorum causa fiunt, nec iis, a quibus fiunt, honorificas, multis verbis ostendit. Man.

Displicere] Nec aliter cecidit. Nam, cum, præstituta die, creditoribus suis Curio satisfacere non posset, intercalationem, id est prorogationem temporis, a Pontificibus petiit: quam cum non obtinuisset, addixit se, suamque sententiam Cæsari, deserto reip. patrocinio. Ep. 9. lib. 8. Idem.

M. T. C. C. CURIONI S. D. 4

Arg. Diversa dicit litterarum genera, quorum neutrum sibi jam conveniat. Quapropter ad cohortationem transit, ut pergat Curio ad gloriam ire, quia gravis ipsi adversaria, omnium expectatio, constituta sit. *Anno* U. C. 700.

Domesticarum] *Domesticos* habet antiquus liber, pro *domesticarum;* et ita opinor ex loco simili legendum esse. F. Ursinus.

Quæ nunc] Manutio et Grutero probatur, *quæ non*, et reperitur in omnibus quatuor Mss. quibus usus est Grævius.

Gravis adversaria] Sic enim nobis, ut cum acerrimo inimico, cum expectatione pugnandum est: iis autem, qui nulla in expectatione sunt, licet esse otiosis. Man.

M. T. C. C. CURIONI S. P. D. 5

Arg. Questus de publicis malis, Curioni gratulatur quod ea non videat, et magnam ex benefactis laudem consequatur. Sed quoquo se modo respublica habeat, ad eam capessendam, vindicandamque adhortatur. *Anno* U. C. 700.

6 M. T. C. C. CURIONI S. P. D.

ARG. Curioni ex Asia adventanti, Milonis causam, consulatum petentis, diligentissime commendat, ut gratia, qua plurimum polleat, petitionem ejus adjuvet, quo ipso non tam Milonem sibi, quam Ciceronem, devincturus sit. *Anno* U. C. 700.

Sex Villium] Manut. *Sex Julium*; Corradus, et Grœv. *Servilium*.

Eorum ventorum] Ventis comparat plebem, gratiosos in suffragiis, &c. Nam cum secundi sint, reguntur tamen arte quadam ab eo, qui navem gubernat. MAN.

7 M. T. C. PROCONSUL C. CURIONI, TRIBUNO PLEBIS, S. D.

ARG. Ex Cilicia Curioni de tribunatu pl. gratulatur, hortaturque ne cujus consilium sequatur, sed quod rectum est, constanter faciat, nec patiatur sibi provinciam prorogari. *Anno* U. C. 702.

Aliorum] Ut M. Antonii. CORR.

Incerti exitus] Nihil igitur novi cogitandum, exitu rerum incerto. Timet Curionis multiplex ingenium: ne quid in repub. novi moliretur, spe alicujus boni proposita: quod et facere solebant tribuni pl. et fecit ipse Curio: cujus turbulentus in primis, ac seditiosus tribunatus fuit. MAN.

Remp. gessimus] In Amano monte, ut epist. 10. Capto etiam Pindenisso, ut epist. ad Attic. 20. lib. V. IDEM.

Totius æstatis] Pindenissum tamen non æstate, sed Saturnalibus id est, XIV. Kal. Jan. in suam potestatem redegit: quod Attico scripsit epist. 23. libro quinto. Verum res æstate gestas appellat, quod *æstiva* vocarentur, quæcumque æstate cœpta essent, licet ante hiemem non perfecta. Sic epist. 9. libro tertio, *æstiva confecta, non nisi Pindenisso capto*, significat: cum tamen deditio Pindenissi Decembri mense facta sit. IDEM.

Ad senatum] Eæ litteræ non exstant. Nam quæ leguntur libro decimo-quinto res gestas non exponunt. Ad senatum autem scripsisse videtur Januarii mensis initio, ad novos consules: quod ex epist. 20. libro quinto ad Att. licet intelligere. Quod cum ita sit; potuit hanc epistolam scribere mense Dec. Nam, cum Pindenissum XIV. Kal. Jan. captum ostenderim, et hic rem feliciter esse gestam, scribatur: necesse est, Curionem jam tribunatum pleb. iniisse: nam tribunis pleb. primus magistratus dies fuit, non Kalendæ Jan. ut aliis Magistratibus, sed quarto idus Dec. ut Livius, Dionysiusque docuerunt. IDEM.

De sacerdotio tuo] De Pontificatu, quem petiit, et obtinuit, patre mortuo, ut in ejus locum surrogaretur. De patre mentio fit in Orat. de Harusp. resp. cap. 6. de filio, apud Dionem lib. 40. IDEM.

Senati-consultum] Frementibus Magistellis produxi hanc lectionem ex editione Victor. ac Pal. prim. Vatic. ut sæpe Livius. Vulgo *Senatus-consultum*. GEBHARD.

Leges] Quibus erat annua provincia. Et ad M. Marcellum consulem, his verbis, epist. 7. lib. 17. *Ne quid accedat temporis ad id, quod tu mihi et S. C. et lege finisti*. MANUT. *Leges*, forte Sempronia, Curiata, et Cornelia. CORRAD.

8 M. T. C. PROCONSUL M. CÆLIO S. D.

ARG. M. Cælius, cujus est liber VIII. harum epistolarum, scripserat leviores res urbanas Ciceroni de gladiatoriis ludis, dilationes vadimonii, et furtis nonnullis, quæ ipsum nihil afficiebant. Reprehensa ergo illa so-

dulitate monet, ut severiores res, quem statum putet reip. futurum esse, perscribat. Addit, cum Pompeio fuisse, cui se ut Cælius det, hortatur, et cum Caninio Athenis. Denique sua commendat. *Ann.* U. C. 702.

Compositiones] Quis cum aliquo pugnasset. Inde *Par gladiatorum* dicebatur, cum duo comparabantur, et componebantur ad certamen. Recitat Lucilii versus Cicero in libro de optimo genere Oratorum, cap. 6. *Cum Pacidiano hic componitur*, &c. Quintilianus, II. 17. *Gladiatores.... inter se componuntur.* MAN.

Vadimonia dilata] *Differre vadimonium*, est prorogare diem, de quo inter litigantes convenerat, ut in judicio adessent. Nam *Vadari*, est diem judicio ex compacto constituere. IDEM.

Chresti] Vel, ut Chrestum compilaverint, id est, fraudaverint fures; vel, ut Chrestus fur alios compilaverit. J. F. GRON.

πολιτικώτερον] Peritiorem administrandæ reipub. MAN.

Complures dies] Triduum. Vide ad Att. V. 7. Tarenti. Vide ibid. ep. 6. Quod si quærat aliquis, quid agebat eo tempore Pompeius Tarenti? credideriim, eo se contulisse valetudinis causa post gravem illum morbum, quo eum prope urbem Neapolim laborasse, Plutarchus, et Cicero Tusc. I. demonstrat. Ægrotavit enim post tertium consulatum; eoque tempore Cicero in provinciam ivit. MANUTIUS.

Sermonibus... quæ] Generis mutatio, per intellectum τῶν *de negotiis, quæ*. J. F. GRON.

Nobis] MIHI, et ubi. Nam ante profectionem Ciceronis in provinciam, recte Cælius de rep. sensit: postea vel Curionis amore, vel Ap. Claudii odio, ab optimatibus ad Cæsarem discivit: quod ipse in ultima epist. lib. 8. confessus est: idque confirmant in libro de claris Orat. hæc verba Ciceronis: *Cum ædilis curulis factus esset, nescio quo modo discessu meo discessit a sese, ceciditque postea, cum eos imitari cœpit, quos ipse perverterat.* MAN.

Ipsos] Neque plures, neque pauciores, plane decem. IDEM.

Gallus Caninius] Quem reum defenderat, Pompeii rogatu, iterum consulis. Epist. I. lib. 7. Vide quæ Valerius l. 4. c. 2. de hoc, ut arbitror, Caninio scripsit. IDEM.

M. T. C. CÆLIO RUFO, ÆDILI CURULI DESIGNATO, S. D. 9

ARG. Gratulatur de ædilitate obtenta, Hirro competitore dejecto, in quem veteris Poetæ verbis faceto jocatur. *Anno* U. C. 702.

Cum præsenti, tum etiam sperata tua dignitate] Tum ædilitate, quam adeptus es, tum etiam reliquis honoribus, qui ædilitatem consequuntur. Prætura enim biennio post ædilitatem dabatur, consulatus biennio post præturam. MAN.

Quemadmodum scripseras] Epist. 3. lib. VIII. cum scripsisti, *si fio, tota vita vinum nobis deesse non poterit.* CORR.

Audivi] Te ædilem designatum, Hirrum dejectum. MAN.

Factus sum] Suscepi personam Hirri: quia, quæ tu mihi de illo scripsisti, omnia cogitavi. IDEM.

Egi] Repræsentavi, cogitatione ipsa mihi ante oculos posui. IDEM.

Jactitat] Jactare solitus est: quod fecit, ædilitatem petens: cum diceret, se gratiosorum in suffragiis adolescentum opera ædilem futurum. Epist. 6. Juventutem ostendit in suffragiis plurimum posse. Proprie enim adolescentum gratia est, virorum auctoritas. IDEM.

Difficile est loqui] Quæ de illo cogitavi, exponere non facile possum. ID.

Te autem contemplans absentem] Hoc totum usque ad illud, *Quod quia*, videtur a vetere poeta sumptum. IDEO, *Contemplans*, non est, quo referatur: deest enim verbum Poetæ: cum Cicero locum non expleverit, ut interdum solet. IDEM.

Ad illud] Ejusdem poetæ. IDEM.

Omnibus lætitiis] Eundem locum Cicero significat lib. 2. de Fin. cum ait: *Ille Cæcilianus, qui sese omnibus lætitiis lætum esse narrat.* IDEM.

Ego voluptatem] Est versiculus non totus Trabeæ, poetæ Comici: in Tuscul. 4. integer est, sententia certe ejus non desideratur: *Ut ille, qui voluptatem animi nimiam summum errorem esse arbitratur.* VICT.

Quid quæris?] Ubi satis verborum effluxit, nec tamen omnino videmur, quod volumus, explicasse; ad hanc interrogationem confugimus, *Quid quæris?* et ad exitum statim sententia perducitur. MAN.

Ille] Tam stultus, quam ille est.

10 M. T. C. IMP. M. CÆLIO RUFO, ÆD. CUR. DESIGN. S. D.

ARG. Querendo de tabellariis, occulte Cælium negligentiæ litterarum accusat: res suas in Amano gestas narrat, et, ne provincia prorogetur, rogat: de rep. cupit certior fieri. *Anno* U. C. 702.

De te, quia quod sperabam; de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram] In ep. 4. lib. 8. Cælius de Hirro competitore suo loquens ita scripserat: *Spero te celeriter audituruṁ et de nobis, quod sperasti, et de illo, quod vix sperare ausus es.* Quibus verbis Cicero respondens, eadem pene repetit. Et quia scripserat Cælius, *de illo;* facete et salse adspirationem Cicero addidit, ut Hirri nomen, more balborum, qui, *r*, litteram exprimere non possunt, enunciaret. MAN.

Sed balbi non sumus] Sic ludit, quia sequitur *rem* et *redire:* quasi balbi ad rem redire metuant, quod pronunciare non possunt. J. F. GRONOVIUS.

Ais] Lib. VIII. ep. 5.

Auxiliis] Sociorum populorum, id est, Galatarum, Pisidarum, Lyciorum, quos nominat epist. 5. lib. VI. ad Attic. Nam Dejotarum cum omnibus suis copiis ad eum venientem, certiorem Cicero fecit, non videri esse causam, cur abesset a regno. Quod ad Catonem ep. 4. lib. XV. scripsit. MANUT.

Qui urbem?] Servavit ab insidiis Catilinæ, &c. IDEM.

Quem senatus?] Decreto laudavit honorificentissimo, &c. IDEM.

Cætera] Quæ in nos, ob res in consulatu præclare gestas, conferri solent. IDEM.

Communis est] Cum ejus pars ad Syriam, Bibuli provinciam, altera ad Ciliciam, cui Cicero præerat, pertineret. Strabo, et alii. IDEM.

Divisus aquarum divortiis] Ut ad Syriam ab una parte, ad Ciliciam ab altera pertineret, defluentibus aquis distributus. Cum enim aquæ dividuntur, divortium earum fit. Sic epist. 20. ad Attic. lib. 5. *Ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum divortio dividit.* Flaccus etiam Siculus in libro de limitibus, *divergia* aquarum dixit, eadem significatione: quod in diversas partes *vergant,* et vertantur aquæ: unde *divergium,* et *divortium.* IDEM.

Cassius noster] C. Cassius, qui postea Cæsarem occidit. Is M. Crassi quæstor in Syria fuerat: quo interfecto reliquias copiarum Antiochiam deduxit. IDEM.

Rejeceret] Vide ad Att. V. 20.

Victoria justa] Certum hostium numerum esse oportuit, quæ cæso Imperatoris nomen consequerentur MANUT.

Clitarchus] Historicus, Alexandri comes in Persica expeditione, ut ait Plinius lib. 6. cap. 31. Ejus probatum esse ingenium, fidem vituperatam, ostendit Quintilianus lib. 10. cap. 1. IDEM.

Narravit] Argute, pro, *legisti apud Clitarchum.* IDEM.

Infestissimam] Latrociniis. IDEM.

Vineis] Instrumentum bellicum fuit, quo tecti milites audacius ad mœnia subibant. IDEM.

Spissius] Hæc meliores libri: ali *serius* habent. Eadem sententia. Nam

spisso, præter densitatis notionem, etiam tarditatis est, ut multis exemplis probavit Nonius Marcellus. CELLARIUS. Et, quoniam *spissis* liquida opponuntur, factum est, ut *liquido* pro *facile* usurpetur. MAN.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. D. 11

ARG. Prorogationis metu sollicitus ob varias causas, de pantheris, in ludos ædilis Cælii capiendis scribit: et sibi res urbanas perscribi postulat. *Anno* U. C. 702.

Vestra oratoria] Jocatur; quia Cælius quoque locum inter oratores obtinebat. MAN. Vide infra, ad epistolam primam libri octavi.

De pantheris] Quas Cælius petierat, ut ludis suis, id est Romanis, daret. Epist. 2. 4. 6. 7. 9. lib. 8. IDEM.

Insidiarum] Ludit eleganter, et suæ laudis aliquid admiscet, quasi hæ feræ doleant se non sentire solas felicitatem provinciæ præside Cicerone, et cum latronem aut insidiatorem nemo ibi metuat ob vigilantiam et justitiam proconsulis, sibi tranquillis esse non licere, sed insidiis patere venantium. J. F. GRON.

In Cariam] Quæ extra Ciceronis jurisdictionem esset. CELLARIUS.

Ipsi Megalensibus] Et Megalenses et Romani ludi ad ædiles curules pertinebant: ut in Dione legimus, lib. 39. Dies igitur Megalensium, qui dabantur Aprili mense, Ciceronem admonebat ludorum Romanorum, quos Cælius Septembri mense daturus erat. MAN. De ludis Megalensibus, sive Megalesiis, Livius XXIX. 14. Ovid. Fast. IV. 179. &c.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. D. 12

ARG. Appropinquante discessu ex provincia, urbem desiderat, cujus fructus provincialibus præfert: et obviam sibi litteras mitti postulat. *Anno* U. C. 703.

Quinquatrus] Dictum fortasse nominandi potius, quam ut alii putarunt, generandi casu. Mallem tamen, *Quinquatribus:* ut intelligatur dies, quo gestæ sunt res, non quo allatæ, cum inferat, *Citeriora nondum audiebamus.* Quinquatrus autem, quinque dies festi fuerunt, Minervæ dicati. Ovid. lib. 3. Fast.

Una dies media est, et fiunt sacra Minervæ,
Nomina quæ a junctis quinque diebus habent.

Varro *Quinquatrem diem* ait appellatum, quod erat post diem quintum Id. Mart. id est, XIV. Kal. Apr. et quanquam ex Ovidio constet, *quinquatrus* fuisse quinque dies: tamen, cum Cicero *quinquatrus* nominat, non semper eos omnes dies, sed interdum primum duntaxat eorum significat, ut Fam. XII. 25. et ad Att. IX. 9. MANUT.

Diogenes tuus, cum Philone] Diogenes Græcus, amicus Cælii, non libertus: Philo autem libertus. Epist. 7. lib. VIII. IDEM.

Pessinunte] Pessinus oppidum Phrygiæ, clarum templo Matris magnæ Deum, cujus ad urbem Romam translata statua est, ad Ciceronis provinciam pertinuit; qui duas in majore Phrygia διοικήσεις habuit, unam ultra Mæandrum flumen, alteram citra. IDEM.

Satis] Pro omni triumpho duco, non tamdiu abesse a meis. J. F. GRONOVIUS.

13 M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. D.

ARG. De litterarum infrequentia modeste questus, amicitiam Appii Cælio excusat, et rationibus defendit. Curionis inconstantiam se prævidisse, provinciam recte confecisse, et urbis desiderio nunc unice teneri dicit. *Anno* U. C. 703.

Simultatem] Susceptam ex eo, quod frater ejus P. Clodius capitali odio a Cicerone dissideret. MAN.

Phania] Appii libertus, de quo *Fam.* III. 1. Hunc autem vocat comicam testem, κωμικὸν μάρτυρα, nullam aliam ob causam, quam ob nomen personis scenicis imponi solitum. GRON. *Obs. Eccl.* cap. 2.

Pompeii] Cujus filius filiam Appii habebat uxorem. CORRAD.

Brutum] M. Brutum, Appii item generum. IDEM.

Collegam meum] In auguratu. ID.

Collegii laude] Cum scripsit Appius de jure augurali: quos libros ad Ciceronem misit. Itaque hic subjungit, *Studiosum mei.* Vide epist. 9. et 11. lib. III. MAN.

Te audisse aliquid] Quasi acta ejus in provincia successor rescidissem, et sic ei me parum æquum et benevolum demonstrassem. J. F. GRON.

Genus institutorum] Est quædam diversitas inter meum et illius propositum atque institutum in regenda provincia. IDEM. Hac de re scripsit ipse ad Appium, lib. III. ep. 8. et ad Att. I. 6.

Dolabellæ] Qui Appium reum fecerat. Vide lib. VIII. epist. 6.

Veternus] Nimium quoddam otium, et negotiorum intermissio. Epist. 6. lib. VIII. CORRAD.

Congelasse] Curionem Tribunum pl. adeo nihil movere, ut videatur defixus vel immobilis factus, instar aquæ congelatæ. J. F. GRON.

Chirographo] Cum in reliqua epistola amanuensis opera usus esset. MANUT.

Locupletarum] Qua ratione civitates locupletaverit, ostendit epist. 2. lib. VI. ad Attic. IDEM.

Superioris lustri] Provinciales homines vectigalia publicanis debebant superioris etiam lustri: quæ ut libenter solverent, Ciceronis opera et auctoritate factum est. Qua de re in eadem ad Att. ep. IDEM.

In Ciliciam] Ut ibi reliquam jurisdictionem absolveret. IDEM.

Militaremque rem collocassem] Erat enim præsidium relinquendum, si quid Parthi conarentur. IDEM.

14 M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. D.

ARGUMENTUM. M. Fabium commendat diligenter: de urbanis rebus litteras expectat. *Anno* U. C. 703.

Ejus negotium] De Herculanensi fundo, quem proscriptum a fratre Q. Fabio esse, cum quo communem habebat, in Asia audivit. Lib. IX. epist. 25. CELLAR.

Magnos patronos] Jocatur, Cælium in magnis causidicis ponens, qui leviores causas, ut Fabii erat, non suscipiunt, sed homicidii, majestatis, magnorumque criminum reos tueantur. IDEM. Ut epist. 11. cum dixit, *ista vestra oratoria.*

15 M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. P. D.

ARG. Ad plures Cælii epistolas respondet, præsertim XI. et XIII. libri octavi: hoc est de supplicatione, de filia et Dolabellæ nuptiis: quibus addit de quæstore Cælio provinciæ præfecto: de Ocella, at aliis. *Anno* U. C. 703.

Supplicatione] Diis decernenda, Ciceronis nomine, pro victoria.

Is] Hirrus, Ciceronis competi-

tor in Augurata, et Cælii in Tribunatu.

Ei] M. Catoni. MAN.

Quæ sequuntur] Triumphum significat: qui plerisque post supplicationem dabatur. IDEM.

Ea] Vitia quædam Dolabellæ, quibus illum sibi antea parum utilem fuisse, et emendatum iri pudore Tulliæ, scripserat Cælius. IDEM.

Cui tuæ epistolæ respondeant] *Respondere* valet hic, consentire, convenire. Scio, cum qua congruat hæc epistola. Est autem ordo: Scio, cui tuæ epistolæ respondeant ea, quæ scribis Tulliæ meæ prudentia temperari posse. Ut dandi casu, *Tuæ epistolæ*, dictum sit, non nominandi, ut acceperunt ii, qui elegantissimum loquendi genus non agnoverunt: unde temeritas, mutandique libido nata est. IDEM.

Ex tuis litteris] Sensus est: Cujus argumentum petii et hausi ex tuis litteris.

Honestum] Hoc est: Volo Cæsaris dignitatem salvam et inviolatam manere. GRÆV.

In qua tu non valde te jactas] In qua tu non multum laboras et contendis, non multum ejus rebus et negotiis te immisces, sed quiescis quasi. Cælius ad Ciceronem VIII. ad Fam. 10. *Curionem video dupliciter se jactaturum: primum ut aliquid Cæsari adimat, deinde ut aliquid Pompeio tribuat.* IDEM.

Cælium] C. Cælium, ad quem scribit epistolam ultimam hujus libri. MANUT.

Omnium fere exemplo] Plerique enim, de provincia decedentes, præponere quæstorem solebant. Epist. 18. IDEM.

Pontinius] Qui legatus fuerat Ciceronis, et Cælium honore superabat, non quod legatus, sed quod prætura gesserat, atque etiam de Allobrogibus triumphaverat. IDEM. Alias *Pontinus*.

Duorum] Pompeii, et Cæsaris.

Omnes Cassios Antoniosque] Q. Cassium Longinum, Pompeii in Hispania Quæstorem intelligit, et M. Antonium in Hispania Cæsaris Quæstorem: auctore Dione lib. XLV. CORRAD.

Complexi sunt] Sunt qui in sensu horum verborum tradendo non parum decepti sint: non enim narrat Cicero, se idcirco Cælium præposuisse provinciæ, quod vellet sibi gratiam reliquorum ejusdem familiæ conciliare, neque arbitratur Pompeium et Cæsarem id consilium in præficiendis Quæstoribus sequutos fuisse: sed inquit, se id pene fecisse coactum exemplo potentissimorum virorum, qui Quæstores suos omni ratione qua potuerunt, ornarunt, et illorum gratiam omni benevolentiæ genere iniverunt: id enim est *complexi sunt*. Nisi enim Quæstorem et ipse præposuisset, timebat illum iratum, qui iniquo animo tulisset se honorem illum a Cicerone impetrare non potuisse, quem antea Quæstores Cassius et Antonius a suis procoss. et Impp. accepissent. VICT.

De Ocella] Vide lib. VIII. ep. 7.

In actis] Quibus urbanæ res singulorum dierum scribebantur. MAN.

Matrinio] Qua de re agatur, interpretes non docent: sed volunt hunc fuisse ædilitium Cælii scribam.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO, ÆDILI CURULI, S. P. D. 16

ARG. Cicero ex provincia regressus, Cælio videbatur nimium ad Pompeium propendere, quod dissuasit epist. 16. lib. VIII. cui Cicero respondet, se pacem et otium malle, quam castra sequi; etiam causas sinisteriores suspicionis ostendit, et refutat. *Anno* U. C. 704.

Tuæ litteræ] Lib. VIII. epist. 16.

Ab excitata fortuna ad inclinatam] Excitata Cæsaris, inclinatam Pompeii: cum Cæsar Italiam, ejecto Pompeio, teneret. MAN.

Florentissimi hominis] Cæsaris.

Nomenque imperii] Nomen imperatoris, quod victoria meruerat: lic-

toresque et fasces laureati. CELLARIUS.

De profectione] Ad Pompeium, in Græciam. Jam enim mare transierat. MANUT.

Prædiola] Propinqua mari: de quibus vide epist. 14. et 28. lib. XIV. IDEM.

Quod.... facillime] Id est, quod in maritimis prædiis libenter maneo, quod valde delector villis meis, quæ mari propinquæ sunt: non existimantes me id facere inductione animi, suspicantur me id facere quod navigationem expectem, et hinc avolare cupiam. CORRAD.

Contra eum] Cæsarem. MAN.

Satisfecisse] Quod adhuc me cum Pompeio non conjunxerim, nec interesse bello voluerim. IDEM.

Ab eo] Et in quo standum mihi esset ab eo, vel ab ejus partibus, nempe Pompeio. J. F. GRONOV. Fortasse; *ad eum*, scilicet, Pompeium, cui satisfacere nunc non possum, quia nimis sero venio. GRÆV.

T. Ampii] Balbi, ad quem scribit lib. VI. epist. 12. Cujus sermo haud dubie minax et immoderatus de bello utique gerendo. Unde Cæsariani hunc T. Ampium *Tubam belli civilis* post victoriam appellabant. J. F. GRONOVIUS.

Libertate] Accusatione Appii Pulchri, qua Pompeium, Brutum, alios que offenderat. Sic legunt et interpretantur Lambinus, Grævius, Cellarius. Alii vero legunt *liberalitate*. Erit liber Dolabella, inquit J. F. Gronovius, ab iis molestiis, hoc est, a vexantibus creditoribus, propter æs alienum, cui eum immodici sumptus illigarant. Cessabant enim judicia bello civili. Sic Manutius quoque.

Hispaniensem casum] Eventum belli Cæsaris contra Pompeii in Hispania legatos, Afranium et Petreium. CELLAR.

Astute] Astute agerem, si exitum Hispaniensis belli expectarem, ut ex eo vel manendi, vel discedendi consilium caperem; manendi, si Cæsar vinceret; discedendi, si duriore fortuna idem uteretur. MAN.

Togam prætextam] Vestem consularem. Parari consulatum Oppio uni comitum Cæsaris: quem salva Rep. non erat habiturus. J. F. GRONOVIUS.

Dibaphum] Auguratum arbitror. MANUT.

Infector] Vel de Cæsare dicitur, vel de ipso populo, cujus suffragiis hoc tempore auguratus dabatur lege, quam tulerat T. Atius Labienus. IDEM.

Suadeo videas] Velim cures.

17 M. T. C. IMP. CANINIO SALLUSTIO PROQUÆSTORI S. D.

ARG. Sallustii, qui Bibuli proconsulis Syriæ quæstor erat, binis litteris respondet: prioribus, ad singula eo ordine quo rogaverat: posterioribus, causas exponendo, quare illum Bibulo commendare non debeat; cui tamen morem gerit. *Anno* U.C. 703.

De rationibus referendis] Lex Julia, quam C. Julius Cæsar consul tulerat, provinciarum rationes referri jubebat. Eam legem, quia contra auspicia lata esset, Bibulus, Cæsaris inimicus, servare nolebat: quem Sallustius decreverat imitari. Ep. 20. lib. V. et orat. in Pisonem. MANUTIUS.

Minus commodos] Cum aliqua contumelia, parum gratos. IDEM.

Quæstores urbanos] Ad quos, Romam reversus, prædam in bello factam deferre cogitabat. Hoc modo conjungendum: Præter quæstores urbanos, ne teruncium quidem tacturus est quisquam. MAN.

Misericordia] Bibulo duobus filiis orbato. De quibus Val. Max. IV. 1. IDEM.

Permutaretur] Alibi solvatur.

Alariis] Erant in exercitu duo genera equitum, legionarii, et auxiliares. *Alarii* dicebantur auxiliares, quod iis, tanquam alis, pedites tege-

rentur. Cincius apud Gellium: *Alæ dictæ exercitus, equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tanquam alæ avium corporibus, locabantur.* Et Servius in illud Virg. lib. 4. Æn. *Dum trepidant alæ:* subjunxit hæc: *Alæ, equites, ob hoc* alæ *dicti, quia pedites tegunt alarum vice.* MAN.

Transpadanis] Trans Padum lectis, ut contra Parthos mitterentur. ID.

Postularemus] Quod suo et Ciceronis nomine loquebatur Bibulus, id Ciceroni displicet, qui commeatum suis militibus suppeditarat. QUARTERIUS.

Ariobarzanem] Regem Cappadociæ, Cicerone consule referente appellatum. IDEM.

Ariobarzanis] Quem Mithridates regno bis expulit; quem Romani bis restituerunt; semel Sylla, iterum Pompeius. IDEM.

M. T. C. IMPERATOR Q. THERMO PROPRÆTORI S. D. 18

ARG. Asiæ proprætori suadet, ut decedens quæstorem potius, quam legatum, provinciæ præficiat. *Anno* U. C. 703.

Ignominia] Si provinciæ non præponatur, cum decedes. Nam quæstor legatos honoris gradu superabat. MANUT.

Neminem] Legatorum. CELLARIUS.

In Ciliciam] Erat igitur in Asia; cujus tres dioeceses provinciæ suæ attributas esse, scribit ep. 87. lib. XIII. Erat autem Laodiceæ, ubi mansit ad Idus Maii: quod significat epist. ult. lib. V. ad Att. et 2. lib. VI. ad eundem. Ergo scripta est epistola non quibus consulibus Cicero ivit in provinciam, Sulpicio et Marcello, sed quibus decessit, Paulo et Marcello. MANUT.

Posteritatis otio] Posteri temporis otio. *Posteritas* enim non solum posteros, verum etiam posterum tempus ostendit: ut Orat. 1. in Catilinam: *Si mea voce perterritus ire in exilium animum induxeris; video, quanta tempestas invidiæ nobis, si minus in præsens tempus, recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat.* Et infra ibidem: *An invidiam posteritatis times?* IDEM.

M. T. C. IMP. C. CŒLIO L. F. C. N. CALDO, QUÆST. DES. S. D. 19

ARG. C. Cælium, quæstorem sibi sorte datum, hortatur, ut festinet ad se venire, antequam ipse decedat. *Anno* U. C. 703.

Quæcunque] Alibi ponitur pro, *Omnia quæ*, subsequentibus duobus verbis, ut, Quæcunque facis, mihi grata sunt: hic pro *Omnia*, simpliciter, unico subjuncto verbo: quidquid garriat inepta Grammaticorum turba. Ubi enim eorum auctoritate, qui Latini sermonis usu et scientia floruerunt, probari aliquid posse video; quisquilias contemno. Sic ad Att. ep. 21. lib. III. *Te oro, ut, si quid erit, quod perspicias, quamcunque in partem, quam planissime ad me scribas.* Et in Catilinam orat. 2. *Quæ sanari poterunt, quacunque ratione sanabo.* De oratore: *Permultos excellentes in quocunque genere videbis.* MANUT.

Maxima tua] Quia cogitabat eum decedens provinciæ præponere, (*Ep.* 15. *et ad Att. Ep.* 4. *l.* VI.) cum de quæstore Mescinio bene non existimaret, ut ibidem ostendit; et ep. 3. ejusdem libri. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER III.

1 M. T. C. APPIO PULCHRO IMP. S. D.

ARG. Appio Pulchro brevitatem excusat, quod Phanias, ejus libertus, omnia narraturus sit, quem æque, ut ipsum Appium, laudat, nec non Cilicem, alterum libertum. Tandem Valerium jurisconsultum commendat. *Anno* U. C. 702.

Appio] Ejus App. Clodii filio, qui cum P. Servilio Isaurico consul fuerat, anno urbis DCLXXIV. MAN.

Pulchro] Gentis Claudiæ fuere Pulchri, Nerones, Marcelli; patricii Pulchri et Nerones, plebeii Marcelli. Quod Asconius aliique tradiderunt. Nobilitatam hanc gentem duobus de triginta consulatibus, dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duabus ovationibus, in Tiberii vita Suetonius dixit. IDEM.

Juvet] Alii, *quod vidi*.

Providentius] Dixit, pro, majoris cautionis. Possunt enim in alienas manus litteræ pervenire. IDEM.

Caruimus] Ob inimicitias P. Clodii, Appii fratris, qui anno proximo perierat, a Milone interfectus. MAN.

Non invita Minerva] Haud imperite, cum benevolentibus Diis, atque adeo non infeliciter. Simul alludit ad vulgare proverbium, quo et utitur lib. 1. Off. 31. et XII. fam. ep. 21. et quod ipse Minervæ, ut patronæ ac peculiaris Deæ, consilio Catilinariam conjurationem extinxisse videri volebat, dedicaveratque in Capitolio signum: ΑΘΗΝΑ ΡΩΜΗΣ ΦΥΛΑΚΙ. Vide Plutarch. in Cic. vit. Unde et inimici objiciebant, quasi gloriaretur Minervam omnes eum artes docuisse, ut apparet ex declam. sub nomine Sallustii. Sed latet ἀλληγορικόν τι. Nam si priora inspicias, *Non invita Minerva* est approbante ipsa Rep. quasi adderet, quod prius non poteram, cum tu hostem Reip. et bonorum fratrem tuum foveres. Ille autem tum, cum hæc scribebantur, jam perierat, quippe A. U. C. DCCI. Pompeio III. sine collega, a Milone occisus. Sed hoc ne nimium pateret, offenderetque Appium, subjungit, quæ sequuntur: ad quæ si referas τὸ *non invita Minerva*, explicari potest, non sine litteris nostris; et tacite promittit, se eum honoraturum dedicatione alicujus scripti, perinde ut Appius ad Ciceronem de Auguratu scripserat. J. F. GRONOV.

De tuis sumpsero] Ambiguum relinquit, monumentis intelligi, velit, an litteris vel scriptis. Erat monumentum Clodiorum in foro, in quo essent statuæ Dearum, et ut videtur, inter illas Minervæ, quæ *Appiades* dicebantur. Ovidius III. de Arte, V. 452: *Appiadesque Deæ*; et I. de Arte, vers. 81. de Remedio, vers. 660. Convenit etiam intelligere *litteris*. Quasi enim sibi domi non esset Minerva, sed contra curta scribendi supellex, dicit se ab Appio Minervam mutuam sumpturum, hoc est, ex illius scriptis animum, et facultatem scribendi (ut poetæ ex Homero; quasi quodam Helicone) accepturum, et deinde Deam, quæ subministraverit ingenium sibi, non Pallada, sed Appiada vocaturum, quippe quam Appio deberet. IDEM.

Melius enim ei cavere] Hoc dicit: Ego volo ei cavere, ne, si non Jurisconsultus esse appareat, hoc ei sit

fraudi apud te, et dedecori. Notissimum enim est proprie Jurisconsultos dici *cavere alicui*, cum provident consilio, scriptove, sollemnibusque formulis instruendo, ne quis in contrahendo decipiatur. Ovid. de Arte Am.

Illo sæpe loco capitur consultus amore,
Quique aliis cavit, non cavet ipse sibi.

GRÆVIUS.

M. T. C. PROCONSUL APPIO PULCHRO IMP. S. D. 2

ARG. Ciliciam provinciam sortitus, Appium ex ea decessurum rogat, ut sibi eam quam maxime aptam explicatamque tradat. *Anno* U. C. 702.

Contra voluntatem meam] Deposuit enim provinciam consul, qua de re in ep. 2. lib. V. Ad Catonem vero ep. 4. lib. XV. *Provinciam ornatum, et spem triumphi non dubiam neglexi.* MAN. Vide Orationem quartam in Catil. initio.

Voluptatem] Cum officii me tui memorem, gratumque cognosces. IDEM.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D. 3

ARG. Significat se Appii legatum Brundusii invenisse, suum expectare, cum quo proxime navigaturus sit. Rogat interea, cum Sulpicius consul, contra Senatus voluntatem, impediisset, ne supplementa scriberentur, ut Appius, sibi commodet, nec milites, quos habeat, dimittat. *Anno* U. C. 702.

Præsidio] Ob metum Parthici belli. MAN.

Bibuli] Cui Syria obtigerat, post Crassum a Parthis interfectum. ID.

Legionibus] Plutarchus cum Cicerone in Ciliciam ivisse narrat duodecim millia peditum, duo millia, et sexcentos equites. Quanquam in equitum numero suspicor esse mendum. Non enim cum duabus legionibus tantus videtur equitatus esse potuisse. Nisi si sexcenti Romani, reliqui omnes auxiliarii, extra ordinem, metu scilicet Parthici equitatus: qui post Crassi necem imminere Romanis provinciis videbatur. ID.

Integrum] Vide infra, ep. 6. Aberant tres cohortes. IDEM.

C. Pontinium legatum] Prætorium, ac triumphalem. Hunc Πομπίνιον, et Πομπτίνιον Græci libri nominant: ex Latinis alii *Pomptinum*, alii *Pomtinum;* nonnulli, quos secutus sum, *Pontinium*, ut inter Romanas gentes, quæ in *ius* desinebant, agnoscatur. Ciceronis, Ciliciæ proconsulis quæstores fuere L. Mescinius, Cn. Volusius, C. Cælius; legati, Q. Cicero ejus frater, C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius; tribunus mil. Q. Fufidius; præfectus evocatorum, Antonius; præfectus fabrum, Q. Lepta; scriba, M. Tullius; accensus, Pausanias; interpres, M. Marcilius. De quæstore Mescinio, ep. 19. et 20. lib. 5. ep. 26. lib. 13. ep. 6. lib. 16. De Volusio, ep. 11. lib. 5. ad Att. De Cælio, qui paucis diebus ante, quam Cicero decederet, in provinciam venit, ep. 19. lib. 2. et ad Att. ep. 5. lib. 6. De legatis, ep. 4. lib. 15. De tribuno mil. ep. 12. lib. 13. De præfecto evocatorum, ep. 6. h. lib. De præfecto fabrum, ep. 7. h. libr. De scriba, ep. 20. lib. 5. De accenso, ep. 7. h. lib. De interprete, ep. 54. lib. 13. MAN.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D. 4

ARG. Expectari a se scribit L. Clodium cum mandatis. Suum studium pollicetur, cujus causas exponit. *Anno* U. C. 702.

Tuam mihi existimationem] Merito hoc promittit: erat enim in potestate successoris, si vellet, decessorem graviter onerare ac lædere, acta ejus res-

cindendo, quod et fecit Cicero, dum dum justitiæ studet, sed quam lenissime poterat. J. F. GRONOV.

Libro augurali] De augurum disciplina scripto: de quo fit mentio ep. IX. et XI. et apud Festum. MANUTIUS.

Duarum ætatum] Senescente jam Pompeio, Bruto juvene. MAN.

Tam honorifice a te approbata] Cui præsertim tuum, honorificum et luculentum testimonium dederis, libro de augurali disciplina mihi dicato. J. F. GRONOV.

5 M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

ARG. Appio gratias agit, dantí operam, ut expeditam provinciam traderet: deinde itineris rationem exponit, ut Appius de congressu statuat. *Anno* U. C. 702.

Tralles] Urbem Lydiæ. MAN.

Hominem] Vict. Man. Lamb. *homine.*

Neque enim obscuris personis] Proprie *obscuris personis.* In theatrum enim veniunt histriones larvas induti, quæ quos significent, ignorant spectatores. Ubi occasio erit demonstrandi, quis tibi vere faveat, quis simulet: partes geremus, quas omnes facile intelligent esse amici. J. F. GRONOV.

Quod classe tu velles] Id est, quoniam classe tu velis decedere: nam *dixit quod velles,* pro *dixit te velle,* latinum non est. Sensus est, dixit me serviturum commodo tuo, si accessissem ad maritimam provinciæ partem, quoniam tibi constitutum esset mare transire. *Per fore accommodatum tibi* elegantissime, pro, *Peraccommodatum,* ut I. orat. 47, *nobis vero ista pergrata sunt perque jucunda.* ID.

Tua ratio] *Ratio* non est voluntas, non negotium, non consuetudo, non consilium; quid igitur? unico verbo non satis videtur explicari posse: hic quidem, *Tua ratio postea est commutata,* valet, mutasti quod te facturum ostenderas: non eadem fuit sententia tua. MAN.

Ad Iconium] Lycaoniæ urbem, ubi erant castra. CORRAD.

6 M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

ARG. Ostendit congressum, a se expetitum, ab Appio vitatum: se tamen ei fore amicissimum: qui ut locum constituat, ubi convenire possint, sui itineris certiorem eum facit. *Anno* U. C. 702.

Ad Sidam] Side, vel Sida, Pamphyliæ urbs maritima cum portu.

In prima provincia] Hoc est, in prima regione provinciæ. Sic *ultima provincia* est extrema regio provinciæ. Cic. V. ad Att. ep. 16. *Appius ut audivit nos venire, in ultimam provinciam se conjecit.* GRÆV.

Ad decedendum] Lex Cornelia, L. Syllæ dictatoris, concedebat rectoribus provinciarum, ut per triginta dies post successoris adventum in provincia morari possent. MAN.

Et est in multis] Abest hoc a meo vetere libro; et sane glossema esse potuit antecedentium verborum. IDEM.

Forum Tarsi agere] *Forum agere* est conventum in provincia juris dicundi gratia habere. *Fora* enim fuerunt loca in quibus jus dicebatur, teste Nonio. GRÆV.

Evocatorum] *Evocati* erant emeriti maximam partem, qui expletis stipendiis in gratiam Ducum aut Consulum militiam sumebant; et, ut auctor est Dio, vices instar Centurionum gerebant. Erant immunes operum et munium. Iis præerat *Præfectus,* ut ex hoc loco apparet. Vide Lips. de Milit. Rom. lib. 1. Dial. 8. GRÆV.

Cohortes] Quas secum Appius habebat. Nam exercitus universus erat in Lycaonia, unde abesse dixit tres cohortes. Vide ep. 4, lib. XV. MAN.

Ego in provinciam veni prid. Kal.

Sex.] Laodiceam, quæ non erat in Appii provincia, sed inter τρεῖς διοικήσεις Asiaticas Ciceroni attributas: et ideo Ciceronem Appius salva lege Cornelia poterat convehire. CORRAD.

Per Cappadociam] Non et alia erat, eaque brevior, in Ciliciam via: quam cur omiserit, exponit ep. 4. lib. 15. MAN.

Castra movi ab Iconio] *Movere Castra* dicuntur Imperatores, cum locum mutant, alioque proficiscuntur. Hinc sumpta metaphora Virgil. Æn. III. 519.

Dat clarum e puppi signum: nos castra movemus,
Tentamusque viam. GLANDORP.

M. T. C. IMP. S. D. APPIO PULCHRO. 7

ARG. Querelam Appii refellit; contraque ipse queritur: et virtutem extollens contra nobilium arrogantiam, se amicissimum fore confirmat. *Anno* U. C. 703.

Imp.] Sic est inscribendum, non *Procos.* Scripsit enim, ut ipse ait, hanc epistolam Laodiceæ: quo se contulit æstivis confectis, id est, Amaniensibus victis, qua victoria imperator appellatus est, et Pindenisso capto. Fuit autem Laodiceæ a III. id. Febr. usque ad non. Maii: quod ep. 2. lib. 6. ad Att. ostendit. MANUT.

Legati Appiani] Magna semper varietate scriptus est hic locus, cum nonnulli *Apamæani* pro *Appiani* legerent: sed falso, ut puto: nam et *Appiani* ubique habent veteres codices, et hos populos esse provinciæ, cui Cicero præerat, docet Plinius lib. V. cap. 29. his verbis: *Alter conventus a Synnada accipit nomen: conveniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylæi, Midæi, Julienses, et reliqui ignobiles populi XV.* Cum igitur vetustissimorum codicum lectio, ratione, et optimorum auctorum testimonio confirmetur, non video cur temere mutanda sit. VICTOR. Harduinus non *Cercopeni*, sed *Eucarpeni.*

Ædificationem] Monumenti, vel templi in honorem Appii, quasi Appius quidam servator et Deus provinciæ fuisset: ut fieri solebat. Lib. V. ad Att. 21. *nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino: statuas, fana, πάθημα prohibeo.* Suet. Tib. 26. Oct. 52. J. F. GRONOV.

Accenso meo] Apparitorum multa genera, inter quos accensi quoque erant, dicti, quod sæpius ad necessarias res accirentur, ut ait Varro. MANUTIUS.

Ambitiosius] Studiosius: cum nullum officii genus soleam prætermittere. MAN.

Quidni?] Ciceronis, non Appii verba: ideo parenthesi includenda. ID.

Appius Lentulo] Appius succedens Lentulo decedenti. IDEM.

Urbanitate, quæ est virtus] Multum huic nomini tribuisse Stoicos ostendit etiam Plutarchus in commentario, quo declaravit, quomodo deceat adolescentes legere poetas: diversam enim et penitus contrariam vim apud illos habere ἀστεῖον nomen alteri quod est ἀμαθὲς, intelligitur ab eo qui locum eum Plutarchi accurate animadvertit: disserit autem quemadmodum Stoici nihil commune esse judicarent virtuti ac vitio: et quemadmodum Urbanus apud illos (ita autem vocabant virtute præditum) omni culpa vacaret, et omnes res rectè facere posset. Imperitus autem (id erat apud illos vitiosus) omnibus criminibus obnoxius esset, et in omni semper negotio laberetur. Verba ipsius hæc sunt: Πολλὰ πάνυ τοῖς Στωικοῖς, &c Hæc adnotasse mirifice utile esse credo ad hujus loci perspicuitatem. VICTORIUS.

Appietatem] Productione nominis fit sonitus auribus ingratus: et simul ipsa res, nomini subjecta, deformatur. Appius autem novum Ciceronis nomen, præ suo Lentulique contempserat. Quam superbiam irridet Cicero, Claudiæ familiæ insitam, ut

ex omni patet historia, et his maxime Taciti verbis lib. I. *Tiberium Neronem, maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia.* MAN.

Ut, quid sit ἰυγένια, quid sit nobilitas, intelligas] Ut intelligas, utrum idem sint, an inter se differant ἰυγένια, et nobilitas. Quasi dicat: falleris, cum vel te putas, quia sis ἰυγενὴς, hoc est, claro genere natus, ideo nobilem esse, vel me, quia non sum ἰυγενὴς, propterea nobilem esse non posse. Potest enim ἰυγένια esse, ubi non sit nobilitas; et nobilitas, ubi non sit ἰυγένια. Nobilitas enim a majoribus non accipitur, sed virtute, magnisque in rempub. meritis comparatur. Hæc fuit Athenodori sententia: quam homo novus Cicero libenter probat. Aristoteles autem in Politicis libris nobilitatem in majorum claritate, et in opibus ponit. MAN.

Sandonis filius] Patris nomen adjunxit, ut eum distingueret ab altero Athenodoro, ejus æquali. Nam, ut ait Strabo lib. 4. Athenodori duo fuere: quorum alter, qui Cordilio vocatus est, cum M. Catone vixit, et apud eum obiit: alter vero, Sandonis filius: quem et Cananitam a quodam vico appellant, Cæsaris Augusti præceptor fuit. De hoc ipso Athenodoro Suidas mentionem facit: et idem Sandonem Philosophum nominat, hujus opinor, Athenodori patrem. ID.

Laborarim] Cum aliis in rebus, de quibus ep. 9. tum in supplicatione tibi decernenda, de qua epistola ultima. IDEM.

Παρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι] *Apud me quidem et alii, qui me colant, maxime autem consiliarius Jupiter.* Iliad. A. 174.

Φιλαίτιος] Querulus. IDEM.

Certo judicio susceptam] Eo susceptam animo, ut perpetuo conservarem. Hoc dicit, ne videatur ficte in gratiam rediisse: quod suspicari Appius videbatur, cum in malam partem acciperet ea, quæ minime contra ejus existimationem a se fieri Cicero voluerat. MAN.

8 M. T. C. PROCONSUL S. D. APPIO PULCHRO.

ARG. Refellit, quæ Appius objecerat, probatque, si quid egerit, quod inique interpretetur Appius; aut imprudenter illum facere, qui malevolorum sermonibus credat; aut astute nimis, qui, quæ sibi in mentem veniant, aliis attribuat. Deinde gratum sibi esse ostendit, quod de urbanis rebus perscripserit, et promiserit de suis: in quibus id maxime rogat, ne prorogari provinciam concedat. Tandem de bellicis provinciæ rebus addit, et crebras poscit litteras. *Anno* U. C. 702.

Cum ad urbem esses] *Esse ad urbem* dicebantur, qui cum potestate provinciali aut nuper e provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent. Sic enim scripsit Asconius: eoque modo Cicero, Sallustius, et alii ejusdem ætatis locuti. Solebant autem, qui ob res in provincia gestas triumphum peterent, extra urbem exspectare, donec, lege lata, triumphantes urbem introire possent. Et de triumpho Appium cogitasse, ex ep. 10. cognoscitur; ne triumpharet, accusatione Dolabellæ factum est, ep. 6. libro octavo. MAN.

Hominum provincialium] Quibus de meo in te animo falsa narrantibus credidisti. Phryges et Lycaones nominat ep. 10. IDEM.

Ex superiore, et ex æquo loco] Et pro tribunali, et privatis in locis, sive ut supra, *in conviviis.* IDEM.

Ad legatos] Questus erat Appius, quod legatos civitatum Romam ire, ut Appium in senatu laudarent, prohibuisset. IDEM.

Totum genus legationum] Hanc unam ob causam legatos Romam ire, ut te laudarent, nesciebam. IDEM.

Ut nunc loquimur] Non quod, *Urbanus*, novum esset verbum, cum eo Plautus quoque non semel usus esset; sed quod nova significatio. Quod enim peregrini homines ab urbanis

morum elegantia et lepore vincebantur; inde cœptum Ciceronis ætate, *urbanus homo* dici, pro eo, cujus in factis aut dictis nihil odiosum, nihil inconditum, nihil turpe notaretur. Epistola etiam proxima urbanitatem in Appio laudavit. MAN.

Synnadis] Oppido Phrygiæ.

In ea enim civitate] Ex his verbis, proxime legendum, *Synnadensium*, non *Myndensium*, conjicio: cum dixerit jam, *idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis verbis disputavisse*. MAN. *Midaensium* legi oportuit, ab oppido Phrygiæ Midaio, quod Græci Μιδάιον scribunt. Fuit enim pars ea Phrygiæ sub proconsulis Ciliciæ administratione, a qua longe Myndos Carica abfuit. QUART.

Legitimo] Quantum lex Cornelia concedebat. Epistola decima. MAN.

Edictum] Ex quo in provincia jus dicerem. IDEM.

Translatitium est] Usitatum, quod ad omnes consuetudine transfertur. Hæc igitur est sententia Ciceronis. Quod edixi, ne legati Romam injussu meo proficiscerentur; ex quo suspicatus es, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem: novi nihil feci, aut a me exquisitum, ut minuerem dignitatem tuam: translatitium id fuit, usitatum antea. Cum enim nec privatæ rei causa, nec ut homini privato, nec ut in privato loco, sed ut in senatu gratias tibi agerent, mitti legatos intelligerem; cur in eo me de tua privata contumelia cogitasse putas? Quod si tua privata res, non publica, ageretur; querendi fortasse de me si non veram, speciosam tamen causam haberes. Nunc, si privatæ rei causa legari credidissem, plane desipiens fuissem. MAN.

Neque cum edixi] Duo videtur Appius objecisse Ciceroni: primum edixisse, ne quis injussu suo e provincia discederet: secundum, trans Taurum abiisse, quo civitatum legati eum persequi non possent, ut facultatem eundi Romam peterent. Quo facto videbantur excludi, id est, omni eundi Romam potestate privari. Hoc ultimum confutat Cicero, dum ostendit nihil fuisse opus, ut eum Legati extra Taurum persequerentur, siquidem prius montem Taurum quam transiret, istius generis legationes jam audierat. QUART.

Nisi forte postea cœperunt legare] Cicero sic argumentatur: Nullam habuerunt causam me sequendi in castra magistratus urbium et diœcesium, qui tibi legationem decreverunt, cum ego per illorum fines iter fecerim, in iisque tam diu sim commoratus, ut possent me omnes commodissime convenire, et de illis legationibus mecum agere, quippe quas jam ante adventum meum constituerant. Ergo non necesse fuit quenquam hoc nomine me sequi in castra et trans Taurum, et nec ego quenquam edicto meo exclusi legatione, quod tu scribebas. GRÆ.

Commoratus] *Biduum Laodiceæ, quatriduum Apameæ, triduum Synnadis, totidem Philomeli.* Sic enim scripsit ad Catonem ep. 4. lib. 15. Aliter tamen ad Att. ep. 16. et 20. lib. 5. Commoratus autem, quia jus in iis oppidis dixit. *Qua jurisdictione nihil æquabilius, nihil lenius, nihil gravius esse potuisse*, scripsit ad Att. ep. 20. l. 5. MAN.

Venditionem tributorum] Est, locationem et redemptionem, cum universa summa tributi præsens sumitur a publicanis ad hastam invitatis. J. F. GRON.

Capitum, atque ostiorum] Cum per singula capita atque ostia exiguntur tributa per eos, quibus vendita sunt. MANUT.

Inducerentur sumptus] Ne propter sumptus minime necessarios, illæ per se satis graves exactiones onerarentur. Ne in eas sumptus inutiles imputarentur. II. Agrar. 26. *Hic ager omnis, quoquo pretio emptus erit, tamen ingens pecunia vobis inducetur.* I. Verr. 14. *Pecuniam grandem, quemadmodum in rationem inducerent.* Infra, ep. 10. J. F. GRON.

Per magistratus suos] Hoc adjunxit, ne perditas ab Appio civitates vi-

deatur dicere. Perditas tamen per Appium maxime, significat in epistolis ad Att. atque hæc ipsa tributa memorat ep. 16. lib. 5. MAN.

Negligens] Non potui esse facilis ac liberalis in decernendo hoc sumptu, sive permittendo, ut hunc, qui minime necessarius est, sumptum facerent. *Negligens* hic rara et exquisita significatione accipitur pro prodigus, effusus in sumptus, cui opponitur *diligens*, hoc est frugalis, parcus. Suet. Galb. 14. *His diverso vitiorum genere grassantibus adeo se abutendum permisit et tradidit, ut sibi ipse constaret: modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior, quam conveniret principi electo, atque illius ætatis.* Sicut *acerbior* hic opponitur *remissior*, sic *parcior* opponitur *negligentior*. Horum vitiorum sibi contrariorum exempla statim subjicit; negligentiæ quidem, quod a comitibus donari gratias, vectigalia, et immunitates passus sit. Ibid. cap. præcedenti: *Ordinario dispensatori breviarium rationum efferenti paropsidem legumisis pro sedulitate ac diligentia porrexisse.* Diligentia hic est frugalitas, parsimonia, propria patrisfamilias virtus, qui *diligentes* dicuntur, hoc est frugi. Cicero IV. in Verr. *Diodorus homo frugi ac diligens, qui sua servare vellet.* Plaut. Amphit. III. 3.

Recte loquere, et proinde ut diligentem decet uxorem. GRÆV.

Ad generum tuum Lentulum] Pompeius filius, et M. Brutus, generi hujus Appii laudantur ep. 4. Lentuli autem nusquam mentio: neque id nomen codices Græviani habent: estque suspectum Manutio: glossema Ursino: cui Grævius ad subscribendum pronus est. CELLAR.

Quod iisdem diebus meus conventus erat Apameæ] Hoc est, quod iisdem diebus ego jus dicerem Apameæ. ID.

Calliddius] Cum ironia. Potius enim stultitia, quam calliditas est. MAN.

Quod te putem nolle dici] Legendum esse, *quod te putem non nolle dici*, declarat id quod sequitur non longe admodum. Ibi, *Hos ego sermones, quod et multi sunt, et tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessivi nunquam*, &c. Nam hæc verba, *quod te putem non nolle dici*, hanc vim habent, de quo te putem non laborare, si dicatur, quia scilicet existimationem tuam non lædat. Quod si liceret libris consentientibus reponere, *quod te putem non valde nolle dici*, vel sic, *quod te putem non nimium nolle dici*, &c. multo magis probarem. LAMB.

Lædi se putat] Notat homines provinciales, qui non eosdem e Ciceronis institutis fructus caperent, quos ex Appii administratione capere consueverant. Huc spectat id, quod sequitur: *Liberalitas tua latius in provincia*, &c. Alii legendum arbitrantur, *Lædi te putat:* discedentes primum ab antiquis libris, deinde etiam (ut mihi videor ostendisse) a mente Ciceronis. MAN.

Limavit] Μεταφορικῶς: minuit omnes inutiles sumptus quasi conferendo. VICT.

Ut sim dulcis mihi] Ut meæ laudi consulam. Aperta translatio, contrariis expressa, ut in Lælio: *Scitum est illud Catonis, multo melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videntur.* MAN. Hæc Gronovius charactere distinxit, tanquam ex veteri auctore desumpta verba. CELL.

Sententia bima] Ut provinciæ per biennium ab iisdem obtinerentur. MANUT.

Amanum] Quo in monte quæ gesserit, scripsit ad Cælium ep. 10. lib. 2. sed copiosius ad Catonem ep. 4. lib. 15. IDEM.

Parthico ornatu] Quo plus terroris inferrent. Finitimi Syriis Arabes sunt: ideo facilis irruptio est. Ep. 8. lib. 8. IDEM.

Hispaniam] Quam per legatos absens administrabat, acceptam lege Trebonia in quinquennium. ID.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D. 9

Arg. Appii litteris humanissime scriptis, humanitate pari respondet, eique de triumphi spe gratulatur, et ad absolvendos augurales libros hortatus, petit ut supplicationem sibi decerni curet. *Anno* U. C. 703.

Appianorum] Vide ep. 7.

Ἐπικούριον] Esse hoc ejus hominis, qui Epicuri sententiam sequeretur, id est, qui ad se ipsum omnia referret, et in sua utilitate cuncta poneret. Vide lib. VII. ep. 12. Man.

Si quid velis] Te rogant quæsitum num quid velis, num quid habeas ibi quod nunciari conficive velis. Erat propria et solemnis formula qua utebantur abituri, offerentes suam operam et ministerium ad quævis officia. Nihil frequentius apud comicos. Græv.

Longi subsellii judicatio] Est res, ad quam decernendam multi requiruntur qui judices sedeant, quæ a magno judicum consessu definienda est, ut hic senatus, qui de triumphis judicabat. Græv.

Reliquum quod est promissi ac muneris] De libris auguralibus. Corr.

Supplicatio] Pro rebus in Amano monte gestis: ex qua victoria imperator appellatus est. Man.

Discessum senatus] Discedebat senatus Aprili mense, cujus fere dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat. Idem.

Aliis rebus additis] Capto Pindenisso die quinquagesimo septimo, postquam oppugnari cœptum erat. Idem.

Æstivisque confectis] Cum in hiberna milites dimittuntur; nec jam bellum geri per anni tempus licet. Idem.

M. T. C. APPIO PULCHRO S. D. 10

Arg. Appium Dollabella, reversum e Cilicia, de majestate, et de ambitu accusaverat, quo tempore Tulliam duxerat, filiam Ciceronis. Id factum, inscienti se, conatur probare. Præterea suspicionem impeditæ legationis, quæ ad laudandum illum decreta fuisset, conatur eripere. Addiderat gestorum in provincia narrationem, quæ periit. Tandem auguratur, censuram ei delatum iri. *Anno* U. C. 703.

Ereptum] Dolabellæ accusatione factum, ut triumphi spem abjiceres, urbem ingressus ad defensionem. Vide *Lib.* VIII. *epist.* 6. Cell.

Suscepturum officia] Ne quis ex provincia Romam iret, ut adversus Appium testimonium diceret. Hinc illud epistola sequenti: *De mercenariis testibus, a suis civitatibus notandis . . . fiet a me, cum per Asiam decedam.* Manut.

Qui a te tractatus est] Cum tu Cos. illi in petitione triumphi ex Allobrogibus victis, contra Catonem et Servilium prætores favisti. Corr.

Laodiceam] Ut in provincia operam daret, ne testes in Appium Romam irent, ex quo patet, accusatum Appium de rebus in provincia gestis, quibus majestatem populi Romani læsisse videretur. Man.

Amplitudo] Sic omnes Mss. quod cum durum nonnullis, sed perperam, videretur, *amplitudini* substituerunt. Cell. [Sensum facilius perspiciet, qui voces sic ordinabit: *Quin sollicitudo ista sit futura tibi amplitudo.* Quin ista sollicitudo incrementum tibi allatura sit amplitudinis ac dignitatis. Hoc ipsum est, quod ante dixit, putare se, Appio hunc *laborem etiam honori fore.* Olivet.]

Si vero efficis, ut censores creentur] Quod si accidat, fore non dubitat, ut Censor ipse Appius creetur. Itaque subjungit: *et si ita gesseris censuram.* Creatus autem est cum L. Pisone, in quem exstat Ciceronis oratio. Man.

Una] Una in primis. Habet enim non tam definiendi, quam augendi vim. IDEM.

Adolescente] Dolabella. IDEM.

Duobus capitis judiciis] Epist. II. lib. 6. scripsit se Dolabellæ periculis non defuisse. *Capitis* autem *judicium* fuit, quo libertas aut civitas amittebatur. IDEM.

Sermo stultus] Dictitabat fortasse, probari a Cicerone accusationem illam, hoc argumento, quod sibi tunc filiam suam collocasset. MAN.

Novam] Nuptiis filiæ conciliatam. IDEM.

Non tam imperavi, quam censui] Non tam hoc imperii, quam judicii fuit. Non hoc pro imperio feci, sed quod ita faciendum censui. IDEM.

Ad legem Corneliam] Sumptum videtur lex Cornelia definiisse, cum ad eorum laudem, qui provinciis præfuissent, legationes Romam mitterentur. Huc illud spectat, quod scriptum est epist. 8. *Laudaturum me, si quis quo sumptu functus esset officio; concessurum, si legitimo; non permissurum, si infinito.* IDEM.

Rationes] Tabulæ publicæ, in quas accepti expensique ratio refertur. IDEM.

Induxit] Usurpari solitum est hoc verbum in expensis perscribendis. Eodem modo locutus orat. 2. in Rullum: *Ut agros*, inquit, *a vobismet ipsis emptos, quanti velletis populo Romano induceretis.* IDEM.

Prope necesse esset] Quia frater tuus, P. Clodius, me oppugnaret. MANUT.

Te Puteolis prosequerer] In provinciam proficiscentem: quod in more fuit. Epist. 6. lib. 13. *Cum te prosequerer paludatum.* IDEM.

Interiores] Secretiores: reconditæ: quæ ad minus multos pertinent.

Ne per imprudentiam quidem] In oratione pro Gabinio: *Ego cum omnes amicitias tuendas semper putavi summa religione et fide, tum eas maxime, quæ essent ex inimicitiis revocatæ in gratiam: propterea quod integris amicitiis officium prætermissum, imprudentiæ, vel, ut gravius interpretemur, negligentiæ excusatione defenditur: post reditum in gratiam si quid est commissum, id non neglectum, sed violatum putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet.* MANUT. Vide lib. VIII. ep. 9.

Sacerdotii] Auguratus. IDEM.

Pro Milone] Reo ob necem P. Clodii. IDEM.

Adversante] Ita Grævius ex Victorio. Alii, *adversantem.*

Invidia] Quia suspicio fuit, consilio Ciceronis Clodium a Milone interfectum: idque Plancus et Q. Pompeius tribuni pleb. seditiosis concionibus persuadere populo conati sunt. MAN.

Armis denique texit suis] Exercitum eo tempore Pompeius in urbe habuit, ne quid respublica ei commissa, detrimenti caperet. IDEM.

Quæ a me profecta, quæque instituta sunt, cognosce. Atque hæc agimus] Ante hæc verba. *Atque hæc agimus* multa desunt: quis enim non videat hunc locum esse mutilatum et decurtatum: desiderarique explicationem eorum omnium beneficiorum, quæ Cicero in Appium contulerit, quæque conferre instituisset? Non erimus in hoc longiores, satis enim rem signasse fuit: si quis nobis felicior locum hunc et antiquiore et minus lacero exemplari restituere potuerit, is a me et studiosis omnibus magnam gratiam inierit. VICTOR. *Cognosce*, dixit, quia cum litteris commentarium mittebat de rebus a se pro Appio actis et agendis. Partem quidem ipsius epistolæ desiderari nullam puto. MAN. Animadversionem suam pluribus confirmat Victorius in *Posterior.*

M. T. C. APPIO PULCHRO *(ut spero)* CENSORI, S. D. 11

ARG. Gratulatur Appio de absolutione majestatis, et de ambitu similem eventum sperat. Laudatis Pompeio et Bruto, pollicetur operam suam ad notandos, qui testimonium in Appium pretio dixerant. Augurales libros ad otium utriusque servari, orationes autem mitti cupit; et humaniores litteras pollicitus, monet, ut proavum in Censura imitetur. *Anno* U. C. 703.

Pyramum] Fluvium Ciliciæ, qui ex Tauro monte in mare Pamphylium profluit, Issum versus. Strabo, lib. XII.

Permultum ante] Respuunt hoc aures meæ, cum Latini sermonis consuetudo, *permulto ante*, requirere videatur. Quanquam, Valla quid scripserit, non me fugit. Sed in antiquis fere omnia, (quanquam, mendosa non esse, quis præstat?) non omnia tamen imitor. MAN. Unus Manutio Lambinus obtemperavit.

De ambitu vero] Dices forsan: majestatis absolutus sum, sed adhuc de ambitu periclitor: quid interest, in ambitu hæream, an in majestatis crimine? Respondet Cic. παρὰ προσδοκίαν. Ad summam rei nihil interest: nam utriusque idem erit exitus: absolveris ambitus perinde, ut absolutus es majestatis. J. F. GRON.

Alteram auxisti] Majestatem vero P. R. adeo non minuisti, ut etiam auxeris; vel, Tuam ipsius majestatem auxisti, postquam judicio majestatis absolutus es. IDEM.

Veruntamen est majestas] Videat adversarius tuus, ne ipse majestatis reus sit: nam hujus legis caput est, ne viros honestos liceat contumeliose compellare. Atque in ea re Augustus discipulus Syllæ fuit. Tac. Ann. I. 72. *Primus Augustus cognitionem de famosis libellis specie legis ejus tractavit*, &c. IDEM.

Voluit] Lege Cornelia. Vide Indicem *Legum*, in limine Tomi IV.

Improbe] Improbus est, vel qui ambitum accusat, vel qui defendit. Cum enim largitio facta, aut non facta ignorari non possit; nemo vir bonus ejus delicti nomine quenquam accusabit, quo eum vacare satis liqueat. Rursus nocens reus improbe defendet, quod multorum testimonio probetur. Improbus igitur Dolabella, qui te de ambitu accuset, cujus honorum cursus nemini suspectus unquam fuit. Hoc totum pro Appio contra Dolabellam, generum suum, tempori serviens Cicero collegit: quod factum excusat in epist. ad Cælium lib. 2. his verbis: *Quid, si meam legas, quam ego tum ex tuis litteris misi ad Appium? quid agas? sic vivitur.* MAN.

Ab ipsu Rep.] Ab omnibus magistratibus et bonis. Hi enim Resp.

Pompeii et Bruti] Unam ex duabus Appii filiis uxorem duxerat Cn. Pompeii filius, alteram M. Brutus. *Epist.* 4. Brutus vero et laudavit reum Appium, et defendit. Illud ex Diomede, hoc ex libro de claris Orat. constat. MAN.

Notandis] Psephismate, vel Senatusconsulto, aut decreto civitatum. Vide me ad Liv. XXVII. 25. J. F. GRONOV.

Ad urbem] Eorum more, qui ex provincia cum imperio reversi ad urbem expectant, ut eis triumphus decernatur. MAN.

Tullius] Non videtur hic esse L. Tullius legatus, de quo epist. 3. lib. XV. et ad Att. epist. 4. 11. 21. lib. V. sed potius ex familiaribus Appii, quod Ciceronis verba demonstrant. Fuere igitur quinque Tullii. Præter Ciceronem nostrum, hic familiaris Appii, et L. Tullius legatus, et M. Tullius scriba, de quo epist. 20, lib. V. et L. Tullius Montanus, de quo epist. 50. ad Att. lib. XII. IDEM.

Præter omnes meos] Contubernales, vel de cohorte mea. J. F. GRON.

De proavo] Appio Claudio Cæco, qui solus toto quinquennio censor fuit. CORRAD.

12 M. T. C. APPIO PULCHRO S. D.

Arg. Gratulatur de absolutione ambitus: nuptias Tulliæ excusat se insciente confectas, quibus ipse ad declarandam Appio benevolentiam moveatur. *Anno* U. C. 703.

Tabellæ] Tabellis aut Judices absolvebant, aut condemnabant, aut ampliabant. Hæc pluribus verbis Asconius.

De me autem] Quod autem ad filiam meam, accusatori tuo collocatam, pertinet: suscipe meam personam, ut putes te esse, qui ego sum: tum intelliges, mihi ignoscendum esse, nunc hæsitanti. Quia nec tu facile inveneris, quod dicas. Hæsito autem, quia neque possum dicere probari a me novam affinitatem, quæ cum accusatore tuo contracta sit; nec improbare debeo, ne malis ominibus prosequar eam rem, quam tu quoque mihi prospere cupis evenire. Man.

Sed ita cecidisse] Scribendum censeo: *et ita cecidisse*. Sic enim cohæret oratio: prospero et opto. Ubi adversativa particula locum non habet. J. F. Gronov.

Agerentur eo tempore] Quo tu cum illo collisus es, ita ut viceris, quo facilius fore spero, ut me medio et interprete redeatis in gratiam. Idem

Cum aliqua felicitate] Ex spe, te et Dolabellam reconciliandi. Corrad. Non hoc solum Cicero dicit, sed latius felicitatem vult patere. Spero felix futurum hoc conjugium cum in aliis rebus, tum in hoc etiam ut in gratiam redeas cum Dolabella. Græv.

Opportunitas] Quæ sit, ut ego alterius amicus, alterius socer, hoc tuo tempore sim inter vos quasi interpres. Corr.

Ea de re] De nuptiis. Man.

Unum non *vereor, ne tu parum*] Una res leviorem curam meam facit, quod non dubito, quin satis intelligas, Tulliam esse desponsatam Dolabellæ me absente et ignorante, cum ut id fieret reperto commodo genero, Terentiæ et amicis Romæ relictis permisissem. J. F. Gronovius. Veterum librorum, quos ego vidi, consensus movet me, ut de manuscripta lectione non dubitem, quæ *modo vereor* habet, pro eo quod est in vulgatis, *non vereor*. F. Ursin.

13 M. T. C. APPIO PULCHRO S. P. D.

Arg. Appio gratias agit, quod suos in supplicatione decernenda adjuvisset: parataque illi officia pollicetur. De Dolabellæ reconciliatione non desperat: censuram obtentam esse sperat. *Anno* U. C. 703.

Quam *his artibus studiisque colimus*] Sic Mss. quos inspexi. Et videtur multo elegantius. Quis enim nescit bonis artibus et studiis, vitam coli et ornari? Græv.

Nihil ad te] Habet rationem Appii dignitatis, quia pluris facere adolescens Dolabella Appii amicitiam, viri in primis honorati, quam contra Appius Dolabellæ, debebat: accedebat æquitas: utrum enim decet, eum, qui injuriam intulit, an eum, qui accepit, de reconciliatione laborare? Man.

Nostrum est omnis] Ego efficiam, ut reconciliationis initia a genero meo proficiscantur. Idem.

Hac re novata] Quod mihi Dolabellam affinitate devinxerim. Idem.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER IV.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D. 1

ARGUMENTUM. Sulpicio, congressum petenti, respondet, suamque cum illius voluntate convenire demonstrat, et desperatum reip. statum deplorat. Scripta est epistola cum Cæsar in Hispaniam regressus Pompeii legatos oppugnaret. *Anno* U. C. 704.

Ad urbem] Ubi expectaret donec triumphus decerneretur. Vide lib. III. epist. 8. ubi de hac locutione dictum est.

Defensorem pacis] Nam, cum M. Marcellus consul et provincias Gallias ante legitimum tempus, et privilegium Cæsari, quod ei populus concesserat, ut absens consulatum petere posset, eripere conaretur; Sulpicius collega restitit; quod iniquum putaret ea rescindi, quæ populus jusserat; eamque fore civilis belli causam intelligeret. *Suetonius.* MAN.

Post consulatum] Cum C. Marcellus, M. Marcelli frater patruelis, consul eadem in Cæsarem tentavit: ut scripsit Suetonius. Is enim consulatum ex Marci fratris auctoritate gessit: ut legitur in epist. 9. cui successit L. Lentulus, et ipse Cæsaris causæ acerrimus adversarius. ID.

Veneram] Ex provincia. Venit autem pridie non. Jan. L. Lentulo, C. Marcello Coss. Abfuit igitur toto anno, quo C. Marcellus, Marci frater, cum L. Paulo consul fuit. IDEM.

Ejus] Cæsaris. IDEM.

Ut te imitarer] Ut irem in senatum. Id enim Cæsar cupiebat. IDEM.

Cum rogaret] Formiis: quod ex ep. 17. et 18. lib. IX. ad Att. intelligitur. IDEM.

De pace] Ut ageretur de concordia Cæsaris, et Pompeii. IDEM.

De Hispaniis] Senatui non placere, Cæsarem in Hispaniis contra Pompeii legatos proficisci. IDEM.

Res videas] Vulgati plerique: *Rem vides quo modo se habeat.* Antiptosis.

Tamen propius accedam] E Campania et maritima ora, quæ me, ut voluit Pompeius, habet *iniquum.* CONRAD. Vide *Fam.* XVI. 11. et 13. *Att.* VII. 11.

Fortasse arrogo] Fortasse enim mihi assentor, cum mihi tantundem, quantum tibi, tribuo. *Arrogare* dicimur *nobis ea,* quæ nostra non sunt. MANUT.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D. 2

ARG. Quærenti Sulpicio, quid faciendum sit, respondet cum laude ejus, si recta sequenda, certam rationem esse; non item, si utilia, quia Cæsaris causa firmior; honestior Pompeii. Longius ergo discedendum ab urbe, in qua quæ fiant, turpe sit probare, non probare periculosum. Sed quo eundum, difficilem esse deliberationem. Qua de re si colloqui velit, quam primum rogat, adveniat. *Anno* U.C. 704.

Philotimum] Libertum Terentiæ Ciceronis. Epist. 3. lib. VIII MAN.

Postumia, ... Servius] Illa, uxor Servii Sulpicii: hic, ejusdem filius.

Quod] Ordo est, *quod etiam ut ad te scriberem mecum egerunt.* GRÆV.

Nihil esset utilius] Ut quidem ipse Cicero putabat, cui, quod honestum,

id unum utile videbatur. Cæsar autem nihil melius, quam regnare existimabat. MANUT.

Nos fefellerit] Non Cæsar, sed id quod arbitrabamur. Dicimus enim simpliciter interdum: *Non me fallit.* Fefellit autem in eo Ciceronem opinio, quod Cæsar, cum ei nihil esset utilius concordia, rem tamen ad arma deducere maluerat. IDEM.

Geruntur] A Cæsare in Hispania contra Pompeii legatos; pulso enim Italia Pompeio, ad urbem Cæsar excurrit, inde in Hispaniam. Quo autem tempore cum Sulpicio collocutus est Cicero, bellum in Hispania gerebatur. Id cognoscitur ex ep. 11. 12. lib. X. ad Att. IDEM.

Quorum altera] Sic in decem antiquis libris: in duobus, *Quarum.* Antiquitatem magis redolet, *Quorum:* et vereor, ne quis ob verbum, *Altera*, scribendum putaverit, *Quarum.* IDEM.

3 M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

ARG. Sulpicium, a Cæsare Achaiæ post aciem Pharsalicam præfectum, consolatur, qui dolorem ex calamitate reip. ceperat. Scripta post Africanum bellum Cæsaris, ante Hispaniense. *Anno* U. C. 707.

Et meum quodammodo agnosco] Accipio non masculino genere, ut intelligatur *dolorem*, quod vult Manutius: sed neutro, ut sit aliquid mei moris. Plaut. Trin. III. 2. 5. *Neque meum est, neque facere didici.* Bacch. v. 2. 34. *Tu tuum facito, ego quod dixi, haud mutabo.* J. F. GRONOV.

Et prædicendo] *Prædicendo* hic locum habere non posse, facile assentiaris, animum si recte advertas. Non vereor, ne errem, si rescribam: *præcidendo. Præcidere bellum* eadem elegantia dicitur, qua *præcidere amicitiam* Cicero noster lib. I. de Off. cap. 33: *Amicitias, quæ minus delectent, et minus probentur, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente præcidere.* Plinius, lib. IX. ep. 1. *Cujus cunctationem nec res ipsa desiderat, et ratio præcidit.* Sæpius Cicero hoc verbo eadem potestate usus est. HEUMANNUS, *Parerg. Crit.*

Consilium tuum] Ne Cæsari ante concessum lege Trebonia tempus succederetur, et ut absenti consulatum petere liceret. In quo dissentiebat a M. Marcello collega. Epitome Liviana 108. Contentiones inter consules de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Cæsar ad petitionem consulatus veniret, &c. *Sueton. Plutarch. Dio, alii.* MAN.

Occidisse] Consulares, Pompeium Magnum, L. Lentulum, Bibulum, Domitium Ahenobarbum, Scipionem Pompeii socerum, prætorium, M. Catonem, &c. qui bellum paci prætulerant. IDEM.

Parietinis] *Parietinæ*, Parietum ruinæ. Cic. ad rempubl. transtulit, et, *Quasi*, præposuit, veritus ne paulo durior translatio videretur. Quod præcipit Crassus lib. 3. de Orat. *Mollienda*, inquit, *translatio est præposito sæpe verbo.* IDEM.

4 M. T. C. SER. SULPICIO S. D.

ARG. Sulpicii excusatione accepta ex parte, ipsiusque elegantia scribendi laudata, probat illius consilia, quibus Achaiæ administrationem non recusandam esse putarat. Narrat de senatus in Marcelli restitutione officio, de studiis Servii filii, et aliis rebus. *Anno* U. C. 707.

Litteras unò exemplo dedisses] Iisdem verbis scriptas. Exemplum veteribus est quod nos *copiam* dicimus. Cic, in epistolis sæpe dixit, *Ex litteris cognosces, quarum exemplum ad te misi.* GRÆV.

Εἰρωνεύεσθαι] *Dissimulare:* quod Socrati usitatum; cum iis, quos refellere

volebat, plus tribuere videretur. MANUTIUS.

Εἰρωνούμενος]. *Simulans.* Est enim ironia modo dissimulatio, ut proxime; modo simulatio, ut hic. Dissimulamus enim vera; cum occultamus ea, quæ sunt: simulamus falsa; cum ea fingimus esse, quæ non sunt. Late igitur patet ironia: et est omnino, ut ait Aquila, cum aliud verbis significamus, aliud re sentimus. Addit Beda, gravitate pronunciationis adjuvandam. Alioqui confiteri videbitur, quod negare contendit. IDEM.

Subtilitati et elegantiæ] *Subtilitas* in sententiis, *elegantia* in verbis. *Subtilitas* autem a Dialectica maxime sumitur, quam Sulpicius egregie cognovit. Alibi *Subtilitas* non idem valet, sed venustas potius quædam est orationis, et naturalis quasi color, nullo adhibito artis pigmento: qualis apud nos est Cæsaris sermo, apud Græcos Lysiæ. Itaque lib. 3. de Orat. *subtilitatem quidem illi Cicero tribuit, acumen autem Hyperidi.* Et in Bruto illud: *Lysias egregie subtilis scriptor atque elegans;* sic accipio, non ut acutum scriptorem Lysiam dici putem, sed ut purum, ut venustum, ut politum, ut plane Atticum. Attica enim subtilitas ipsa per se laudatur, iis carens ornamentis, quæ ab arte sumuntur. Qua laude Catonem Censorium afficit Cicero in eodem libro infra: *Qui in Græcis* (inquit) *antiquitate delectantur, eaque subtilitate, quam Atticam appellant, hanc in Catone non noverunt quidem. Hyperidæ volunt esse et Lysiæ. Laudo: sed cur nolunt Catonis?* Atticum igitur dicendi genus illud, in quo Lysias excelluit, (nam plura genera, ut ait Cicero, fuerunt) non ornatum, copiosum, illustre, ut Demosthenis et Æschinis; non acutum, ut Hyperidis; sed exile, jejunum, siccum, politum tamen et venustum fuit: idque tum indicant eæ, quæ extant, illius orationes: tum ipse Cicero, si Lysiæ orationes non haberemus, clarissime tamen ostenderet. Nam in eodem libro aliquanto post, *Atticum*, ait, *se Calvus noster dici oratorem volebat. Inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur.* Et paulo post: *Si quis jejunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere ponit; hoc recte dumtaxat; sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret, et gradus, et dissimilitudines, et vim, et varietatem Atticorum.* Et infra: *Si acutum, prudens, et idem sincerum, et solidum, et exsiccatum genus orationis probant; nec ullo graviore ornatu oratorio utuntur; et hoc primum esse Atticorum volunt: recte laudant. Est enim in arte tanta, tamque varia etiam huic minutæ subtilitati locus.* Nam, quod non ita multo post dicitur, *Lysia pictius esse nihil posse:* id affertur ex Attici persona, nimium in Græcos ambitiosi, et a Cicerone dissentientis, qui Catonem Lysiæ comparaverat. Cicero autem ipse de Lysia quid sentiat, declarat in Oratore his verbis: *Dicat igitur Attice venustissimus ille scriptor ac politissimus Lysias, (quis enim id possit negare?) dum intelligamus hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit atque inornatus, sed quod nihil habeat insolens aut ineptum.* Et paucis interjectis, *Qui Lysiam*, inquit, *sequuntur, non illum quidem amplum atque grandem, subtilem et elegantem tamen.* Hinc *agere causas subtiliter*, pro, simplici quodam et puro, et ad docendum, non ad promovendum, aut delectandum, apto dicendi genere in causis uti, dixit Cicero ep. 21. lib. IX. *Privatas* (inquit) *causas, et eas tenues agimus subtilius.* Et in Oratore: *Tenues, acuti, omnia docentes, et dilucidiora, non ampliora facientes, subtili quadam et pressa oratione limari.* Et infra: *Orationis subtilitas imitabilis illa quidem videtur esse existimanti, sed nihil est experienti minus.* Elegantiam autem differre ab ornatu, ostendit Cicero in epistola ad Cornelium Nepotem: *Quis* (ait) *sententiis aut acutior, aut crebrior? quis verbis aut ornatior, aut elegantior?* MAN.

Achaicum] Achaiæ administrandæ curam, a Cæsare mandatam. IDEM.

Aliter] Putasti te, cum ab urbe abesses, a molestiis etiam abfuturum. IDEM.

Collegæ] In consulatu. IDEM.

Ne hominis quidem causa] Ne ipsius quidem Marcelli causa, a quo graviter esset offensus. Quanquam (aiebat) in me fuerit acerbior; tamen, ne hac quidem causa, senatui deprecanti ejus reditum negabo. Non tanti apud me erit Marcelli ipsius injuria, quanti senatus universi consensus et deprecatio. Lib. VI. epist. 6. *Marcellum, cui maxime succensebat*, &c. IDEM.

Noli quærere] Cum res ejusmodi est, ut eam ne longa quidem oratione pro voluntate nostra satis exprimere videamur posse; confugimus ad hoc loquendi genus, et ad illud, *Quid quæris?* et similia quædam. IDEM.

Præter Volcatium] L. Volcatium Tullum, qui cum M. Æmilio Lepido consul fuerat, triennio ante Ciceronem. IDEM.

Si eo loco esset] Puto hoc dicit: negavit se in patriam fuisse rediturum, si Marcellus fuisset; id est, si eadem, quæ Marcellus consul, contra Cæsarem fecisset; et si cum Pompeio postea adversus eundem Cæsarem pugnasset, nec se, post victum Pompeium, victori credidisset: quæ cum Marcellus fecisset, inconstantiæ videbatur esse, nec satis honorificum, beneficio ejusdem in patriam redire. IDEM.

Metuo] Metuo, ne, cum in senatu loqui cœperim, idem posthac sæpe cogar facere, ut Cæsaris voluntati serviam. IDEM.

Me hanc remp. non putare] Me hanc remp. quæ nunc est in illius manibus, non habere pro rep. me præsentem statum adversari et abominari. J. F. GRONOVIUS.

Intra modum] Hoc est, etiam minus, quam modus permittit. Tria momenta sic exprimuntur, ut *intra modum*, vel *legem*, sit, minus, quam vult jubetque, aut saltem concedit lex, aut modus: *ad modum*, vel *legem*, ipsum terminum modi finesque describat: *ultra modum*, excessum, transgressionemque indicet. IDEM.

Ingravescit] Hoc est, crescit et augetur: non, ut putant nonnulli, fit molestius. FACCIOLATUS.

6 SER. SULPICIUS M. T. CICERONI S. D.

ARG. Servius, Græciæ præfectus, audita Tulliæ Ciceronis filiæ morte, mœrentem patrem undique conquisitis argumentis consolatur, ut epistola hæc perfectæ et elaboratæ consolationis exemplum sit. Scripta, cum Cæsar in Hispania Pompeii liberos profligasset: quod ex initio ep. 20. lib. XIII. ad Atticum constat. *A Cæsare accepi consolatorias, datas prid. Kal. Maj. Hispali.* Anno U. C. 708.

Callere] Quasi callo ex consuetudine facto sic obduruisse, ut novum dolorem jam non sentiat. Proprie Plautus in Pseud. *Plagis costæ callent.* MANUT.

An illius] Nullum mihi dubium est, quin legendum sit, *At illius, credo, vicem doles. Quoties*, &c. non vero, *An illius, credo, vicem doles?* ut pessime editum est. WOPKENS, *Lect. Tullian.* II. 2.

Cum aliquo adolescente primario conjuncta] Divortium cum Tullia fecerat Dolabella antequam pareret. Quod cum ex hoc loco, tum ex epist. 18. lib. VI. in qua sunt hæc: *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.* Scripsit tamen ad Dolabellam epist. 11. lib. IX. de filiæ morte cum amoris in eum significatione non vulgari, (ob eam causam opinor) quod temporis causa, Cæsare dominante, apud quem gratiosus erat Dolabella, simulandum fuit. Notanda Pediani indiligentia, qui Tulliolam scripsit apud virum suum P. Lentulum ex

partu decesisse: cum neque Lentulus inter Ciceronis generos quisquam fuerit; ut et illa, Sulpicii verba ostendunt, et ut ipso teste Cicerone probavimus, post divortium perierit. MAN.

Credo] Ironia: quasi credendum minime sit, ob ea quæ sequuntur. IDEM.

Pareret] Pepererat: sed infans obiit: de quo Cicero ad Att. X. 16. IDEM.

Liberalitate] Quo nomine non largitio tantum, sed officium quodlibet, omnisque benignitas indicatur. Quanquam ex, *Libertate*, aliquid etiam elicio sententiæ: ut ostendat Sulpicius, neminem amicis jam navare operam aut studium posse, cum libertas omnibus adempta sit. IDEM.

Hæc] Quæ cum patimur, jucunda esse vita non potest. IDEM.

Adolescentibus primariis] Tribus. Nupsit enim primum C. Calpurnio Pisoni Frugi, ut est in epist 2. lib. I. ad Attic. deinde Furio Crassipedi, de quo epist. 7. lib. I. ad Lentulum, et epist. 4. lib. II. ad fratrem; quo mortuo, vel relicto, (nam neque de obitu ejus, neque de divortio constat) P. Cornelio Dolabellæ collocata est. A Dolabella, ut diximus, dimissa, periit ex partu. In quo notanda Plutarchi et Asconii indiligentia, qui duos tantum Ciceronis generos nominarunt, Pisonem et Lentulum: in Lentuli etiam nomine peccantes: nam inter Ciceronis generos Lentulus nemo fuit. IDEM.

Apisci] Sunt nonnulla in hac epistola aliquanto antiquiora, ut *Confieri*, etsi Virgilius etiam ea voce usus est; et *Oppidum*, pro oppidorum, quod item ab antiquo codice acceptum est: et *Apisci*, pro adipisci, quam vocem sæpe et Lucretius, et Tacitus usurpant. VICTOR.

M. T. C. SER. SULPICIO S. D. 6

ARG. Respondet consolanti Sulpicio, gratum sibi ejus officium fuisse, nec id exiguo doloris levamento: maximam tamen sibi levationem ex reditu et consuetudine Sulpicii fore. *Anno* U. C. 708.

Vester] Ex vestra gente Sulpicia. C. Sulpicius Gallus, qui cum M. Claudio Marcello Cos. fuit. CORRADUS.

Consanuisse] Manutius legit, *consenuisse*. Metaphora est, inquit, ab iis morbis, qui licet vetustate non omnino tollantur, quotidie tamen ex consuetudine leviores fieri videntur. Non enim sublata ea mala Cicero significat, sed animum suum diuturnitate tanquam occalluisse, ut aliquanto minus ea sentiret: nunc autem veterem sibi acerbitatem novo esse vulnere renovatam. Gruteriani codices Manutio favent: sed Victorium sequimur.

Unius] Cæsaris. CORRAD.

M. T. C. M. MARCELLO S. D. 7

ARG. Laudato consilio, et prudentia Marcelli, qui abesse a patria perpetuo volebat; suadet nihilo minus, ut revertatur, quia id facile impetrare a Cæsare possit, nec tutius alibi, nec melius vivat, quam in patria et apud suos. *Anno* U. C. 707.

Ita gerendi] Quod urbem Pompeius primum, deinde Italiam, stulto consilio deseruit. Hoc in ep. ad Att. sæpe accusat Cicero, atque etiam ep. 11. lib. XVI. ad Tironem. MAN.

Copias] Militum numerum: quem cum, ante Cæsaris adventum, maximum promisisset, Cæsaris adventu nunciato, paratum exercitum non habuit: ex quo Favonii vox illa, *Nunc, Pompei, terram pede percute*: quia promiserat, ubi terram pede percussisset, illico futurum, ut adessent ingentes peditum equitumque copiæ. Quod postea non præstitit. ID.

Genus exercitus] Ex tironibus magna ex parte collectum. MAN.

In Africam] Ad Jubam regem, qui, Curione Cæsarianarum partium duce interfecto, equitatum firmissimum, et elephantos plurimos habebat. Ideo stultitiam eorum qui ad bestiarum auxilium confugerant, carpit Cic. epist. 6. lib. IX. IDEM.

Cujusmodi res esset] Qualiscunque status esset Reip. Censeo autem Ciceronem scripsisse: *cuicuimodi res esset*. Ut pro Sex. Rosc. 34. *Vereor enim cuicuimodi es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non pepercerim.* Sic advocat Priscian. I. 13. lib. III. de Finib. 9. *his tamen omnibus eos antepono, cuicuimodi sunt, qui summum bonum in animo atque in virtute posuerunt.* Nam in membranis *cuimodi*. Vulgo *cujusmodi*. J. F. GRON.

Deprecantur] Tuam salutem a Cæsare precibus petunt. *Deprecamur*, vel cum expetimus aliquid, vel cum recusamus. Prior significatio patet hic, et in oratione pro Marcello: *Cum*, inquit, *M. Marcellum deprecantibus vobis, conservavit.* Et ad Cornificium epist. 24. lib. XII. *Senatus legatos non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.* Alterius exemplum significationis unum illud pro Balbo, cum suppetant multa, recitabimus: *Quiddam de communi conditione omnium nostrum, deprecandæ malevolentiæ causa, deprecandum videtur.* MAN.

Non adhibemur] Nisi a fratre, ad consilium de tuo reditu capiendum. IDEM.

8 M. T. C. M. MARCELLO S. D.

ARG. Laudata Marcelli prudentia, pollicetur officia sua, et, ut domum, quicunque status reip. sit, revertatur, iterum admonet. *Anno* U. C. 707.

Unumque fortissimum] Sic lib. XV. epist. 16. *quanquam quicum loquor? cum uno fortissimo viro.* Philip. II. 3. *Tanquam mihi cum M. Crasso contentio esset, non cum uno gladiatore nequissimo.* J. F. GRON.

Putent] Pro *putent*, quod habent vulgati, leges, *etiam putem*. CORRADUS.

Si modo erunt tui] Quis non intelligit, carum suis Marcellum non fuisse? licet in obscuro causa sit. Ideo in epistola superiore: *A tuis reliquis non adhibemur.* Idque Marcellus ipse in suis litteris significavit, in eo loco: *In summa paucitate amicorum, propinquorum, ac necessariorum, qui vere meæ saluti faverent, te cupidissimum mei, singularemque benevolentiam mihi præstitisse cognovi.* MAN. Marcelli epistolam a Manutio laudatam hoc libro habes, num. 11.

9 M. T. C. M. MARCELLO S. D.

ARG. Reditum in patriam Marcello suadet, refutatis singulis, quæ dissuadere videbantur, præsertim quod nec aliter futurum fuisset, si vicissent Pompeiani. *Anno* U. C. 707.

Quod etiam majus] Contra in epist. 13. *Nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam id ipsum video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari.* Et ad Torquatum, epist. 1. lib. VI. *Oculi augent dolorem, nec avertere a miseriis cogitationem sinunt.* Est enim hoc in oratoris artificio, ut eadem res temporis causa modo oppugnet, modo defendat. Propterea in illis ad Nigidium ac Torquatum epistolis pro auribus contra oculos; in hac ad Marcellum, quem redire in urbem cupiebat, pro oculis contra aures argumentatur. MAN.

Ut nunc quidem est] Præsentem rei statum hoc loquendi genere veteres ostendebant: quasi dicerent, quid futurum sit, affirmare non licet: sed, ut nunc quidem est, res ita se habet. MANUT.

Communem] Communes Latinis di-

cuntur *comes*, aliter *civiles*, qui nihil singulare ac præcipuum sibi tribuunt præ aliis, qui non supra alios cives se extollunt, qui sunt populares, modesti, patientes juris legumque communium, qui non suo in omnibus utuntur consilio, sed et aliorum civium, hominumve. C. Nep. Att. 3. *Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.* Terent. *Quenquamne animo tam communi esse aut leni putes?* Sueton. Claud. 21. *Nec ullo spectaculo communior*, &c. GRÆV.

Honesto otio] Mitylenis, usurpatione et renovatione doctrinæ. CORRADUS.

Gladiorum licentia] Videtur aliquid Cicero divinasse. Infra, epist. 12. CELLAR.

M. T. C. M. MARCELLO S. D. 10

ARG. Hortatur Marcellum, ut reditum maturet, jam a Cæsare impetratum, cum id ad rem ejus familiarem valde pertineat. *Anno* U. C. 708.

In omnes partes] Ad omnia. Ut epistola 6. lib. XI. ad Att. *Brundusii jacere, in omnes partes molestum.* Et in epist. Vatinii, lib. V. *Me tibi in omnes partes defendendum putes.* Contrarium illud epist. 10. ad Att. lib. XIII. *Hoc nullam ad partem valet scilicet.* MAN.

Quod ad tempus] Non quousque, sed quo plane tempore. Sic epist. 5. lib. IX. *Ad nonas*, pro *nonis.* IDEM.

M. MARCELLUS M. CICERONI S. D. 11

ARG. Marcellus significat, se plus Ciceronis, quam fratris, hortatu commotum in causa reditus fuisse: litteras etiam, restitutionis nuncias, et gratulationem, et amicorum benevolentiam, maxime Ciceronis, sibi admodum placere, et gratam semper fore. *Anno* U. C. 707.

Obsecraret.] N. Scelsi codex, *oneraret.*

SER. SULPICIUS M. CICERONI S. D. 12

ARG. Marcelli cædem, perfecto narrationis exemplo ita nuntiat, ut antecedentia, media, consequentia ordinatim exponat. *Anno* U. C. 708.

Supra Maleas] Veteres libri omnes, *Maias*; non *Maleas*, quod omnino mendosum est. *Maleam* autem Virgilius, Livius, omnes denique nominant: *Maleas* vero unus, quod sciam: Plinius junior in epist. ad Trajanum lib. 10. Græcis verbis, ὑπὲρ Μαλέας. Quod si legatur hic *supra Maleas*, interpretaremur, superato Malearum promontorio, Laconicæ provinciæ, navigantibus valde periculoso. MAN. Hæc erat conjectura Victorii, quam receperunt omnes fere editiones, et id quidem merito. Nihil enim est certius et liquidius, si quis Plutarchi *(in Arato)* Pliniique loca consideret, quæ is attulit. Videtur autem locutio fuisse trita Græcis Latinisque, qua significabant cursum ex Asia et Græcia in Italiam per *Maleam*, sive ad *Maleam* appellerent naves, sive illic conscenderent ex Græcia in Italiam profecturi, sive ita navigationem instituerent ut illud promontorium præterveherentur non longe. GRÆV.

Seipsum interfecisse] Quod eum commissi facinoris pœniteret. Causam necis Cicero ignorat epist. 10. lib. XIII. ad Attic. Valerius hanc ponit lib. 9. cap. XI. quod cum esset Marcello Magius vetere conjunctus amicitia, eique in Pompeiana militia comes fuisset; indignaretur aliquos sibi amicorum ab eo præferri. MAN.

Puer] Servus. *Acidini:* Manliorum cognomen fuit *Acidinus.* Con-

stat ex lib. 2. de Orat. et lapidibus Capitolinis. IDEM.

Codicillis] Codicilli, tabellæ ceratæ erant, in quibus stylo pangebatur: a *codice*, id est, arboris libro, nominati. De codicillis Plinius, lib. XIII. cap. 13. et XXXIII. 1. IDEM.

Dominus eorum] Servis enim capitale erat, qui dominum non defendissent, ut ex Ulpiani verbis, Syllanum S. C. interpretantibus, cognoscitur. IDEM.

Religione se impediri] Nam lex XII. tabularum, de Solonis legibus translata ita habet, *In urbe ne sepelito, neve urito*. CORRAD.

Pro collegio] Consulatus. IDEM.

13 M. T. C. P. NIGIDIO FIGULO S. D.

ARG. Exulantem Nigidium consolatur, quantum potest qui in eadem causa fuit. Spem tamen futuri reditus ex certis signis facit: conditionis pristinæ facere non potest. Ideoque utramque fortunam ex æquo ferendam hortatur. *Anno* U. C. 707.

Nigidio Figulo] De *Nigidio* ipso, quæ legendo animadvertimus, hæc sunt. Scripsit libros de Animalibus, ut ostendit lib. III. Macrobius: et Plinius bis lib. XXIX. cap. 4. et 6. ejus utitur testimonio: librum de Extis, ut in Gellio lib. XVI. cap. 6. legimus: commentarios Grammaticos, ut idem Gellius lib. XIX. cap. 14. et Nonius prodidere. Interpretatus est comœdias Terentii, teste Donato. Videtur etiam scripsisse de Deis, quantum ex Arnobio licet conjicere: qui ejus testimonio in mentione Matris Deum, Neptuni, Apollinis et Jovis utitur lib. III. Hæc de scriptis: de doctrina subjungam. Gellius Varronem et Nigidium *doctrinarum culmina* lib. XIX. cap. 14. appellat, et idem lib. XIII. cap. 24. *in disciplinis doctrinarum omnium præcellentem* nominat, et lib. IV. cap. 9. *hominem juxta M. Varronem doctissimum*. Macrobius autem *maximum rerum naturalium indagatorem*, lib. III: idem lib. VI. *hominem omnium bonarum artium disciplinis egregium*. Servius quoque Honoratus hæc de eo tradidit, *Nigidius Figulus solus post Varronem, licet Varro præcellat in theologia, hic in communibus litteris: nam uterque scripserunt*. Nonius quoque, *Nigidius*, inquit, *studiis bonarum artium præclarissimus*. Nemo tamen illum melioribus extulit laudibus quam Cicero ipse idem ejus amicissimus. Nam in proœmio libri de Universitate, *Fuit*, inquit, *vir ille cum cæteris artibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum quæ a natura involutæ videntur. Denique sic judicio, post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est quodam modo, hunc extitisse qui illam renovaret*. Suetonius ait illum, cognita hora qua natus erat Augustus, affirmasse, dominum terrarum orbi natum. MAN. Vide quæ de hoc *Nigidio Figulo* notavit Jan. Rutgersius Var. Lect. III. 16. ubi Fragmenta ejus collegit. GRÆV.

Debebat] Meus primus, *debeat*, quod Gronovio merito probatur. ID.

Pari fortuna abjectus] Mss. *adfectus*, non *abjectus*. Sic alibi apud Ciceronem, *magna desperatione adfectus, magna molestia adfectus, tot tantisque difficultatibus adfectus*. J. F. GRONOVIUS.

Casus meos sustentabam] Nunc sustentari se dicit aliorum opibus, id est, eorum auctoritate et gratia, quos, veteri sibi necessitudine conjunctos, plurimum ob victoriæ societatem posse apud Cæsarem intelligebat. MANUT.

Mors] Perierant Pompeius, P. Lentulus, M. Cato, &c. MAN.

Fuga] Fugerant, post Africanum bellum, in Hisp. ad Pompeii liberos multi. IDEM.

Te socio] Plutarch. in Cicer.

Illud incendium] Catilinæ conjurationem: qua, tanquam incendio, nisi

nos opem tulissemus, resp. deflagrasset. IDEM.

Quibus est iratior] Propter bellum in Africa renovatum. MAN.

Respondere tristius] Veniam precantibus negare. IDEM.

Tristissimo meo tempore] Cum ejectus a Clodio exularem. IDEM.

M. T. C. CN. PLANCIO S. D. 14

ARG. Plancius bis Ciceroni, et de recuperata per Cæsarem dignitate, et de nuptiis cum virgine, dimissa Terentia, initis gratulatus fuerat. Utrisque litteris una epistola respondet Cicero: prioribus, non esse pristinam dignitatem, quam receperat: alteris, quæ causa fuerit novi consilii ineundi. Tandem solatur Plancium exulantem, eique nihil, præter communem calamitatem, timendum esse confirmat, cui sua denique officia pollicetur. *Anno* U. C. 708.

Evenire] De Publiliæ matrimonio, quam sexagenarius virginem duxit, dimissa Terentia, quia rem domesticam, ipso absente, negligenter administraverat; præter alias causas, quæ commemorantur a Plutarcho. Quintilianus lib. 6. cap. de risu, cum Cicero objurgaretur, quod virginem jam senex duxisset, respondisse ait, *Cras erit mulier*. Sed et hanc ab eo dimissam Plut. et Dio prodiderunt. MANUT.

Bello] Africano: quod Scipio Pompeii socer, et M. Cato, freti Jubæ regis auxiliis renovaverant. MANUTIUS.

Cædem] Cædem a Pompeianis timet, a cæsare servitutem. IDEM.

Res domesticas] Dimissam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipso absente, male tractasset, ærisque plurimum alieni contraxisset: quod ut dissolveret, virginem Publiliam, admodum divitem in tutelam sibi traditam, suadentibus amicis, uxorem sibi duxit. MAN.

Mea salus et meæ fortunæ] In fortunis uxorem accusat; in salute Quintum fratrem, fratrisque filium: qui vehementer illum, post Pharsalicam pugnam, apud Cæsarem oppugnarunt, cum se dicerent auctore Marco adversus illum arma cepisse. Ad Att. lib. XI. epist. 5. 8. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 21. IDEM.

Scelus] Et hoc in fratrem potius fratrisque filium, quam in uxorem, confertur. Scelus Quinti fratris nominat etiam in epist. 21. lib. XI. ad Att. IDEM.

Alteros] Cæsarianos.

M. T. C. CN. PLANCIO S. D. 15

ARG. Hortatur, ut communem fortunam fortiter ferat, nec propriam sibi postulet: eoque in se animo sit, quo fuerat semper. *Anno* U. C. 707.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER V.

1 Q. METELLUS, Q. F. CELER, PROCOS. M. T. C. S. D.

ARGUMENTUM. Queritur Metellus Celer, qui, prætor superiore anno, Cicerone consule, ex prætura Galliam pro consule regebat, Metellum Nepotem, fratrem suum, a Cicerone in Senatu oppugnatum esse. *Anno* U. C. 691.

Fratrem] Germanum: ut pater utrique fuerit Q. Metellus Nepos, Balearici filius, Macedonici Nepos. Nam hunc Nepotem, Ciceronis inimicum, filium, ejus Nepotis fuisse, qui cum T. Didio consul fuit anno DCLV. Pedianus ostendit in commentario Cornelianæ. MAN.

Ob dictum] Vid. quæ Cicero respondeat.

Bellum gero] Cum Salassis, et in alpinis gentibus, quæ nondum populo Romano parebant. Et cum iisdem pugnasse D. Brutum, cognoscitur ex ep. 4. lib. XI. IDEM.

2 M. T. M. F. C. Q. METELLO Q. F. CELERI PROCOS. S. D.

ARG. Respondet superiori epistolæ, querelæ Metelli, commemorando sua in eum officia, quibus ille non mutuo respondisset: nec fratrem ejus se oppugnasse, sed oppugnanti restitisse. Quem quod Celer tueatur, laudat ejus pietatem: suæ autem amicitiæ constantiam pollicetur. *Anno* U. C. 691.

Italiam] Cicero consul Q. Metellum miserat in agrum Picenum et Gallicanum, ut Catilinæ conatus impediret. CELLAR.

Provinciam] Cum ex consulatu in Galliam ire posset, maluit in urbe remanere. Quod ipsum epist. 4. lib. XV. scripsit ad Catonem: et ad Att. ep. 1. lib. II. IDEM.

De sortitione vestra] Legitur *et nostra*, hoc est, mea et C. Antonii: in qua primo mihi Macedonia, et illi evenit Gallia. CORRAD. Sed nihil mutandum censet Lambinus: et recte, opinor, sentit.

Collegas tuos] Prætores. Nam in magistratu provincias sortiebantur. Et Galliam Metello invidebant. MAN.

Ea præscriptione est] Præscriptio ejus SC. fuit: *Quod M. Tullius Cicero Cos. M. F. de provincia Gallia quæ Q. Cæcilio Metello evenit, ornanda, D. E. R. I. C.* ut intelligere est ex lib. VIII. ep. 8. Ex qua formula manifestum est studium et officium Ciceronis erga Metellum, in cujus gratiam ille hæc verba fecisse, atque ad Senatum retulisse, dicitur. Mirifice fallitur hoc loco Manutius. J. F. GRONOV.

Profectus es] Post sortitionem profectus est Metellus prætor non in Galliam, quam post præturam administrandam sortitus erat, sed in Picenum, in quo permansisse usque ad illud tempus, cum Catilina victus est, e Sallustio cognoscitur. Catilina superato, Galliam provinciam accepit. MANUT.

Proxime] Post necem Catilinæ videtur Metellus, antequam in Galliam iret, Romam revertisse. IDEM.

Parare] Nam extremo anno consulatus Ciceronis, id est, IV. idus Decembris, ut mos erat, magistratum initurus erat Metellus Nepos trib. pl. design. MAN.

Claudia] Impudica muliere, P. Clodii sorore, de qua in oratione pro Cælio, et ep. 1. lib. II. ad Att. ID.

Uxore tua] Quomodo uxor fuerit Celeris, cum ejus fratrem P. Clodium, fratrem patruelem Celeris nominet Cicero in oratione pro Cælio? an eadem et soror et conjux? sic opinor: ut Clodius et Clodia filii fuerint Cæciliæ, sororis ejus Metelli, qui Celerem et Nepotem genuit. MAN.

Verissimum pulcherrimumque jusjurandum] Hoc, remp. a se uno conservatam. De quo sic in oratione pro domo; *Reip. semper interesse putavi, me illius pulcherrimi facti, quod ex auctoritate senatus, consensu bonorum omnium, pro salute patriæ gessissem, splendorem verbis dignitatemque retinere; præsertim cum mihi uni in hac repub. audiente populo Romano, opera mea hanc urbem et hanc remp. esse salvam jurato dicere fas fuisset.* Et in Pisonem: *Ego, cum in concione, abiens magistratu, dicere a tribuno pl. prohiberer, quæ constitueram; cumque is mihi tantummodo, ut jurarem, permitteret; sine ulla dubitatione juravi, rempubl. atque hanc urbem mea unius opera esse salvam.* Idem confirmat Dio lib. 37. IDEM.

Indicta causa] Significabat, Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, Ceparium, conscios et participes conjurationis Catilinæ, indicta causa, contra leges moremque majorum, esse condemnatos. Animadvertisse autem in eos Ciceronem dicit, quod eo jubente in carcere strangulati sunt, ut Sallustius, Plutarchus, Dio scriptum reliquere. Appianus hoc addit, Ciceronem eos necari in conspectu suo jussisse, quod falsum est. IDEM.

Restitissem] Acerrime disputando. Scripsit etiam contra Metelli concionem: ut est in ep. 9. lib. I. ad Att. et in Gellio lib. XVIII. cap. 7. MANUTIUS.

Sedens] Assensio enim paucis verbis absolvitur. Stantes autem sententiam pluribus verbis dicebant. IDEM. Vide Sallust. Catil. 50. et 53. Gell. III. 18.

Q. METELLUS NEP. M. T. C. S. D. 3

ARG. De contumeliis cujusdam necessarii, qui P. Clodius videtur esse, queritur, in cujus loco Ciceronem, officiis perspectum, sibi optat esse, a quo petit, ut benevolentiam conservat. *Anno* U. C. 697.

Tametsi bis invitum eum servavi] Cum illum Ædilem faciendum curavi, ut judicium de vi vitaret: ad quod illum bis Milo vocavit. Nec me hic temporis ratio movet, quoniam epistolæ per tempora non sunt digestæ: ne miretur quispiam hanc sequenti esse præpositam. CORRAD.

Invitum] Nemo servatur invitus. Sed qui palam peccat, nec pœnæ metu flagitiis abstinet, is cum impunitatem adipiscitur, servari videtur invitus. Clodii autem cunctis pene sceleribus inquinatam vitam quis ignorat? MAN.

M. C. Q. METELLO NEPOTI COS. S. D. 4

ARG. Exul opem implorat consulis, et memoriam beneficii pollicetur. *Anno* U. C. 696.

Collega] P. Lentulo consule, Ciceronis reditum enixe curante: ut ex ep. et orationibus constat. MAN.

Tuas inimicitias] Fortasse quas cum C. Curione, qui de Dardanis triumphavit, acerbissimas gesserat. Vide Pedianum in commentario Cornelianæ. MAN.

Vim] Tribunitiam Clodii, et consularem Pisonis et Gabinii. CORRADUS.

5 M. C. C. ANTONIO, M. F. IMPERATORI, S. D.

ARG. Desiderat C. Antonii, sui nuper in consulatu collegæ, tum pro consulis Macedoniæ, officia mutua; deinde Pomponii Attici, qui has afferebat, in provincia negotium commendat. Silano, et Murena Coss. *Anno* U. C. 691.

Delata] De querelis tuis. Libentius enim ad querelas Antonii refero, quam ad id quod legitur *Att.* I. 20. de parte pecuniarum, quæ contra leges ab Antonio in provincia cogerentur, Ciceroni danda. MAN.

Reliqua] Quæ imminent, ut accusatio conjurationis: et quod Pompeiani prodromi nuntiant aperte, Pompeium acturum, tibi succedi oportere: eodemque tempore ageret prætor ad populum, quod contra Dardanos avare et ob id infeliciter rem gesseris. CORRAD.

6 M. C. P. SEXTIO, L. F. PROQUÆSTORI, S. D.

ARG. Narrat, quam adhibuerat diligentiam, ne P. Sextio, pro Quæstore C. Antonii in Macedonia succederetur. Addit de sua emptione, non sine joco; et de Sextii ædificatione. *Anno* U. C. 692.

Librarius] Qui libros transcribit. Liquet notio ex Ciceronis filii ep. 21. extrema, lib. XVI. CELLAR.

Homini prudenti] Roberti Stephani editio rectissimi scribit, *homini pudenti*, hoc est, homini frugi, ut ante ipsum appellat. GRÆV.

Q. Fufium tribunum pl.] Hic locus epistolam Messala et Pisone Coss. scriptam esse significat. Nam hoc anno tribunatum a Fufio gestum ait Dio lib. 38. idque confirmat Asconius, qui, quo tempore Clodius de incestu accusatus est, hujus Fufii opera factum tradit, ne a senatu asperius decerneretur. De incestu autem Clodii actum Pisone et Messalla Coss. ex ep. ad Att. lib. 1. in quibus etiam Fufius trubunus plebis nominatur, facile intelligitur. Idem, interfecto Clodio, acerrimus Milonis fuit adversarius: et a Cicerone notatur in oratione pro Milone, cum ait: *Divisa sententia est, postulante nescio quo: nihil enim necesse est, omnium flagitia proferre.* Biennio post, ædilitate omissa, præturam gessit Cæsare et Bibulo Coss. legemque de suffragiis tulit. Testis Dio. Consul fuit cum P. Vatinio, anno DCCV. ut fasti docent Capitolini. Socer fuit Pansæ consulis, qui Mutinensi prælio, partium reip. contra M. Antonium defensor, interfectus est. Defendit Antonium in senatu, a Cicerone oppugnatum: ut ex Philippicis et epistolis ad Brutum constat. Caleno cognomen fuit. *Phil.* VIII. 3. MAN.

De Crasso] A. Crasso. Notum loquendi genus. Hoc et in ea declamatione, quæ Sallustii nomine inscribitur, in Ciceronem confertur his verbis: *Domum ipsam tuam vi et rapinis funestum tibi ac tuis comparasti; videlicet ut nos commonefacias, quam conversa resp. sit, cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quæ P. Crassi, viri consularis, fuit.* IDEM.

XXXV.] Tricies quinquies: ut subaudiatur, *centenis millibus nummum.* Accepit autem mutua a P. Sylla, qui tum reus erat, *H-S. vicies*, ut ait Gellius l. XII. cap. 12. Hæc domus primum fuerat M. Livii Drusi, ejus qui tribunus plebis initio belli Italici a nescio quo est interfectus. Deinde possedit eam Crassus hic, a Cicerone nominatus; post Crassum, Cicero; post Ciceronem, Censorinus; post Censorinum, Statilius Sisenna. Quod Velleius lib. 2. memoriæ tradidit. IDEM. Vide Budæum, de *Asse*, lib. 3.

Conjurare] Jocatur: quia Catilina ejusque socii, cum æs alienum fœneratoribus solvere non possent, in patriam conjurarunt. Sallustius. ID.

Ex obsidione] Maximè enim contra fœneratores et locupletes facta

conjuratio est. Quo spectat illud in ep. 1. lib. I. ad Fratrem: *Publicani, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio incolumes se fortunas habere arbitrantur.* Et lib. 2. Off. *Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur: armis et castris tentata res est.* MAN.

Omnino semissibus magna copia est] Et hic locus diligenter etiam considerandus est. Alii legunt *omnino semissium*, vetusti codices *omni semissibus*. Nos lectionem eam secuti sumus quæ parum a priscis exemplaribus discederet, et sententiam eamdem retineret. In *semissibus* enim clari sunt et certi vetusti codices. Vox illa *omnino* quam restituimus, non integra in illis legitur, ut nonnihil scrupuli etiam restet. Mentionem facit hujus loci Hermolaus in II. editione Plinianarum castigationum lib. XIV. cap. 4. qui eandem fere quam nos emendationem probat. Quæ sit in veteribus exemplaribus scriptura, voluimus nos notum facere, cum videamus adhuc hunc locum titubare. VICTOR. Leg. *Bonis*, id est iis, quorum fides non laborat, parata facultas est pecuniæ mutuæ sub semissibus usuris, vel fœnore sex nummorum in centenos. Usuræ centesimæ, vel asses sunt unus nummus menstruus in centum, et sic duodecim annui. Usuræ deunces est nummus menstruus in centenos minus duodecima parte, et sic undecim nummi annui. Usuræ dextantes, decem in centenos annui. Usuræ dodrantes, novem. Usuræ besses, octo. Usuræ septunces, septem. Usuræ semisses, sex. Usuræ quincunces, quinque. Usuræ trientes, quatuor. Usuræ quadrantes, tres. Usuræ sextantes, duo. Usuræ unciæ, unus in centum annuus. Vide IV. *Obs.* 9. GRONOVIUS.

Bonum nomen] Id est, bonæ fidei debitor. Debitorum nomina in expensi codicem referebantur. Inde factum, ut *Nomen* acciperetur et pro debita pecunia, unde *exigere nomina*, in Verrem; et pro debitore, ut hic, et quod ab Alphio fœneratore dici solitum refert Columella, *vel optima nomina non appellando fieri mala.* MANUT.

Antonium] C. Antonium, collegam Ciceronis in consulatu, qui hoc tempore Macedoniam regebat. IDEM.

In senatu] Cum ageretur de Antonio ex provincia ob rapinas revocando: ut ex ep. 10. lib. I. ad Att. intelligo. IDEM.

M. T. M. F. C. CN. POMPEIO, CN. F. MAGNO, IMP. S. D. 7

ARG. Pompeio de victoria Mithridatica gratulatur: contra sibi illum de conjuratione disjecta nihil gratulari, exprobrat: amicum tamen ei fore pollicetur. *Anno* U. C. 691.

Quas publice misisti] Ex Asia de Mithridatico bello confecto. CORR. *Litteras publice mittere*, est ad senatum populumque Romanum scribere de rebus gestis. GRÆV.

Tuos veteres hostes, novos amicos] Crassum et Lucullum, Manutius. Ego vero intelligo reliquias Catilinariæ conjurationis, de quibus I. ad Att. ep. 14. *Barbatuli juvenes, totus ille grex Catilinæ.* Hos dicit veteres hostes Pompeii, quod ille omnibus Remp. turbare volentibus fortissime olim restiterat. Novos amicos, quia Pompeius in ep. de rep. per Ciceronem vindicata, et punitis supplicio sontibus nullum verbum posuerat, ne offenderet homines populares, eoque illis reconciliatus et amicus videbatur. J. F. GRONOV.

Ne cujus] Ut C. Cæsaris, aut M. Crassi, quos occulte favere conjuratis multi suspicati sunt. MAN.

8 M. T. C. M. LICINIO, P. F. CRASSO S. D.

ARG. Crasso in Syriam profecto, scribit, quanta eum contentione defenderit, et excusata, quæ intercesserat, simultate, amicitiam a primo in forum ingressu repetit, cujus constantiam pollicetur adeo, ut, interjectis nonnullis de filiis Crassis, has litteras fœderis vim habituras esse sanciat. *Anno* U. C. 699.

Vel tuendæ] Contra Atteium Trib. pl. ep. 8. lib. I. CORRAD.

Consulibus] L. Domitio Ænobarbo et Appio Claudio Pulchro. CORRAD.

Interruptum] Ob eam simultatem, quam inter eos Catilinæ temporibus exortam, quia Crassus conjurationis conscius et particeps putaretur, Plutarchus in Crassi vita prodidit. MAN.

Optatum mihi magis, quam speratum] Hoc refertur ad id quod sequitur, *Florentissimis rebus tuis:* quia rebus afflictis, non florentissimis, amor vere perspicitur. Mihi autem, inquit, contigit, quod optabam potius, quam sperabam, ut optimo rerum tuarum statu, mea tamen et memoria veteris nostræ necessitudinis, et post reconciliatam gratiam fides perspici posset. IDEM.

Ut primum] Hoc est, ab ineunte adolescentia, simul ac indui togam virilem deposita prætexta, ab amicis deductus in forum, ut transcriberer in viros. Cic. lib. XV. ep. 16. *Qui postquam forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenissimum amplissimæ dignitatis.* Pro quo in lib. XIII. ep. 10. dicit *in forum venire.* Suet. est *in forum deduci.* Solebant enim tum ab amicis deduci in forum atque in templa sacrificandi causa. Ipse dies, quo togam virilem capiebant, dicebatur *dies tyrocinii*, et annus ille, *annus tyrocinii:* qui pro captu adolescentum nonnunquam erat annus quartus, quintus aut sextus decimus. Certum enim non fuisse sat multis argumentis ostenderunt viri docti. Plerumque tamen fuisse quartum decimum satis apparet ex Servio, qui ad VII. Æn. notat, tirones anno quarto decimo exeunte togam virilem sumpsisse, quinto decimo armis se exercuisse in campo Martio, sexto decimo exeunte stipendia mereri cœpisse. GRÆV.

Violata] Sic ad Att. ep. 15. lib. I. *Illa, quæ violata, expiabuntur. Violari* enim dicitur, quasi sacrosancta amicitia sit. MAN.

Publio] Quo intercedente, Cicero et Crassus reconciliati sunt. Amabat is Ciceronem unice propter eloquentiam ep. 8. lib. II. ad fratrem: et in Bruto, cap. 81. Interfectus est a Parthis. IDEM.

9 VATINIUS IMP. CICERONI SUO S. D.

ARG. P. Vatinius, e consulatu Illyrici rector a Cæsare dictatore constitutus, Ciceroni dignitatem suam contra malevolos defendendam commendat. Scripta Cæsare IV. Consule sine collega. *Anno* U. C. 708.

Pro se causam] De supplicationibus obtinendis. CORRAD.

In periculo recepisti] Rem factum anno decimo fere ante. Ep. 8. lib. I. IDEM.

Liberalitatem] Est studium de aliis bene merendi. Ut lib. I. ep. 9. et lib. X. ep. 3. GRÆV.

Quo exemplo] Hoc est, exemplum, sive, ut barbari loquuntur, copiam epistolæ meæ ad Senatum de rebus gestis scriptæ, hisce litteris subjeci. IDEM.

Anagnostes] Eruditi et opulenti homines inter alia ministeria habebant quoque, qui ipsis cœnantibus, lavantibus, aut vigilantibus noctu aut alio tempore libros vel aliorum, vel suos legerent, hos *anagnostas* Græco vocabulo, ut Cic. I. ad Att. ep. 9. *lectores* Latino appellarunt.

Vardæis] Dalmatiæ populus.

Narona] Liburniæ civitas, postea colonia facta, ad fluvium Naronem.

P. VATINIUS CICERONI SUO S. D. 10

ARG. Agit de servo fugitivo Dionysio: de Catilio pirata captivo: de rebus a se gestis, et decernendis supplicationibus. *Anno* U. C. 708.

Non semissis] Id est, vilissimi ac nullius pretii. CELLAR.

Actiones] *Expostulare actionem*, est petere a prætore in urbe, aut prætore in provincia, agendi contra hunc aut illum copiam, sicuti *dare actionem* dicebatur prætor quos admittebat ad agendum, hoc est, jus suum persequendum in judicio. GRÆVIUS.

In cujus locum suffectus sum] Cui successi in provincia Illyrico. Non est autem hic Appius, ad quem Cicero lib. III. scribit, quippe qui bello civili periisset. (Val. Max. I. 6.) sed alius, qui rexit Illyricum A. U. C. 706. Cessare Dictat. II. GRONOVIUS.

Justissimi] Ob numerum cæsorum hostium. Sic ep. 10. lib. II. *Victoria justa imperator appellatus sum*. MAN.

Ego post supplicationes mihi decretas] In quibusdam libris ab hoc loco nascitur ep. novæ principium; ita ut ex hac X. fiant duæ, X. et XI. Nos unam facimus, ut probabilius est. LAMBIN. Scripta, necdum missa superiore epistola, certior factus de supplicationibus sibi decretis, in Dalmatiam, ut bellum conficeret, statim profectus est, oppida sex cepit. Quo facto eandem misit epistolam, quam per dies plures in manibus habuerat, ut aliquid de rebus a se post supplicationes gestis appingeret. MANUTIUS.

M. T. C. P. VATINIO IMPERITORI S. D. 11

ARG. Respondet epistolæ, quæ non extat, laudando gratum animum, et studium suum uxori, quam commendaverat, non defuturum pollicetur. Addit de Dionysio fugitivo; et spe triumphi Dalmatici. *Anno* U. C. 708.

Fidem dederis] Redire nolebat, pœnæ metu, Dionysius ad Ciceronem, a quo surreptis multis libris, aufugerat. Ep. 77. lib. XIII. MAN.

Improbus] Ut redire nolit. IDEM.

Captivum] Mss. *captum*.

M. C. L. LUCCEIO, Q. F. S. D. 12

ARG. Luceeium, historiarum scriptorem, rogat, ut de rebus suis, in consulatu gestis, et de exilio redituque, singularem separatumque librum conficiat. Ipse ad Att. IV. 6. hanc valde bellam epistolam dixit, quia omni arte usus est ut Lucceio persuadeat. *Anno* U. C. 697.

Luceeio] Alias, *Lucceio*.

Callisthenes Troicum bellum] Vide de hoc Callisthene et ejus scriptis Gerard. Voss. I. de hist. Græc. cap. 9. De hoc bello Homerus et Dictys Cretensis. GRÆV.

Timæus Pyrrhi] Fuit domo Siculus, Tauromenita, vixit tempore Agathoclis, cum bellum Tarentinum a Pyrrho geresetur in Italia. Vide de ejus vita et scriptis G. Voss. de Hist. Græc. lib. I. cap. 12. De hoc bello vero vide Flor. lib. I. cap. 18. Liv. ep. liv. XII. et seqq. Plutarchum in vita Pyrrhi. IDEM.

Polybius Numantinum] Vixit temporibus Ptolemæi Philometoris. De quo vid. Ger. Voss. lib. I. de Hist. Græc. cap. 19. De bello vero Numantino vid. Flor. XI. 18. ep. Liv. 57. et seq. Vell. II. 4. IDEM.

Conjurationem] Factam ipso consule a duobus maxime patriciis, L. Sergio Catilina, prætorio, P. Cornelentulo, consulari, et prætore iterum. MAN.

Herculem Xenophontium] De quo scribit Xenophon lib. II. Memorabi-

lium, et Cicero lib. I. de Off. his verbis: *Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam voluptatis, alteram virtutis, utram ingredi melius esset.* MANUTIUS.

Corpus] Hoc est, librum, volumen. In II. ad Q. Fratrem, ep. 12. *Sed utros ejus habueris libros (duo enim sunt corpora) an utrosque nescio.* Vitruv. *Cum corpus architecturæ scriberem.* Eodem modo Græcis σῶμα dicitur, ut σωμάτιον. Cic. VI. ad Att. ep. 1. *Hoc tuum σῶμα curabo ut habeas.* Hesych. Ἰλιὰς τοῦ Ὁμήρου σωμάτιον. Sic et *Corpus Juris*, eodem sensu. GRÆVIUS.

In legendo scripto] Videtur ad Ciceronis genium magis conformata oratio: si *scripto* deleatur, legaturque, *vehementer animos hominum in legendo retinere possit.* IDEM.

Fuga] Fugit ad Artaxerxem, Persarum regem, veritus iram Atheniensium, quibus in suspicionem venerat initæ cum Persarum rege contra Græciam societatis. MAN.

Redituque] Ad hæc verba Manutius scribit: *Reditum Themistoclis post fugam non invenio.* Hac re permotus Hieronymus Ferrarius legendum opinabatur, teste eodem Manutio, *interitu* pro *reditu.* Aliis placet *exitu* rescribere, aliis *obitu*: alii plane audent *redituque* delere. Sed hæc omnia ab antiquis libris dissentiunt. Mihi dubium non est, quin Cicero ἁμάρτημα μνημονικὸν admiserit, Themistocli tribuens, quæ de Alcibiade scripta reliquerunt Historici. Scribere igitur Cicero debebat, immo volebat, *Alcibiadis*, sed imprudens posuit *Themistocles*: id quod notare Criticus debet, non emendare. HEUMANNUS.

Ignotis nota faciebant] *Ignotis*, posuit, non pro iis qui ignorarentur, sed qui ignorarent illa simulacra: ut id quod patitur, accipiatur pro eo quod agit: antique. Nam et Plautus in Pseudolo: *Novi; notis prædicas:* pro, iis qui noverunt. Et noster in oratione pro Cælio: *De dignitate, Cælius notis ac majoribus natu, etiam sine mea oratione, tacitus facile ipse respondet.* MANUTIUS.

Perhibendus] Erat hic a Mureto annotatum in margine, *perennis.*

Dixit] His verbis: *O fortunate adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.* In oratione pro Archia, et Plutarchus in vita. MAN.

Hector] Vide lib. XV. ep. 6.

Præcones] Præcones in ludis gymnicis erant poetæ Melici, qualis fuit Pindarus, et alii, qui lyra et cantu certatim Olympionicorum laudes et præclara facta celebrabant. Ex magno autem Poetarum numero, qui cæteris ingenio præstitisse putabatur, is et Olympionici coronam imponebat; cum tamen ejus patriam, non eum, coronari pronunciaret; et ipse, tanquam Poetico certamine victor, ab alio Poeta, eum laudante, coronabatur. *Plin.* lib. XVI. cap. 4. IDEM.

13 M. C. L. LUCCEIO, Q. F. S. D.

ARG. Consolationi respondet, qua se mire levatum esse fatetur, ut forti animo sit, etsi de rep. desperet. Cæsare IV. consule sine collega. *Anno* U. C. 708.

Casus enim gladiatorii] Gladiatorum similitudine Lucceius probare studuerat, non esse penitus de rep. desperandum: cum sæpe, qui jam victus ab adversario gladiator videtur, is ita convaleat, ut victorem prosternat. MAN.

Erimus etiam in omnibus desperatione fortes] Vulg. *in omni desperatione fortes*, cum alius codex præ se ferat, *in omnium rerum desperatione fortes:* sed nostra omnino melior, quam accepimus ex Pall. pr. tert. quint. Gruter. Vatic. videturque ideo hæc lectio immutata, quia non cuivis

puero plana et obvia: sed non sic *itur in alta*. GEBHARD. Cum id etiam Grævius receperit, nihil muto: neque hac tamen via iturum me in alta confido. Gebhardi optimi pace dixerim, mihi vulgatam placere. Neque unquam ita locutus est Cicero, neque unquam, opinor, ita sensit, ut se *desperatione fortem* diceret. Aliud fortitudinis genus, non barbarum illud noverat. OLIVET.

L. LUCCEIUS Q. F. M. T. CICERONI, M. F. S. D. 14

ARG. Quærit, cur tamdiu ab urbe absit Cicero. Laudat, si propter otium scribendi fiat: non probat, si propter mœrorem ex morte filiæ. Deinde rationes compescendi doloris addit: rationibus adjungit preces, et modeste claudit. *Anno* U. C. 708.

Discesserat] Cæsar scilicet.

Eorum, quorum consuesti] Genus loquendi Græcis usitatum: apud quos relativum, quod appellant, congruit cum eo quod antecedens nominant. LAMB.

Ad consuetudinem vel nostram] Lusus elegans in voce *consuetudo*, quæ cum refertur ad τὸ *nostram communem*, significat familiarem usum, conversationem; cum ad τὰ *tuam solius ac propriam*, significat morem ac rationem vivendi. J. F. GRON.

Non offendas] *Offendere* quinque modis accipitur. Aut enim est *lædere:* quæ notissima significatio est: propterea supersedeo exemplis. Aut *reperire:* ut ep. 9. lib. I. *Non offendes eum bonorum sensum, mi Lentule, quem reliquisti.* Et ep. 14. lib. IV. *Tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam republ. offendissem.* Aut *incidere:* ut lib. II. de Invent. *Quod si in cæteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent.* Aut *peccare*, vel aliquid committere, unde existimationis, honoris, benevolentiæ jactura fiat. Ut ep. 7. lib. I. *Si cecidisset ut volumus et optamus, omnes te et sapienter et fortiter; sin aliquid esset offensum, eosdem illos et cupide et temere fecisse dicturos.* Et ep. 18. lib. II. *Si dignum se majoribus suis præbuerit...sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit.* Et pro Cluent. *bis apud judices offendisset.* Aut *passive* sumitur: quæ minus nota significatio est. Non enim est hic, *offendas*, pro *pecces*, ut credidit homo doctus, exemplis adductus alio spectantibus, sed pro *offendaris*. Quod ipse probat Cicero. Nam. ep. 1. lib. I. ad Q. Fr. *Si quis est*, inquit, *in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris.* In Verrem lib. 1. act. 2. *Hospes Janitor, veritus ne quid in ipso se offenderit, hominem summa vi retinere cœpit.* Et Cæsar lib. II. bel. civ. *At, credo, si Cæsarem probatis, in me offenditis.* Quæ si attendantur, profecto patiendi vim potius habere videbuntur, quam agendi. MAN.

M. CICERO L. LUCCEIO, Q. F. S. 15

ARG. Respondet superiori epistolæ, lugere se non tam filiæ obitum, quam reip. tempora, ob quæ ab urbe absit, in qua nihil jucundum, odiosa omnia. In studiis exiguam medicinam superesse. *Anno* U. C. 708.

Vulneris] Ex obitu filiæ.

Quod vinculum, quæ res deest nostræ conjunctioni?] Sic Manutius: sic etiam Lambinus, nisi quod omittit, *quæ res*. Nec erat cur id Grævius mutatum vellet.

16 M. T. CICERO TITIO S. D.

Arg. Consolatur diligenter amicum, obitum liberorum immoderatius ferentem. *Anno* U. C. 709.

Memoriæque litteris proditæ] Vulgo *et litteris* inserta copula, quæ melius abest. Instrumentum sexto casu significatur.

Tuarum rerum cogitatione] Non puto, *Tuarum rerum*, de fortunis dici, sed de liberis immatura morte ereptis: ut sit, *Tuarum rerum*, pro, *tuorum incommodorum:* quod indicant et quæ antecedunt, et quæ sequuntur. Man.

In qua si resideat] Mss. prim. Græv. Amstelod. tres Pall. Grut. *et quasi resideat.* Quod propter librorum consensum notandum. Græv. Ex illo membranarum *et* Cellarius facit *ex*, legendumque arbitratur, *et qua si resideat*, &c.

Functum] Gebh. et Græv. *functurum.* Ejusdem pretii lectio utraque. Docti eligant.

17 M. CICERO P. SEXTIO P. F. S. D.

Arg. Excusat tarditatem litterarum, et Sextium hortatur, ut sapienter et fortiter exilium ferat, ad id vario usus consolationis argumento. *Anno* U. C. 700.

P. Sextio] Corrado est hic Sextius, Ciceronis contra Clodium defensor, ab eodem posthac luculenta oratione defensus. Manutius vero alium esse, multis argumentis contendit. Cell.

Invidia annonæ] Videtur Ædilis fuisse: unde invidia in causa annonæ. Id. Distinctionem vero non agnoscit Manutius inter has voces, *annonæ inimici non solum*, &c. neque est, inquit, inusitatum Ciceroni duobus uti generandi casibus, ut in lib. de Senect. *Quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis juris studio loquar?* Et lib. II. de Nat. deor. *Iis artibus, quarum judicium est oculorum.*

Publio tuo] Filio tuo. Cell.

Hominem te, et virum] Ab homine sapientiam, a viro fortitudinem postulat. Est enim ἐμφασις in *Virum;* ut in epistola sequenti: *Te colligas, virumque præbeas.* Et in Bruto: *Vidi Mitylenis virum, et vidi plane virum.* Manut.

Non cepisse] Libris omnibus veteribus invitis, edendum curavi, *non dedisse.* Lamb. Meus primus liber, *testimonium non accepisse.* Melior est lectio hæc, quam vulgata. *Accipere* enim Ciceroni et aliis scriptoribus infinitis in locis est audire, intelligere. Græv. Laudetur Grævius, quod nihil tamen mutaverit.

18 M. CICERO T. FADIO S. D.

Arg. T. Fadium, judicio damnatum, et ideo exulem consolatur a miseria communi, et virtute propria, nec non a commodis exilii, quo liber sit ab impendentibus malis; tandem ab innocentiæ testimonio: quibus sua adjungit officia. *Anno* U. C. 701.

T. Fadio] Sic est in Pall. quint. Vaticano. Sicque edidere Victorius et Lambinus. Vulgo *T. Fabio*, qui fuerat cum P. Sextio Tribunus pleb. Male. Fabii enim nobilissimi. Hic autem fuit homo novus, ut innuit ipse Cicero. Gerhard.

Dedit] Dedit hominum studia, honores, existimationem. Man.

Sis habiturus] Hæc spes est reditus. Forte non perpetuo exilio damnatus fuit, sed ad certos annos. Cellarius.

Una sententia] Quæ eum sententiæ damnarunt, una tantum plures fuere, quam quæ absolverunt. Man.

Potentiæ alicujus condonatum] In quo reus non ob culpam, sed ob potentiam adversarii, vel alicujus judicum damnatus sit. Vide IV. Pec. Vet. 9. J. F. Gron.

CICERO RUFO. 19

ARG. Pompeio Italia pulso, Mescinius Rufus, Ciceronis antea quæstor in provincia, in illius, tanquam reip. castra transire, non plane certus cogitabat: quem Cicero confirmat, et ut maneat in sententia, suadet. *Anno* U. C. 704.

Cicero Rufo] Hos titulos epistolarum quemadmodum in antiquis exemplaribus invenimus, ita scripsimus: id alii postea facere neglexerunt. Quod si res magni ponderis non est, non est fortasse tam levis quam quispiam existimaret. Ita frequenter scribere solitos esse veteres duobus in locis, quod nunc meminerim, testatur Cicero: in quibus etiam non parum referre docet, prænomina ponantur, et tituli honorumque gradus, an nominibus tantum, qui scribit, utatur: alter est in epistola ad Volumnium, 5. *Quod sine prænomine, familiariter ut debebas, ad me epistolam misisti*, &c. alter in Oratione pro domo sua: *Litteras in concione recitasti, quas tibi a C. Cæsare missas diceres: CÆSAR PULCHRO. Cum etiam es argumentatus amoris esse hoc signum, cum nominibus tantum uteretur: neque adscriberet* Proconsul, *aut* Trib. pl. ita enim legendus ille locus est, non *Proconsuli:* pertinet enim ad Cæsarem vox illa, quemadmodum alia ad *Pulchro*. Tertium exemplum esse potest, si quis his contentus non sit, titulus epistolæ M. Antonii, quæ in XIII. Philipp. inclusa est. Hujus autem et sequentis epistolæ nomina nuda sunt in priscis et bonis libris. VICTOR.

L. Mescinius Rufus fuit Ciceronis in Cilicia Quæstor: unde paulo post Ciceronem decessit, et Romam venit, Cicerone jam oræ maritimæ præfecto. CORRAD.

Etsi mihi nunquam dubium fuit] Si temporum ordo servatus esset ab eo qui has Cic. epistolas retulit in volumina, quædam (ut arbitror) nobis magis plana essent, neque in multis locis tantopere hæsitaremus. Hæc, nisi fallor, illam sequi debebat cujus initium est, *Quoquo modo potuissem*, non præcedere. Obscurum est totum negotium, de quo hic agit: quid tamen sentiamus, libere pronuntiabimus, freti æquitate lectorum. Cum illa non multo postquam e provincia Cicero rediit, scripta sit: hæc jam suscepto civili bello, et pulso ex Italia Pompeio scripta est. Exornabat jam Tullius fugam, et in castra Pompeiana proficisci cogitabat, cupiebatque comitem habere illius consilii et itineris Rufum: de quo ipse Rufus in epistola sua spem aliquam Ciceroni dederat: quod tamen cum cupide Cicero optaret, modeste cantequé rogat: quia res multum periculi, si emanasset, habebat: ideo obscure loquitur, ne si forte litteræ in alienas manus incidissent, aliquid mali molestiæque ex ea re susciperet. VICTORIUS.

Liberius] Nam in provincia officio quæstorio adductus videri poterat eum studiose colere: cum præstare quæstor prætori suo debeat, quidquid officio potest; nec in eo liberum judicium sit. Confecta vero provincia, verus animi sensus apparet necessitudine quæstoria solutus. MAN.

CICERO RUFO. 20

ARG. Excusat se Rufo, querenti per litteras, quod rationes provinciæ ad ærarium, eo non expectato, detulisset. Ipsum enim vel addita quædam, vel immutata in iis cupere. Tota est de rationibus, et ob id obscura, etiam, variantibus libris, si quæ alia vexata. *Anno* U. C. 704.

M. Tullius, scriba meus] Ciceronis libertus, fortasse Laurea cognomento, cujus egregios versus, in Ciceronis academiam scriptos, recitat Plinius

lib. XXXI. cap. 2. Neque enim Tiro liberatus est, nisi posteaquam e provincia ad urbem Cicero rediit: at ille scriba, qui rationes in provincia tractavit, libertus omnino fuit. MAN.

Jus vetus] Mos vetus erat ut ad urbem is, qui proconsul erat, cum quæstore suo rationes conferret, priusquam ad ærarium referret. Jus autem vetus est, quod fuit ante legem Juliam. GRÆV.

Quam cui dedi] Hoc est, tibi. Nemo fuit, cui tutius ac fidelius hoc negotium committi potuerit. J. F. GRON.

Rationes referre *properarim*] Ita legendum. Ad ærarium puta. Etsi causæ impellerent atque urgerent graves, ut primo quoque tempore hoc officio edendarum ad ærarium rationum defungerer: tamen id dilaturum fuisse usque in adventum tuum, nisi putarem frustra exspectari, ut conferremus, cum jam depositæ essent. Nihil enim jam poterat mutari: eum utrumque codicem concordari oporteret. IDEM.

Latis] Alii, *relatis*, vel delatis. CORR. Videtur scribendum, *collatis*. Supra: *Nisi tecum . . . contulissem*. J. F. GRON.

De Volusio quod scribis] Volusius, multæ nomine, magnam pecuniæ vim publice debebat. Eam pecuniam Valerius periculo suo exigendam a Volusio susceperat, prædesque dederat: quos puto Ciceronis legatum et præfectum fuisse; id enim sequentibus verbis indicatur. Videtur autem Cicero, cum rationes conficeret, Volusium liberare voluisse, et a prædibus multam amovere, ut eorum fortunis consuleret. Quod ejus consilium et factum infra demonstratur. Contra Rufus Valerium quidem, et prædes liberare, sed nomen illud a Valerio ad Volusium transferre cupiisset. Quod Cicero ex amicorum, præcipueque Camilli hominis peritissimi sententia, fieri non potuisse demonstrat: aut enim Valerii mancipiis prædes teneri, qui se pecuniam illam, a Volusio debitam, curaturos jam promiserant: aut si prædes liberandi essent, Volusium quoque simul oportere liberari: quod utrumque ut fieret, rationem a se initam esse infra Cicero dicit. MAN.

Reliquum] Ita distingue. Ejus, quo usus non eram, quodque restabat inconsumptum, id retuli, populo scilicet, in rationibus scripsi vel scribi curavi, seu testatus sum et residuum salvum esse. Manutius vult simul cum rationibus eam pecuniam ad ærarium relatam: quod fieri potest, ut quandoque factum fuerit: sed hoc proprie verbis his non explicatur. J. F. GRON.

Ut multa] Si in re obscura licet divinare, censeo Volusium quendam fuisse publicanum, et reipublicæ debuisse XXX. sestertium. In ejus locum postea successisse Valerium, et non solum conduxisse vectigal illud, sed et reliqua Volusii solvenda in se suscepisse, et hoc nomine prædibus prædiisque reipublicæ cavisse. Ideoque prædes ejus tenebantur, quos liberare cupiebat Cicero. *Multa* vero dicitur hic pecunia, quæ et a mancipe Volusio, et ejus prædibus solvenda erat. Hæc mea de hoc loco sententia est: modo sit sanus, sed dubito. GRÆV.

Cum populus] Hac sententia: Putavi esse boni viri, cum possem, nullo populi damno, commodare civibus, et eorum fortunas sustentare. VICT.

Nam de Lucceio] Scaliger ad Catullum emendat, *Nam de lucello est ita actum*. Satis constat vitiosum esse τὸ *Lucceio:* sed multo constat magis alienissimum esse *lucello*, quod ille substituit. *Vides*, inquit, *privatum amicorum ac civium vocari lucellum*. Ego vero non video. Nam duo genera diversissima sunt, hoc *quod in fano positum* est, et istæ *fortunæ amicorum vel civium*. Fortunæ istæ sunt ipsum patrimonium vel bona Volusii, et prædium Valerianorum et Marii: at illa pecuniæ publicæ pars: neutra ullam lucelli hujus, de quo agitur, habet imaginem. Nam cur ponebatur in foro, si distribuenda erat prætoriæ cohorti? J. F. GRON. *Nam de*

logeio habent omnes præter hunc nuper Venetiis impressum excusi codices. VICT. Vide mox Lambinum.

Quando de logeo parum gratum est] Ego quam proxime potui, accessi ad scripturam antiquam. Nam libri manuscripti hoc loco sunt corrupti: sed tamen partim sic habent, *quando de logeo parum gratiosum est*, partim *gravissimum est*. Vulgati autem, *parum provisum est*, quæ lectio tolerabilis est: nec eam damnamus. Præterea quod ad vocem *logeum* pertinet, nos putavimus utrobique, et supra, ibi, *nam de logeo ita est actum*, &c. et hic, *quando de logeo*, &c. eandem rem agi: ideoque idem nomen poni oportere. *Logium* autem, seu *logeium*, vox Græca est, quæ significat, præter alia, locum ubi rationes referuntur, et ubi deponuntur. LAMB. Forte scripsit Cicero, *si quid est, quod de legato parum gratum visum est*. Nimirum de legato, quem cum præfecto maxima calamitate levare cupiebat, ut supra ostendit. GRÆV.

In pecunia exacta] Recte in meo libro scribitur, *in pecuniæ exactu*. Cur non veteres *exactus* ut *abactus* dixerint? Et sane ab hoc verbo eos non abhorruisse ostendit etiam Quintil. declamat. 19. *Sacrosanctus mercator opportunum mercis exactum puto invenit*. Pro *ita efferre* nonnulli libri legunt, *ista referre*. Hinc Ciceronis hæc fuisse verba colligo, *te certe in pecuniæ exactu ista referre ex meis rationibus relatis non oportuit*. Hoc est: Te non oportuit in rationes pecuniæ a te exactæ referre, quod ego in meas rationes ad ærarium relatas jam ante aliter retuleram. Videtur enim Cicero HS. nongenta millia in rationes suas retulisse, quæ postea in pecuniam a se forte post Ciceronis decessum exactam quoque retulit Rufus. Sed viderint acutiores. Alii aliter mutant. Nihil in re tam obscura definio, nec mihi ipse satisfacio. GRÆV.

Ita efferri] Sic lege. Ex rationibus a me relatis causam capere cur mihi succenseres. Pro Cœl. 9. *læsi dolent, irati efferuntur*. De Harusp. resp. 2. *dolore me elatum et iracundia longius prope digressum*. GRON.

De beneficiis] Comites et contubernales magistratuum et adjutores publicorum negotiorum deferebantur in beneficiis ad ærarium a Proconsulibus et Propræt. et Quæstoribus, cum redirent ex provinciis. Non hoc erat emolumentum, ut Scaliger ad Catul. notat, sed merus honor et commendatio illarum personarum apud populum Romanum, profutura illis, vel ad majora emolumenta ab rep. consequenda, vel ad pericula, si quæ extitissent, sublevanda, tanquam olim meritis, ut judicio et beneficio principum honestarentur. Sic Archiam *in beneficiis ad ærarium delatum* ab Lucullo Prætore et Consule, sic L. Cornelium Balbum a Pompeio in illorum defensione jactat Cicero. Male Scaliger hoc dicit *nomen in ærarium referri*, et *vocari in beneficiariis*. Omni antiquitati ignoratur hoc loquendi genus, quæ dicebat *deferri in beneficiis ad ærarium*. IDEM, lib. III. *de Pec. Vet.* cap. 17.

Ambitioni] *Ambitionem* non recte interpretatur Manutius, quasi ostendere voluerint cohortem apud se fuisse lectissimorum hominum, qui beneficia in rem publicam contulissent. Non quidem de nihilo est, et potuerunt hoc quoque nonnulli respicere: sed non id intelligit Cicero, cui *ambitio* est gratia et demonstratio studii in clientes. Significat se facile pati potuisse, ut hanc apud delatos gratiam iniret Rufus, cum ipse deferendo non sit secutus gratiam, sed morem, et veritatem, et merita. Illud haud protritum, *qui ambitione nihil uterer*. Plaut. Trinum. *Apage a te amor, non places, nihil te utor*. Cæsar III. Civ. *Si vero alteri paulum modo tribuisset fortuna, non esse usurum conditionibus pacis eum, qui superior videretur, neque fore æqua parte contentum, qui se omnia habiturum consideret*. Liv. IX. *tum pacem petentes, quod uti ea, cum daretur, noluissent, aspernatus*. IDEM, lib. III. de Pecun. vet. cap. 17.

Myrina] Libri duo habent, *Smyrna*. Reliqui, *Myrina*. Utraque nota urbs, Smyrna in Ionia, Myrina in Æolia. Quis potest divinare, ex utra scripserit Rufus eas litteras? Smyrna quidem naviganti in Italiam Mescinio propinquior et commodior. MAN.

Decessimus] Sic omnes, quos viderim, veteres libri. A quibus olim discedendum putabam, et legendum, unius litteræ mutatione, *Decessemus*. Nunc me ipse revoco, et ita statuo, syncopen esse non posse in iis verbis, quorum in præteritis ultima Syllaba est, *si:* ut *Cedo, Cessi, Cessissem*, non *Cessem;* eodemque modo in compositis, *discedo, recedo, incedo, discedo, concedo*. Antea *decessissemus* legebatur. ID. Lege, *decessemus*. Sic recte Manutius: quam sententiam male postea mutavit. J. F. GRON.

Obligatum] Deberi sibi a Cicerone mutuam pecuniam ex litteris ab eo antea humanissime scriptis, Rufus ostenderat. MAN.

H-S. XXII.] Parva summa. Itaque legendum opinor *Bis, et vicies*, ut est in ep. 1. lib. XI. ad Att. *In cistophoro in Asia habeo ad H-S. bis et vicies*. Loquitur de hac Ephesi deposita pecunia; nam Ephesus in Ionia, quæ regio est Asiæ. MAN.

Quod si mihi expensa ista H-S. centum tulisses] Si mihi ea mutua dedisses, aut in rem meam expendisses jussu meo, ut justus tibi debitor forem. *Quod* eleganter παρίλκει. Vide not. ad Liv. XXVII. 7. J. F. GRONOVIUS.

Æstimationem accipere] Possessionem æstimatam accipere pro pecunia mihi commodata. Hic locus videtur indicare scriptam hanc epistolam Cæsare iterum et Servilio iterum coss. post latam a Cæsare legem de æstimandis possessionibus, quanti quæque ante civile bellum fuissent; ut debitoribus consuleretur; quorum erat iniqua conditio, jacentibus prædiorum pretiis: quod fere solet in bellis evenire. Dicebantur autem possessiones illæ, *Æstimationes*, ut ep. 16. lib. IX. et ep. 18. ejusdem libri. MAN.

Scindi] Varie dixit, hic quidem *Scindi;* alibi *Conscindi*, ut ep. 18. lib. VII. et, *Concerpito*, ep. 10. lib. X. ad Att. IDEM.

21 M. T. C. L. MESCINIO S. D.

ARG. Mescinio Rufo, sui videndi cupido, mutua se teneri cupiditate significat, eumque hortatur, ut temporum acerbitatem litterarum studiis et optimæ conscientiæ recordatione mitiget. *Anno* U. C. 707.

Tecum] Vulgo, *tecum esse mihi* communia *omnia, ita quæ opto*, &c.

Ita] Elegans adversandi formula, et quasi jurandi, per *ita, ut*. Divinat. cap. 13. *Ita deos mihi velim propitios, ut, cum illius diei*, &c. Catil. IV. 6. *Ita mihi salva rep. vobiscum frui liceat, ut ego*, &c. CELL.

Etenim, cum esset major] Aliis placet, *Ut enim*, pro *Etenim:* quia sic habent plerique veteres libri. Solœcismi species apparet. Quid refert? inquiunt. Quam multa præterea hujusce generis in Cicerone deprehenduntur. His itaque responderi videtur posse: solœcismum, si modo libri veteres in eo consentiant, ferendum: sin aliter, tollendum. Itaque, cum habeam duos veteres libros, unum M. Antonii Maffei, quo etiam olim, commodante ejus fratre Bernardino Cardinali, usus sum; alterum Fulvii Ursini, in quibus diserte legitur, *Etenim:* libenter aufero solœcismum, et integritatem Cicerone dignam restituo. MAN.

Conscientia consiliorum meorum] Sæpe hanc sententiam usurpat, ep. 3. lib. IV. ep. 1. et 4. et 6. et 10. et 13. et 21. lib. VI. et ep. 3. lib. VII. quæ recitare longum est: indicare loca, et quasi digitum ad fontem intendere, unde hauriant qui copiæ student, satis duco. IDEM.

Nisi invidisset is] Pompeium, opinor, designat; a quo se proditum,

contra datam fidem, sæpe queritur. IDEM.

Quem ego idem effeceram] In consulatu. Ep. 9. lib. I. IDEM.

Rerum Africanarum] Africani belli, quod inter Cæsarem, et Scipionem ac regem Jubam gestum est. MANUTIUS.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER VI.

M. CICERO A. TORQUATO S. D. 1

ARG. Aulum Torquatum, qui Pompeio victo, cujus partes secutus fuerat, Athenis exulabat, consolatur, ut absentiam ab urbe æquo animo ferat, quia turbata sint omnia, et qui præsentes sint, multa cernant, quæ nolint videre. Addit spem reditus nonnullam, hortaturque ut virtute se sustentet et recti conscientia: etiam ex civitate, in qua exulet, et Sulpicii consuetudine levamen petat. Scripta bello Hispaniensi. *Anno* U. C. 707.

Tamen oculi augent dolorem] Lib. IV. ep. 4. et 13. et VII. 30. Aurium autem sensum plus doloris afferre quam oculorum dixit supra ad Marcellum IV. 9. Oratoris hoc est eisdem rebus, si res postulet, vel contrariis uti. GRÆV.

Etsi] Adverte in principio hujus epistolæ quater esse repetitum *etsi tamen*, quod in nobis vitio duceretur. IDEM.

Agitare animo] Tribus modis hoc verbum ad eandem sententiam accommodatur; *Agitare animo, Agitare in mente, Agitare* simpliciter. Primus hoc in loco modus ostenditur, et pro Fonteio: *Vos et sæpius eandem rem animis agitare*, et *diutius unoquoque de teste cogitare potestis*. Alter lib. I. de Nat. deor. *Habet nihil aliud, quod agitet in mente*. Tertius in Verrem: *Si hoc unum agitare cœperit, esse aliquod genus cogendæ pecuniæ*. MAN.

Is] C. Julius Cæsare. CORR.

Nec tamen is ipse] Cur salutis amittendæ timore angamur, cum is ipse, a quo servari volumus, eodem timore vacare non possit? Augurium Ciceronis brevi Cæsaris interitus comprobavit. MAN.

Ratio et veritas] Est, per ἓν διὰ δυοῖν *vera ratio:* quam dictat sana ratio, quam sapientes homines sequuntur. Sic inferius in hac epistola, *in ea urbe es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitæ*. Est ratio moderandæ vitæ. Justinus lib. II. *lanæ iis usus ac vestium ignotus;* hoc est, lanearum vestium usus ignotus est. Exempla passim occurrunt, et multa viri docti pridem congesserunt. GRÆV.

Desperationem] Cum de rep. desperabam, si res ad arma deduceretur. MANUT.

Togati potius] Simile illud in epist. 6. *Nolo hunc existimare, ea me scripsisse Pompeio, quibus ille si parusset, esset hic quidem clarus in toga, et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet*. Subissemus, inquit, potentiam, ut rem gravem, sed victoria tamen leviorem. Ideo in ep. 4. *Cupiebam quamvis iniqua conditione pacem*. Et in ultima superioris libri: *Quavis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare*. MAN.

Debitum] Forte, *deditum*. IDEM.

2 M. T. C. A. TORQUATO S. D.

ARG. Excusat quod rarius scripserit: solatur ex spe meliorum temporum, propter quam non sit, quod timeat; saltem ex communi omnium conditione, ideoque æquius ferenda. *Anno* U. C. 707.

Reciperis] Recipiebatur, quia, licet in urbem redire non posset, in Italia tamen ei licebat esse. Hoc etiam e postremis epistolæ verbis colligitur: *Ut, aut quo scribam, aut quo veniam, scire possim.* Nam, si extra Italiam Torquatus esset, non diceret Cicero, *quo veniam.* Præterea, Torquatum in Tusculano fuisse, ejusque causam Dolabellæ a Cicerone commendatam, ut scilicet ejus reditum in urbem a Cæsare ex Hispania redeunte impetraret, licet intelligere ex ep. 9. lib. XIII. ad Attic. Εὐαλέως, inquit, ad *me venit, cum haberem Dolabellam, Torquatus: humanissimeque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit: quæ diligentia grata est visa Torquato.* Et ad eundem epistola 20. *Torquato nostra officia grata esse, facile patior: eaque augere non desinam.* Et ep. 21. *Quid possum a Torquato, nisi aliquid a Dolabella?* Et ep. 44. *Cum Dolabella vivendum esse istis diebus, vides. Quod nisi me Torquati causa teneret; satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem.* Atque illæ ad Atticum epistolæ, Cæsare ex Hispania, devictis jam Pompeii liberis, redeunte, scriptæ sunt: hæ vero ad Torquatum, adhuc pugnante: id quod perspicuum satis est: hæc tamen una, confecto jam bello, et concessa Torquato manendi in Italia, non in urbem veniendi, potestate, scripta videtur esse, ideoque rejicenda in extremum locum. MAN.

M. Antonius] Orator. *Jam tum,* ante Marii et Syllæ bellum, quo in bello ipse est interfectus. IDEM.

3 M. T. C. A. TORQUATO S. D.

ARG. Consolatur ita, ut bene actum cum iis putet, qui ante exitum civilis belli ex vita decesserint. Miserius enim morte esse, ita vivere, ut post alterius utrius partis victoriam vivendum esse divinat. Addit graviorem consolationem vivo, quod vacuus sit culpa: mortuo, quod carituru sit sensu. *Anno* U. C. 707.

Rerum] Hispaniensium rerum, quia scripta epistola, cum Cæsar in Hispaniam adversus Pompeii filios profectus esset. CELLAR.

Ut non *sit vivendum*] Manuscripti codices *ut tum sit vivendum* habent: quantum autem intelligo, ex utraque lectione idoneus sensus elicitur: ex recepta, ut opinor, hic: Vivere amissa dignitate miserrimum est: docti enim et graves viri rectum non esse judicabant vivere illi qui dignitatem perdidisset. Ex antiqua vero sic: Vivere ut vivendum tum esset, si Cæsar, aut Pompeiani Rempub. oppresserint. Eam unusquisque lectionem sequatur, quam veriorem putat. VICT.

Ne beato] Quod si ne beato quidem, quanto minus nobis in iis miseriis, quæ post bellum impendent? MANUTIUS.

Aut eorum qui remanserint] Quia uno membro deminuti hic sunt omnes non solum veteres, sed etiam recentiores Mss. codices, ipse meum esse arbitratus sum rem notam facere, lectoresque admonere notha esse hæc verba (nisi fallor) et suppositiia: ab aliquo suppleta eorum, qui semper, quæ desiderari credunt, pro suo arbitrio reponunt: quantum dissentiam ab his, alibi dixi. VICT.

γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] Noctuam Athenas. Et proverbium est loco maxime accommodatum. Nam Torquatus Athenis erat. CORR. Adagium inde

ortum, quod Athenis nummi percuterentur cum imagine noctuæ. Noctuæ igitur Athenis multæ, quia nummi multi. Epist. 3. lib. IX. et ult. lib. II. ad Q. Fr. et interpres Aristophanis. MAN.

M. T. C. A. TORQUATO S. D. 4

ARG. Brevi ante exitum belli Hispaniensis, quem instare videt, et bellum non diuturnum inde auguratur, solatium, qualecunque potest in re trepida, adhibet: et studium ac diligentiam suam pollicetur. *Anno* U. C. 707.

Bellum] Quod in Hispania cum Pompeii liberis Cæsar gerebat. MAN.

Non quo ego certo sciam] Hæc verba, *ego certo sciam*, infarcta sunt a primis editoribus. In nullo enim ne recentissimis quidem extant codicibus, in quibus sic distinguitur, *non quo: sed difficilis conjectura. Haud* etiam intruserunt, qui omnes lacunas ex ingenio supplere in animum induxerunt suum. Pantagathus, *non quorsum, quod difficilis erat conjectura.* GRÆV.

Omnis belli Mars communis] Incerta semper victoria est. Unde illud Phil. 10. *Ut concedam, incertos exitus esse belli, Martemque communem.* De hoc genere ornamenti sic lib. III. de Orat. *Gravis est modus orationis, et sæpe sumendus: ex quo genere sunt hæc, Martem belli esse communem, Cererem pro frugibus, Liberum appellari pro vino, &c.* MAN.

Alteros] Cæsarianos. Et, ait, *propemodum summa experti*, quasi significet non omnino, et adhuc modestiores fuisse, dum supererant, quos timere poterant. J. F. GRON.

De altero] Pompeio filio, præsagiunt omnes, si fuerit superior, victoria crudelissime usurum. IDEM.

Ejus] Cæsaris. MANUT.

Litteræ] Vide hujus libri, epist. 6. IV. 3. V. 15. IX. 2. 3. et ult. IDEM.

Is vir] Pompeius. CORRAD.

Servium] Sulpicium, qui Achaiæ præerat. Lib. IV. 12. VI. 1. MAN.

M. T. C. A. CÆCINÆ S. D. 5

ARG. A. Cæcina, Pompeii partes in bello secutus, etiam scripto libro Cæsarem offenderat. Ob id patria carentem solatur Cicero, et bene sperare de se et fortunis suis jubet. Scripta videtur inter Africanum et Hispaniense bellum medio tempore. *Anno* U. C. 707.

Cæcinæ] Cognomen est Liciniæ gentis, ut ostendit Plinius lib. XX. cap. 18. Cæcina vero ex Etruria Romam venit, ut epistola sequenti, et oratione pro illo habita, quæ extat, intelligitur. Et videtur hoc accepisse cognomen a Cæcina, Volaterrani agri fluvio, quem nominat Plinius lib. III. cap. 5. nam et Cæcinam Volaterranum, idem Plinius appellat lib. X. cap. 24. Hujus uxor *Cæsennia* nominatur in oratione, quæ illum moriens ex deunce et semuncia heredem reliquit. *Cæcina*, et unica *n* scribo, et secunda syllaba producta, ut Porcina, Catelina, Arvina, Spurina, Hemina: quibus Romanæ cognominibus usæ sunt. Id trium quoque veterum lapidum testimonio comprobatur. MAN.

Liber] Quo Cæsarem laudabat, ut epist. 7. nam ille, quo maledixit, antea scriptus erat. IDEM.

Custoditur] Scripserat enim Cæcina epist. 7. *Filius, ut audio, pertimuit, neque injuria, si liber exisset; quando non tam interest, quo animo scribatur, quam quo accipiatur; ne ea res inepte mihi noceret.* Et in ejusdem epistolæ clausula, *Peto a te, ne liber exeat; aut ita corrigas, ne mihi noceat.* Nec dubito, quin hæc epistola post illam scripta sit. IDEM.

Extra ordinem] Hoc fortasse dixerit: Accedunt ad spem, ut extraordinaria sit, ingenium et virtus: ac-

cedunt autem præter illa, quæ tibi sunt cum aliis communia. Est omnino inconsequens et obscura locutio: ex quo vereor, ne corrupte totus hic locus legatur. Ac fieri tamen potest, ut ita scripserit Cicero, et inciderit in vitium, quod Græci σολοικοφανὲς appellant. MAN.

Eximium] Seneca Quæst. Nat. lib. II. cap. 56. *Hoc apud Cæcinam invenio, facundum virum, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset.*

Violatum] Quia Cæcina in Cæsarem scripserat, epistola 7. et Suetonius, ubi de Cæsaris moderatione ac clementia loquitur, *A Cæcinæ*, inquit, *criminosissimo libro laceratam existimationem suam civili animo tulit.* MANUT.

6 M. T. C. A. CÆCINÆ S. D.

ARG. Consolatur divinatione melioris fortunæ sumpta ex ingenio Cæsaris et natura rerum ac temporum: proposita fortitudinis laude et conscientiæ recte factorum, quibus addit communis calamitatis et turbatæ reipubl. argumentum. *Anno* U. C. 707.

Et studiorum, et partium] Placuit eorum sententia, qui *studiorum parium*, ope aliqua veteris libri reposuerunt. MAN.

Expulissent] Clodiana tempora significat: nec magis ipsum Clodium, quam Cæsarem, Pompeium, Crassum tacite carpit. Vide Orat. pro Sextio. IDEM.

Varietate] Exilio, et reditu. ID.

Ea me suasisse Pompeio] Quæ suaserit, ipse exponit Phil. 2. his verbis: *Duo tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: unum, ne quinquennii imperium Cæsari prorogaret; alterum, ne pateretur ferri, ut absentis ejus ratio haberetur. Quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus.* Phil. II. 10. MAN.

Eundum] Pompeio in suam provinciam, quæ in quinquennium ei data erat. Vide lib. XVI. epist. 11. IDEM.

Rationem haberi absentis] Hoc est, ut absens inter candidatos consulatus reciperetur. *Ratio illius* dicitur *haberi*, qui in numerum candidatorum recipitur, cui licet petere magistratum. Est proprium in hac re loquendi genus. Liv. XXVII. *Si suum nomen dictator acciperet, comitiis intercessurum: si aliorum præterquam ipsius ratio haberetur, comitiis se moram non facere.* Flor. IV. 2. *Nec ille abnuebat si ratio sui proximis comitiis haberetur.* Suet. Cæs. 18. *Sed cum edictis jam comitiis, ratio ejus haberi non posset.* Utitur et Cicero sæpe in aliis locis. Vide Brisson. de Form. lib. II. GRÆV.

Ipso consule] Pompeio solo. COR.

Populus jusserat] Populus proprie dicitur *jubere* cum aliquid in comitiis suis suffragiis comprobat. Hinc sollemnis formula ferentium aliquid ad populum, *Velitis, jubeatis Quirites.* Vide Brisson. lib. II. de Formulis. GRÆV.

Causa belli] Cum Pompeius et ejus amici rationem absentis Cæsaris in petitione consulatus haberi nollent; Cæsar, quod ei populus dederat, id servari vellet. MAN.

Amphiaraus] Poetæ fingunt, vatem Amphiaraum, cum videret se interiturum, si ad bellum Thebanum iret, latitasse, uxore tantum conscia: eam, accepto monili aureo, virum indicasse: itaque coactum ire cum cæteris, hiatu terræ absorptum. Diodorus Siculus lib. V. Pausanias, Statius, alii, Cicero lib. I. de Invent. et in Verrem. Servius in Æneid. VI. 445. MAN.

Solistimis] Vide Divin. I. 15. et II. 34.

Soniviis] Festus: SONIVIO *significat in carmine, item in commentario augurali* SONANTI. Idem: *Sonivium tripudium dicitur, ut ait App. Pulcher,* quod sonet, *ut cum pullo excidit puls, quadrupedive aliquid ex ore.* Cæcina

de Etrusca disciplina scripserat, ut ex Indice Pliniano lib. II. colligimus: et illum Cæcinæ librum hic respicere videtur Cicero. OLIVET.

Querelarum] Querebatur de sua calamitate, Cæsarem laudabat potius, quam accusabat. Nam hic non Cæcinæ liber, quem *criminosissimum* vocat Suetonius, verum alter significatur, de quo in epistola superiore, et in ea, quæ post hanc legitur; in qua partem harum querelarum licet animadvertere. MANUT.

Cedit multorum justis] Hoc est, facile patitur Cæsar se exorari ab iis, quos justæ causæ et officii ratio pro parentibus, cognatis, patronis et amicis intercedere compellit; non vero ab iis, qui nulla inducti ratione, aut saltem favoris aucupandi gratia pro aliis supplicant. GRÆV.

Consentiens Etruria] Pro te, qui Volaterranus es, rogans. CORRAD.

In parte Italiæ] Etruria. IDEM.

Fama populi Romani] Opinione et sermone omnium. MAN.

Cassium] C. Cassium: Legatum suum esse voluit. Epist 15. lib. XV. IDEM.

Brutum] M. Brutum, qui postea conspiravit cum Cassio contra Cæsarem. Lib. XIII. epist. 10. Illum autem præfecit Galliæ Cisalpinæ, cum ad bellum Africanum profecturus esset. CORRAD.

Sulpicium] Lib. IV. ep. 12. VI. 11.

Nefariorum scelerum condemnati] Maxime significat eos, quos lege Pompeia de ambitu damnatos Cæsar restituit. Epist. 4. ad. Att. lib. X. MANUT.

Familiares] Subaudi, amplectuntur me. Familiares Cæsaris, iidemque amici Ciceronis, Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, &c. CELLARIUS.

A. CÆCINA M. CICERONI S. D. 7

ARG. Excusat quod alterum librum filius non reddiderit. Queritur sibi Cæsarem irasci propter stylum, cum ignorat iis qui contra ipsum Deos precati sint. Parce et timide de Cicerone æque et de Cæsare scribere ait, ne hunc offendebat. Rogat tandem, ut reditum sibi impetret: nec librum exire patiatur, nisi correctum ita, ne sibi noceat. *Anno* U. C. 707.

Liber] Is, de quo epist. 5. Itaque patet, illam post hanc fuisse collocandam. Hanc autem post eam, quæ sequitur: in qua Cicero scripsit, *In Sicilia censeo commorandum:* cui respondit in hac Cæcina, *De Asiatico itinere, ut imperasti, feci.* Hic liber cum laude Cæsaris Ciceronisque scriptus erat, ut infra perspicuum est: illum alterum, quo Cæsari maledixerat, ante pugnam Pharsalicam Cæcina composuit: quo se duriorem in venia danda Cæsar præbuit. MAN.

Stultitia fama multetur] Qui stulte aliquid commisit, fama illi pœna est, et stultus esse dicitur. IDEM.

Non revocans me ipse, sed pene refugiens] Hoc est, non quod pristinam meam de te sententiam mutarim, sed quod pene invitus mihi vim intulerim in tam parce scribendo de te contra animi mei sententiam metu subactus. GRÆV.

Solutum existimatur alteri maledicere] Hoc est, libere licere in adversarium invehi, eumque atro sale defricare. *Soluto* opponitur *impeditum:* cum non licet nobis scribere ut volumus, cum refrænatur impetus cogitationum sive ipsa materia, sive alia quadam ratione. Sic Mela procem. descriptionem situs orbis vocat *impeditum opus et facundiæ minime capax.* IDEM.

In petulantiam] *Petulantia* Latinis significat sæpe maledicentiam, linguæ effusam procacitatem, effrænem aliis obtrectandi, et acerbis dicteriis ac conviciis proscindendi libidinem. IDEM.

An tibi gratius] Fortasse gratius tibi erit, ac melius cadere videbitur, quod parce te laudaverim. MAN.

Animum] Quo modo animum affici atque angi meum putas, ubi hæc secum ipse cogitat? Hæc scilicet quæ sequuntur, usque ad illud, *Quid faciet?* IDEM.

Laudo aliquem] Alium. Forte quenquam alium honeste appello: quid scio an eum laudari ferat? J. F. GROV.

Cum porro ostendam] Legendum esse, *cum porro non offendam*, intelligent qui et attente legent, et non erunt tardissimi. Hoc enim sentit M. Tullius: Age, laudo aliquem: sic mecum cogito: num offendo Cæsarem illius laudatione? Sed finge me non offendere: quid si non vult illum laudari? Fieri enim potest ut facto aliquo aliquis non offendatur, neque lædatur: id factum tamen non probet, aut id factum nolit. LAMB. Est locus procul dubio corruptus. Medicina vero anceps. Legebam ex vestigiis mei et Menteliani libri, *Laudo aliquem. Non offendo. At potero offendere. Quid si enim non vult?* scilicet illum laudari. GRÆV.

Caves tibi per Brutum] Quem te Bruto petenti negare non potuisse scribis. Nisi malimus illum librum intelligere, qui Brutus, sive de Claris oratoribus inscribitur: in quo et major de temporibus querela est, et Brutus ipse loquitur. CORRAD.

Calumnia timoris] Calumniator ea fingit, quæ vera non sunt. Itidem timor sæpe falsa proponit: ut recte, propter similitudinem, *Calumnia timoris* dici possit. MAN.

Evadere] Ita scribere, ut animus acquiescat. *Evadere* dixit, tanquam ex difficultate. IDEM.

De Asiatico itinere] Petierat a Cicerone consilium Cæcina, quid sibi esset auctor, in Siciliane subsideret, an ut ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficisceretur. Respondit Cicero: *In Sicilia censeo commorandum.* Vide epistolam sequentem: quæ tamen ante hanc scripta est.

Vel studio] Hoc est, nimio amore mei, vel nimio impetu meam restitutionem conficiendi. GRÆV.

8 M. CICERO A. CÆCINÆ S. D.

ARG. Sibi hoc datum a Balbo et Oppio scribit, ut Cæcinæ liceret in Sicilia esse, ibique ut commoretur, nec longius abeat, suadet. *Anno* U. C. 707.

Tibi præfinitas esse] Ne ultra tibi esse liceret in Sicilia, MAN.

Balbus] L. Cornelius Balbus, Gaditanus, pro quo extat Ciceronis oratio. Hic absentis Cæsaris negotia procurabat. IDEM.

Oppius] C. Oppius Cæsaris legatus Africano bello. Extat ejus, et L. Balbi epistola ad Ciceronem lib. IX. ad Att. Ciceronis ad eum lib. XI. ID.

Pontius non continuo] Fallor an Cicero scripsit, *huic meæ rogationi protinus non responderunt.* Τὸ *continuo est* τοῦ *protinus* explicatio a magistro margini adscripta, aut *protinus* superposita, quæ inde in contextum irrepsit, et monstrosam hanc produxit lectionem. GRÆVIUS. Obscurus et ineptus ex vulgari lectione sensus: ex emendatione perspicacissimi Grævii planus. CELLAR.

9 M. T. C. T. FURFANIO, PROCOS. S. D.

ARG. Brevi, sed perfecto commendationis exemplo, Cæcinam Furfano commendat. *Anno* U. C. 707.

Furfanio] Sic F. Ursinus ex vetusta inscriptione, quam vidit. *Furfano* habet Victorius, et retinet Grævius.

M. T. C. TREBIANO S. D. 10

ARG. Pollicetur exuli Trebiano, quantum potest: cui iratior Cæsar erat, quod post Pharsalicam pugnam non cesserat ab armis, sed bellum in Africa persecutus fuerat. *Anno* U. C. 707.

Trebiano] Antea legebatur *Trebatio:* postea Paulus Manutius veterum librorum secutus scripturam, restituit *Trebiano:* atque ita plane est in manuscripto apud me codice. Ego tamen *Trebanio* legendum puto ex auctoritate argentei nummi, et item ærei, in quibus *L. Trebani* incisum est. Errorem autem ex transpositione litterarum fluxisse arbitror ab imperitis librariis facta, qui *Trebiano* scripserint pro *Trebanio*. URSIN.

Ordinis tui] Equestris: nam, si senatorii fuisset, *Ordinis nostri*, dixisset. MAN.

Casu] Non pauci habent, *quasi*.

Casu debincti] *Casu* hoc loco nihil significat, et Manutius non explicat hanc vocem, sed sensum qualemcunque fingere maluit, quam fateri, se, quid ea vox hic sibi velit, ignorare. Mihi dubium nullum est, quin aliquis vocem *ejus* ex proxime antecedentibus explicaturus, in margine apposuerit *Cæs.* compendiosa scribendi ratione pro *Cæsaris*. Ex illo scripturæ compendio deinceps *casu* factum esse ab imperito librario, plane mihi persuadeo. HEUMAN.

Antea misissem] In meis libris sane priori annectitur epistolæ. In aliis tamen initium est novæ epistolæ, quos secutus est Manutius, qui et eam scriptam putavit ante superiorem proximam, quia prima illa verba, *antea misissem ad te litteras, si genus scribendi invenirem*, nullas antea Ciceronem litteras ad eum misisse perspicue demonstrent. Hæc quidem ille in argumento hujus epistolæ declaravit. Quamvis autem mei libri adstipulentur vulgatis editionibus, has epistolas conjungentibus, et pro una habentibus, tamen sententia Manutii mihi videtur potior. Nam verba quæ hæc præcedunt, plane ostendunt eis finiri epistolam: ista vero *Antea misissem*, &c. initium novæ epistolæ arguunt. Sed sine libris nihil ausus sum immutare. GRÆV.

Diuturne] Manutius: *Spondeo tibi, istam...non diuturnam fore.*

M. CICERO TREBIANO S. D. 11

ARG. Gratulatur de restitutione, quam Dolabellæ beneficio ipsi impetraverat: hortaturque, ut æquo animo jacturam fortunarum ferat, quia plus acquisiverit quam amiserat. *Anno* U. C. 707.

Dolabellam] P. Cornelium Dolabellam, antea Ciceronis generum. Divortium jam cum Tullia fecerat, quo tempore scripta est hæc epistola. Id licet conjicere ex ep. 23. ad Att. lib. II. quæ scripta est ante bellum Africanum: hæ vero ad Trebianum omnes post id bellum. Nec vero simul cum affinitate dirempta amicitia est: nisi si temporum causa simulatum est. Extant Ciceronis epistolæ lib. IX. ad Dolabellum insigni cum amoris argumento: et hæc ipsa, prodesse Ciceroni gratiam Dolabellæ apud Cæsarem in amicorum negotiis demonstrat. MAN.

Ejus periculis] Bis eum Cicero, ante filiam suam ei collocatam, in capitis periculo defenderat. Ep. 10. lib. III. IDEM.

In re] In fortunis tuis. IDEM.

Vestorius] Puteolanus, de quo sæpe fit mentio in ep. ad Att. MANUTIUS.

Syronem] Epicureum, lib. II. de Finib.

12 M. T. CICERO AMPIO S. D.

ARG. Gratulatur de reditu per Cæsaris amicos impetrato, ideoque cessare consolationem, re confecta. Esse tamen vel restituto aliquid ferendum, reip. calamitatem, in qua nullum solatium supersit nisi quod ex litterarum studiis capiatur. *Anno* U. C. 707.

Ampio] Vulgo *T. Ampio Balbo*, contra libros. Victorii editio recte solum medium nomen agnoscit, ut et Vatic. et Grut. codices. GEBHARD. Videtur is esse, ad quem scribit ep. 29. lib. X. quod si ita est, collocari illam epistolam ante hanc oportuit; ut ex utriusque cognoscitur argumento. Idem commendatur ep. 70. lib. XIII. Quatuor Balbos invenio, unum hunc Ampiæ gentis; alterum Atiæ, qui Juliam, C. Cæsaris sororem, in matrimonio habuit, ex qua genuit Atiam, Augusti matrem; duos reliquos Gadibus natos, et civitate Romana donatos, Corneliæ gentis: quorum alter Balbus major, alter minor, ejus fratre genitus, vocatus est. Major est, qui nominatur inter Cæsaris amicissimos in hac ipsa epistola, et in ep. 8. 19. et in 5. 7. 18. lib. VII. et in 17. lib. IX. pro quo extat egregia Ciceronis oratio. Primus in Oceano genitorum consulatum est adeptus, ut ait Plinius lib. VII. cap. 43. Minor Balbus ex Africa triumphavit, ut idem Plinius lib. V. cap. 5. Strabo lib. III. Nominatur a Cicerone ep. 11. lib. VIII. ad Att. a Pollione ep. 32. lib. X. MAN.

Fortuna ipsa debilitatæ gratiæ nostræ] Sic olim hunc locum emendaram, *fortuna ipsa, debilitasque gratiæ nostræ*. Nunc sententia mutata, receptam tueor. LAMB. Id est, Caritas in te mea faciebat, ut apertius agerem, quam per nostram miseram fortunam liceret. MAN.

Per me] Egerat Cicero per familiares Cæsaris, amicos suos, non per seipsum. Ita porro in Ampii salute impetranda ei satisfecerant amici ejus omni sedulitate atque officio, ut vix ipse Cicero, si auctoritate et gratia pari fuisset, agere potuisset. MAN. Lego, *pro te efficiendum*, id est, Qui si nunc demum conciliandi mihi fuissent, ut tibi per eos consulerem. *Non me pœniteret:* non fastidissem illorum gratiam ambire ut quidem nunc sunt tempora, quibus multis indignis etiam adulandum est. *Nihil est me inservitum:* Neminem colui, aut delinivi, nunc demum ob præsentem necessitatem. J. F. GRON.

Quam] Vulgo *quas*, quod *rogationes* præcessit. At Mss. *quam*. Intellige unam solius Cimbri rogationem, seu unam e multis: quæ quod *necessaria* erat, videtur Tillius propinquus Ampii fuisse. CELLAR.

Diploma] Sunt litteræ indices ac testes concessi beneficii ab eo qui præest reipublicæ; proprie et per excellentiam *diplomata* dicebantur litteræ, quibus dabatur a summo reipublicæ rectore cursus publicus. Sunt sic a forma appellata: nam formabantur in modum tabularum duplicum, ut docet Casaubonus ad Sueton. GRÆV.

Epuleiæ] Uxoris. Nam Ampia, filia: quia feminæ gentis nomine appellabantur. MAN.

Perscribi] Recte Lambinus ostendit necessarium esse ut τῷ *perscribi* adjiciatur *oportere:* pendet enim sensus sine hoc verbo. Immo istam locutionem quæ in editis extat, plane repudiat Latina lingua, quæ postulat, *magnopere putavi mihi perscribendum esse;* aut *perscribi oportere*, ut habent editiones multæ. GRÆVIUS. Abest *oportere* ab omnibus Mss. itaque mendi suspicio nondum exspirat. CELLAR.

Sed etiam, si ita accidisset, victus, ut sapiens esses] Libri aliquot veteres: *Sed etiam ut, si ita accidisset, victus et sapiens esses.* Alii: *Sed etiam ut, si ita accidisset, victus ut sapiens esses.* Quos ita sum secutus, ut pri-

mum *Ut*, induxerim, tanquam non necessarium. Sententia similis ep. 1. *Si id evenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse; non debemus ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse nunquam putaverimus.* Et. ep. 6. *Sin propter incertos exitus eventusque bellorum, posse accidere, ut vinceremur, putasses; non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse.* MAN.

Memoriæ prodendis] Ampius hic historiam scribebat. IDEM.

CICERO LIGARIO. 13

ARG. Solatur Ligarium exulem, eumque bene sperare jubet, ac, ut interea forti animo sit, hortatur. Scripta post Africanum bellum videtur. *Anno* U. C. 707.

Ex Africa nuntias] De Pompeianis in Africa devictis. MAN.

Nunc secunda] Victorius, Gebhardus, Gronovius *cum secunda*, quæ præpositio est cum sexto casu. CELLARIUS. Vulgata scriptura non est abolenda. Sensus enim hic est. Quia tam bene de rep. semper voluisti et sensisti, debes nunc sperare secunda, tanquam bonæ hujus tuæ voluntatis et sensus præmia: sed etsi fortuna tibi adversaretur, non debes tamen inique hanc fortunæ injuriam ferre, sed, &c. GRÆV.

CICERO LIGARIO. 14

ARG. Quæ cum Cæsare egerit et Ligarii restitutione, et quam spem salutis habeat, declarat: et ad lætitiam exhortatur.

Fratrum] Tres erant Ligarii fratres, quorum unus Q. ad Pompeii castra transierat.

Cum a. d. v. Kalend. intercalares priores] Scripta est hæc epistola anno U. C. 707. quo Cæsar fastos correxit. Ut annus Romanus, valde perturbatus, in eam formam componeretur, quam nunc obtinet, et Kalendæ Januariæ deinceps ordinate recurrerent, necesse fuit assignari huic anno dies 445. itaque præter mensem Mercedonium, qui ex Numæ instituto in Februarium insertus fuit, duos menses intercalari jussit Cæsar ante mensem Decembrem. Hinc *Kalendæ intercalares priores* et *posteriores*. Nonnulli, post Josephum Scaligerum, *lib. II. de Emend. Temp.* aiunt *Kalendas intercalares priores* esse diem primum mensis Merkedonii. At Merkedonius inferebatur in Februarium; et per mensem Februarium Romæ Cæsar non erat, sed in Africa, unde rediit die 26. Julii. ANONYMUS.

CICERO BASILIO S. 15

Basilio] Sic libri: nisi forsan *Basilo*, vel *Basillo*, tribus syllabis scribendum. Lucius quidam Minucius Basilus, dives homo, in Græcia mortuus, cujus falsum testamentum Cicero Offic. III. 18. et Val. Maximus IX. 4. memoraverunt. Cujus forte filius fuit L. Minucius Basilus, Cæsaris in Gallia legatus, postea in percussoribus ejus. Appianus de B. C. lib. III. extremo, Μινούκιος Βάσιλλος, &c. CELLAR.

16 BITHYNICUS CICERONI S.

ARG. Commemorata sua, et patris amicitia, rogat, ut se absentem tueatur. *Anno* U. C. 709.

Bithynicus] Pompeiæ gentis, cui genti cognomen hoc dedit Bithynia devicta. Nominatur etiam in libro de claris Orat. *Q. Pompeius Bithynicus:* sed eum puto hujus Bithynici patrem fuisse: nam illum inter mortuos oratores Cicero numerat in eo libro, qui scriptus videtur ante exitum Africani belli. Hæc autem et quæ sequitur epistola, scriptæ sunt, nisi me conjectura fallit, post Cæsaris necem. MAN. De Bithynico hujus patre, vide in Bruto, cap. 68.

17 M. CICERO BITHYNICO S.

ARG. Respondet Bithynici cuidam epistolæ, qua ille, constituta rep. cum Cicerone se futurum promiserat, quod gratum sibi fore significat, et se ejus esse amantissimum confirmat. *Anno* U. C. 709.

Non respondet hæc Ciceronis epistola, quemadmodum ego existimo, superiori Bithynici: id autem, qui attente ambas legerit, facile animadvertet. Scripserat alias litteras Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere se ostenderat cum eo vivere. Quæ aut postea periere, aut in hæc volumina relatæ non sunt. VICT.

Accedere, id etiam] Manut. Lambin. Græv. *accidere.* Non ita bene. Sensus est: promissum tuum accedit ad res cæteras, quarum causa cupio Remp. esse aliquando constitutam. *Id,* hoc ipsum est, Remp. esse constitutam. Doctores videant: quibus morem geram, et libenter quidem. OLIVET.

18 CICERO LEPTÆ.

ARG. Quæstioni respondet ex lege de decurionibus. Addit de bello Hispaniensi, de Leptæ negotio, de Oratore suo, de Tulliola, et de Leptæ Junioris studiis consilium ac præceptum dat. *Anno* U. C. 708.

Leptæ] Q. Leptæ, quo Fabrum præfecto usus eat Cicero proconsul in Cilicia. Epist. 7. lib. III. MAN.

In lege] Quam Cæsar, ubi Romam ex Hispania revertisset, ferre cogitabat: scripserat autem vel ipse ante quam iret in Hispaniam, vel, post profectionem, Balbus et reliqui familiares, ex ejus sententia: ut ipso in urbem reverso promulgaretur, et ferretur. Nam, si lata fuisset, vel etiam promulgata, non a Balbo, quid in ea esset, Cicero quæsisset. IDEM.

Decurionibus] Senatores vel coloniarum, vel municipiorum, *decuriones* vocabantur. Et ut Romam ad senatum consules, ita ut municipiis ad decuriones *quatuor viri,* in coloniis *duum viri* referebant. Ac nomine quidem ipso *decuriones,* decem tantum videntur: sed plures fuisse constat ex eo, quod in secunda agraria centum nominantur. IDEM.

Qui hodie] Jocus (nisi fallor) in Cæsarem, qui in eum ordinem indignissimos legerat: supplevit enim ille Senatum: nam multi civilibus bellis Senatores defecerant. VICTOR.

In senatu] Forte, in *senatum.* LAMB.

Pompeium] Cnæum, Magni filium, qui, ad Mundam victus, paulo post interfectus est. MANUT.

Paciæci] L. Junii Paciæci, Hispani hominis, Romana civitate donati; quod prænomen et nomen indicant. IDEM.

Tantundem] Imperite nonnulli scribunt, *Tantumdem.* Nam Priscianus lib. I. admonet, *m* transire in *n,* sequentibus *d, t, c, q,* ut *tam tandem, tantum tantundem, idem identidem, num nuncubi.* IDEM.

Partus] Ex partu Tulliam decessisse, Plutarchus auctor est. Bis igi-

tur peperit, semel ante pugnam Pharsalicam, cum in Græciam ad Pompeium Cicero iturus esset; ut epist. ult. lib. X. ad Att. iterum, cum in Hispania Cæsar contra Pompeii liberos pugnaret: quod hic locus ostendit. IDEM.

Exigam primam pensionem] Tertiam partem dotis, quæ primum debebatur. Annua, bima, trima die numerabatur dos uxoris marito, hoc est, tribus pensionibus: et si divortium factum esset, eodem modo reddebatur. Vide not. ad M. Senecæ suasor. I. J. F. GRONOVIUS.

Τῆς δ' ἀρετῆς] Ante virtutem, sudorem posuerunt dii immortales. *Hesiod.* Op. et Dier. vers. 289. Quod non quatuor integros Hesiodi versus, sed primi partem scripsimus, in hoc etiam antiquorum codicum auctoritatem secuti sumus. Scimus præterea semper in his allegationibus Ciceronem brevem et concisum admodum esse, ut trium etiam dictionum proverbium non integrum quandoque adducat, nedum quatuor totos versus celebres et vulgatissimos recitaret. VICTOR.

CICERO LEPTÆ S. D. 19

ARG. Cum Cæsar ludos regionatim daturus esset, curationem eorum Lepta ambiebat, cui id Cicero dissuadet, diffisus, propter multitudinem intimorum, impetrari posse. *Anno* U. C. 708.

Maculam] Fortasse Pompeium Maculam, amatorem Faustæ, L. Syllæ filiæ: de quo Macrobius lib. II. Sat. MANUT.

Officio functum] Parando nobis (sic enim interpretandum videtur) hospitio. CORRAD.

Ad comitatum nostrum] Qui Cæsari ex Hispaniis redeunti ire obviam cogitamus. IDEM.

Petrinum] Villæ nomen, a vico Petrino, qui fuit in Sinuessano. Horatius epist. 15. lib. I. *Sinuessanumque Petrinum.* MANUT.

Munerum regiorum] Ludorum qui a Tarquinio rege instituti, modo Romani, modo Magni, modo etiam Circenses sunt appellati: sed nunc *regii* a Cicerone in Cæsaris invidiam dicuntur. Legitur tamen etiam *regionum,* ut cum Suetonio exponas, regionatim faciendorum. CORRAD. Et antiquus liber, et Suetonii testimonium, ipsa etiam sententia me hortatur, ut, *Regionum,* legam. Ludi enim significantur, quos Cæsar, superatis jam in Hispania Pompeii liberis, per singulas regiones dare cogitabat: id quod e Suetonii cognoscitur historia. Ac, ne quis, mentione a me regionum facta, contradicendi occasionem arripiat, quod ante Augustum divisa urbs non fuerit in regiones: moneo lectorem, urbis *regiones* hic vocari quasdam urbis partes, licet earum certi fines nondum essent, qui postea statuti sunt ab Augusto, Italiam urbemque in regiones dividente. ID.

Si modo ipsum sciet] Te ludos curasse: quod ignorare potest, in tanta majorum rerum occupatione. ID.

Non accepisse] Hoc ipsum Cicero monet lib. II. Off. *Qui se* (inquit) *locupletes, honoratos, et beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, cum ipsi quamvis aliquod magnum acceperint.* Ejusdem generis illud in epist. ad M. Antonium, lib. XIV. ad Attic. *Litteræ tuæ sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te ita petente.* IDEM.

In quo sit species] Id est, Victorio interpretante, dignitas et honestas. Vulgo *spes,* quod ex compendio scripturæ natum. CELLAR. *In quo sit spes:* in hac enim curatione spes ponenda non est. Nam, quod eo labore assequi vis, nullo modo assequere. Aliquid igitur videbimus, unde sperare liceat, in eorum numerum, qui Cæsaris intimi familiares sunt, posse te pervenire. MANUT.

Victorianam lectionem exprimunt Gebhardus et Grævius.

Asturæ] Epist. 38. ad Attic. lib. XIII. significat velle se Asturæ Cæsarem ex Hispania redeuntem expectare. IDEM.

20 CICERO TORANIO S.

ARG. Toranius exul voluit Cæsarianis ex Hispania venturis occurrere, ut, captata illorum gratia, facilius Cæsari reconciliaretur: quod Cicero dissuadet, et manere jubet, ubi erat, quoad scire possit, quid agendum sit. Addit consolationem a communi calamitate, et recti conscientia. *Anno* U.C. 707.

Toranio] Toranius vir prætorius, paulo ante Ciceronem a Triumviris interfectus fuit. CORRAD.

Non quantivis] Hoc sensu: Præter pericula et molestias quæ vitaris, commodum illud non parvum habendum est, sed tale ut magnifaciendum sit, subito cum certi aliquid audieris te istinc posse proficisci. VICTORIUS.

Adventibus] Ita Victorius, ex quo Grævius. Vulgo *advenientibus*.

Si recipiet ille se]. Si Cæsar ex Hispania redibit. Hæc verba nondum Hispaniense bellum esse confectum demonstrant: quod e sequenti etiam epistola intelligitur. MANUT.

21 CICERO TORANIO S.

ARG. Toranium consolatur ex suo exemplo, qui, cum antea idem quod ille sentiret, nihilque proficeret etiam rectis consiliis; moderate nunc ferat quæ acciderant, ostendens, quantum levamen sit, recte vereque sensisse: monetque, ut nihil de rebus suis, præterquam quod commune est, timeat. *Anno* U.C. 707.

Belli] Quod gerebatur in Hispania.

Commemorabam] Aliis, an sibi? sibi potius, et cogitatione, non voce. Quasi dixerit: memoria repetebam, in memoriam redigebam. MANUTIUS.

Si vicisses, servitutem] Injustos dominos eramus habituri, Pompeium et paucos, quos ille audiebat: quanquam mallem, *si vicisses, interitum*, propter proscriptiones et cædes denuntiatas a Pompeianis: *aut si victus esses, servitutem*, nempe sub Cæsare, quod evenit. J. F. GRONOV.

Salutem] Ipsius reip. cujus antea dignitas, bello autem civili salus etiam concidit. Significat illud tempus, cum accipiendas, quas tulit Cæsar, conditiones censuit, ne reip. salus, quando jam dignitas amissa erat, in discrimen adduceretur. MANUT.

22 CICERO DOMITIO.

ARG. Cn. Domitium, L. F. qui post pugnam in Thessalia ab armis recesserat, serius tamen quam Cicero, spe veniæ impetrandæ, et venerat in Italiam; erat, ut cum reip. jam satisfecerit, incolumitati suæ consulat, et amicorum desiderium, quos belli casus eripuerat, æquo, saltem forti ferat animo. *Anno* U.C. 707.

Plus conatum esse] Plus conatus esset muneris suscipere reipubl. causa, quam præstare posset, si post pugnam Pharsalicam bellum cum aliis renovare voluisset. Quod non fecit, desperata victoria. MANUT.

Parenti] Porciæ, M. Catonis sorori.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER VII.

M. CICERO M. MARIO S. D. 1

ARGUMENTUM. Ludos describit a Pompeio secundo consulatu editos, quos quod Marius absens non spectaverit, eidem gratulatur. Se quoque hujus generis vanitatibus non capi, et inter ludos Caninii causam egisse narrat, cujus occasione dimissionem sibi ex foro optat, ut libere possit in villis et cum Mario vivere. *Anno* U. C. 698.

Mario] Arpinati: quod illa indicant verba; *Cum Oscos ludos vel in senatu nostro spectare possis. Marium Gratidium* nonnulli vocant, ut sit Gratidius ille, qui legatus fuit Q. Ciceronis. Quod falsum puto. Non enim et Mariæ gentis et Gratidiæ idem potest esse. Aut igitur non is est: aut, si est, *Marius Gratidianus* appellari debet: ut epist. 1. lib. I. ad Q. Fr. MANUT.

Aliqui] Pro *aliquis*: ἐχχαιῶς.

Stabianum] Plinius lib. III. cap. 5. *In Campano*, inquit, *agro Stabiæ oppidum fuere usque ad Cn. Pompeium et L. Catonem coss. pridie Cal. Maii: quo die L. Sylla legatus bello sociali id delevit: quod nunc in villas abiit.* IDEM.

Perforasti] Prospectum in Stabianum agrum aperuisti. IDEM.

Sejanum] Nomen vicini prædii, sed unde sit, incertum. Mire etiam in nomine libri variant. CELLAR.

Semisomni] Vel quia nihil novum spectarent: vel etiam, quia matutino tempore. Nam verbum *interea*, ad matutina referri tempora satis constat. Ut eos dicat matutina tempora spectandis communibus mimis consumpsisse, quæ Marius multo et sapientius et jucundius legendo traducebat. MANUT.

Mæcius] Qui poemata a mimis in scena recitanda prius judicabat. Est enim hic, ut opinor, P. Mæcius Tarpa, de quo Horatius in epistola ad Pisones: *Si quid tamen olim Scripseris, in Mæci descendat judicis aures, Et patris, et nostras.* Quo loco inquit Porphyrio: *Mæcius perdiligens carminum fuit æstimator.* IDEM.

Honoris causa] Ut ludos Pompeii honorarent, mimi veteres in scenam redierant, qui antea, ne quid ætatis vitio peccarent, in scena agere desierant. In his Galeria Copiola Emboliaria significatur, de qua Plinius lib. VII. cap. 48. *Reducta est*, inquit, *in scenam, C. Poppæo, Q. Sulpicio coss, ludis pro salute divi Augusti votivis, annum* CIV. *agens: quæ producta fuerat tirocinio a M. Pomponio ædili pl. C. Mario, Cn. Carbone coss. ante annos* XCI. *et a Magno Pompeio, magni theatri dedicatione, anus pro miraculo reducta.* IDEM.

Si sciens fallo] Hoc enim erat carmen jurantis per Jovem lapidem. CORRAD.

Sexcenti] Numerus finitus pro infinito. *Muli:* Troica præda onusti. Nam in Clytæmnestra, Attii Poetæ tragœdia, ut ex Nonio cognoscitur, reditus ostendebatur Agamemnonis in patriam ab excisa Troja. MANUT.

In Equo Trojano] Tragœdia Livii Andronici. Nominatur et epist. 16. lib. VII. IDEM.

Craterarum] Quid crateræ in equo Trojano? Forte ut heroes Achivi in

isto carcere lætius se iis invitarent, aut, ne capta Troja, cum diis esset libandum, crateras desiderarent; Nugæ. Præterea equus Trojanus nulla præda fuit onustus. Josephus Scaliger legi volebat *arcerarum;* quod laudat Lambinus. Sed quis credat currus equo fuisse inclusos? Prim. Græv. *creterarum*, Amstelodam. *createrarum.* Lege, *cetrarum.* Cetræ sunt clypei exsecti ex corio elephantino, quibus variæ gentes utebantur, Hispani, præcipue et Afri, aliique. Hinc *cetratæ cohortes* apud Cæs. cetris armatæ. Hæ *cetræ* quoniam tum temporis raræ erant Romæ, tantam vim earum secum advexit Pompeius, ut omnes ex equo Trojano Livii Andronici prodeuntes tali clypeo fuerint instructi, quod magnificentiam fabulæ auxit. Hæc mea de hoc loco est sententia, quam spero doctis et acutis viris me probaturum. GRÆV.

In aliqua pugna?] Pro *aliqua* videtur legendum *Iliaca*, vel *Attica*, vel aliquid tale, ut recte Anton. Augustinus conjecit. URSIN.

Protogeni] Anagnostæ, sive lectori.

Græcos aut Oscos] Nam hos quoque Pompeius dedit sua quosque lingua. Similiter Brutus prætor XVI. Att. 5. *commissione Græcorum frequentiam non fuisse.* Sueton. Oct. 45. *nullique Græco certamini interfuit, quo non, &c.* Sueton. Jul. 39. *Ludos regionatim urbe tota, et quidem per omnium lingularum histriones.* Osci vetus gens Campaniæ, et vicinæ regionis. Tacit. IV. An. 14. *Oscum quondam ludicrum levissimæ apud vulgum oblectationis, quas alioquin Atellanas vocant.* Liv. VII. 2. et *Atellanum exodium.* Suet. Tib. 45. Cal. 27. Galb. 13. GRONOV.

Vel in senatu nostro] Arpini (unde ortus erat Cicero, et ab inimicis *municeps Arpinas* vocabatur) inter decuriones ubi erant reliquiæ Oscorum: non quod in Senatu agerentur fabulæ, sed quia ei consilio interveniebant Osci, hoc est, Oscorum posteritas, (homines in veterum Oscorum sedibus habitantes.) Ipsam eorum consultationem de rebus non magnis *ludos* vocat. IDEM.

Ad villam quidem tuam via Græca] Jocus elegans. Erat ibi viæ publicæ pars, quæ vocabatur via Græca, octo stadiorum, quam Hercules muniisse credebatur. Eam vitabat Marius, quod quacunque de causa parum commoda esset. Id calumniatur lepide Cicero, quasi id faceret odio Græcorum. IDEM.

Operam et oleum] Laborem et sumptum. Oleo enim ungebantur athletarum corpora. Id primo dictum in una re, de athletis scilicet, qui labore et sumptu exercitati, mox interdum parum probarentur; deinde ad omnia similia translatum est, in quibus et operæ et sumptus jacturam factam esse constaret. Plautus in Poen. *Et oleum et operam perdidi.* MANUT.

Homini...polito] Mediocris sane liber, et Petrarchæ manu (ut putant) scriptus, hanc lectionem retinent, quæ non video cur rejici debeat: est enim elegans et huic loco valde accommodata. Tantæ autem hi apud me auctoritatis sunt, et, nisi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut testimonio duorum illorum magis credam, quam reliquorum omnium. VICTOR. *Politico*, mavult Manutius: sed, opinor, non ita bene. OLIVET.

Elephantorum] Quos XX. ut Plinius ait, vel, ut Dio, XVIII. Pompeius in Circo dedit. MANUT.

Misericordia quædam] *Quædam*, dixit, qua proprie miseremur nostri similium, non brutorum. Causam hujus misericordiæ Plinius exponit his verbis lib. VIII. cap. 7. *Amissa fugæ spe, misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes; tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris ac munificientiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, diraque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.* Eadem fere Dio. Plutarchus hanc rem breviter agitat. ID.

Ludis scenicis] Vereor ne duæ illæ

dictiones *ludis scenicis* vacent, et Ciceronis non sint, sed declaratio quondam fuerint prioris illius partis, quæ postea ab imperitis librariis temere huc inculcata sit. VICTOR.

Exsolvam] Non omnino occupationibus expediri, sed impediri minus vult. Plus enim, *Exsolvere*, quam *Relaxare;* contraria vero, *Relaxare*, et *Adstringere*, ut epist. 6. ad Att. lib. XVI. *Pater, quidquid ego adstrinxi, relaxat.* MANUT.

M. T. C. M. MARIO S. D. 2

ARG. Emptionis negotium, sibi mandatum, post jocos, (nam et ipse inter heredes bonorum erat, quæ emi volebat Marius) diligenter se curaturum dicit. Deinde respondet gratulationi de Planco Bursa, qui, Cicerone accusante, damnatus fuerat, quo judicio quantum lætetur, significat, et Marium quoque gaudere jubet. A. U. C. 701.

Licitatorem] Subornabo (jocatur) qui licitando pretium extendat, ne vilius vendatur. CELLAR.

De Bursa] Hic est T. Munatius Plancus Bursa, frater L. Planci oratoris, ad quem sunt Ciceronis epistolæ lib. X. Tribunus pleb. anno proximo acerbissimis concionibus in invidiam rapere Milonem Ciceronemque conatus erat: eoque incitante plebs curiam incenderat. Quo crimine anno sequenti, statim post depositum magistratum, lege Pompeia de vi damnatus est. Epist. I. lib. VIII. et Plutarchus in Pompeio et Catone, Dio lib. XL. et Pedianus. Restitutus a Cæsare post victum Pompeium. Qua de re Phil. 13. MANUT.

Inimici] Clodii. IDEM.

Quam calamitate] Non tanti mihi est inimicorum exitium, ut eos perditos velim cum amicorum calamitate. Quod accidit in Clodio. Eum enim occidit Milo, et eo crimine calamitatem subiit exilii. IDEM.

Clarissimi] Pompeii. IDEM.

Emissarium] Qui meorum invidorum arbitrio et voluntate in me emitteretur, similitudine locorum, quibus, cum volumus, aqua emittitur. Epist. 18. lib. XVI. IDEM.

Ne intercaletur] Ne dierum interpositione tempus protrahatur. Indicat hic locus, pontifices intercalare solitos arbitratu suo. Nam si annus hic esset intercalaris ex instituto Numæ, frustra Cicero vota faceret, ne intercaletur. Metuebat igitur, ne intercalaretur extra ordinem. IDEM.

M. CICERO M. MARIO S. D. 3

ARG. Ut discessum suum civili bello post pugnam Pharsalicam excusaret, quem vituperatores reprehendebant; totam causam belli recenset, ut appareat, quibus adductus rationibus a continuando bello abstinuerit. Scripta post bellum Africanum. *Anno* U. C. 707.

Duceret] Lente gereret, prælio rum aleæ non committeret. CELLAR.

Quadam ex pugna] Ad Dyrrachium facta, in qua Pompeius ipse Imperator fuit appellatus. CORRAD.

Nullus imperator] Quia negligebat victoria uti, nec territum Cæsaris exercitum extemplo persequebatur. CELLARIUS.

Signa contulit] In Thessalia ad Pharsalum. CORRADUS.

Maximarum] Ita Vict. Man. Lamb. Sed Gruterus, ex quo deinde Grævius, et Cellarius, *maximam*. Neque tamen dicunt cur prius illud mutaverint. Si conjectura tantum, minus placet. OLIVET.

Reliquis omnibus] Scilicet finem belli fecisse, non tantum mihi. Cicero enim post Pharsalicam cladem suasit omnibus, ut tempori servirent, neque repararent bellum. CELLAR.

4 M. T. C. M. MARIO S. D.

ARG. Præmonet Marium de adventu suo in Pompeianum. *Anno* U. C. 707.

Dum hic sumus] Quidam addunt: *Vides enim quanto post unâ futuri simus:* quæ neque in melioribus membranis leguntur, neque cum cæteris cohærent. CELLAR.

Si quod constitutum] Bene J. F. Gronovius eos refellit, qui *constitutum cum podagra* putant esse propositum de podagra curanda. Qui enim cupit aliquem valere, quomodo auctor est illi in morbo curationis differendæ? Jocatur hic suo more Cicero. Habere constitutum cum aliquo, est condixisse, vel, ut vulgo loquuntur, *assignasse* locum et diem conveniendi. Constitutum, inquit Manutius, est verbum juris. ANON.

5 CICERO CÆSARI IMPER. S. D.

ARG. C. Trebatium Testam, jurisconsultum, familiarem suum, Cæsari Galliarum proconsuli diligentissime commendat. *Anno* U. C. 699.

Quocunque exirem] Tanquam legatus Pompeii, in Hispaniam forsan: quod hinc interpretes eliciunt. Adde hujus libri epist. 17. CELLAR. Vide item epistolam 14. lib. II. ad Q. Fratrem.

Commoratio] Ad urbem. Nunquam enim Pompeius ivit in provinciam: quæ belli civilis origo fuit. Epist. 6. lib. VI. *Eundum in Hispaniam censui. Quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset.* MAN.

Dubitatio] Verebatur, ne Clodius absenti negotium facesseret. Eadem legatio significatur epist. ut lib. V. ad Att. et epist. 1. lib. III. ad Q. Fr. IDEM.

Balbo] Hic est L. Cornelius Balbus, Gaditanus, Cæsaris et Ciceronis amicissimus, pro quo extat oratio. MANUT.

Vel hunc Leptæ delega] Vereor sane, ne in his verbis mendum sit; nihil tamen ausim immutare. VICT. *Leptæ delega* bono sensu mihi scriptum videtur, ut dicat jocans, tam divitem fore propediem eum hominem ipsum, ut creditori suo Leptæ Cicero qui solvat delegare possit: id enim est delegatione solvere. Nam is qui tua causa a me ditatus fuerit, tibi debebit, ut tuum æs alienum solvere debeat; aut dicit, nisi hoc faciam, eum delega et commenda non mihi Imperatori, sed Leptæ. TURN. Ego nulla propemodum licentia scribo: *vel Leptide Legatum.* Cum enim Leptis non nobilissima tantum omnium eo tempore Africæ urbium, sed et colonia Julia fuerit, credibile est, Cæsarem eam potissimum delegisse, in qua ejus regionis præfecti sedem atque domicilium suum collocarent. J. RUTGERSIUS. Var. Lect. I. 5.

De Milone] Hoc anno P. Clodium nondum occiderat Milo. Qua porro in causa eum Cæsari Cicero commendaverit, suspicari difficile est. MANUTIUS.

Quod familiam ducit] Id est, quæ in ejus laudibus ita prima sunt, ut quasi familiam ducere et excellere videantur. Translatio ab iis, qui cæteros ducunt, quia potestate, aut honore, scientiave antecellunt. ID.

Putidiusculi] Excusat se, quod in Trebatio commendando plura verba consumpserit, quam Cæsaris humanitas patiatur. *Putidum* appellat Cicero, in quo nimia diligentia reprehendi possit, ut de Orat. lib. III. *Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari diligentius.* Vidi scriptum in quibusdam antiquis libris, *Blandiusculi:* sed in plerisque, *Putidiusculi:* quod magis probo. Et fortasse, *Blandiusculi*, glossema fuit. MANUT. Alii, *impudentiusculi.* GEBHARD.

CICERO TREBATIO S. D. 6

Arg. Trebatium desiderium urbis impatienter ferentem, hortatur ut maneat in provincia, laboretque, ut consequatur, cujus causa profectus fuerat. *Anno* U. C. 699.

Medeæ] Medeam cum viro suo Jasone Corinthum exulem devenisse demonstrat hic locus; et ex ipsa, quæ extat Euripidis tragœdia cognoscitur. Man.

Quæ Corinthum] Nemo non videt poetæ cujusdam verba esse, et quia *Medeæ* mentio infertur, ex Ennii Medea deprompta esse. Victorius, Muretus, Manutius ex iis demum verbis, *Nam multi suam rem*, incipiunt versus investigare ac metiri, sed aliter atque aliter singuli. Cellarius.

Habebant] Pro, *habitabant*. Plautus in Bacchidibus: *Quis istic habet?* Manut.

Illa manibus gypsatissimis] Illa, ut persona Comica, manibus gypso, ut candidiores essent, illitis gubernans vocem, ut Petron. cap. 87. J. F. Gron. Sam. Petitus, in comment. ad Leges Atticas, vult mendum esse in *manibus*, pro quibus, ductu Pollucis IV. 45. primus ille legit, *III. anibus*: ut sensus sit, in Medea Euripidis Corinthiacas matronas opulentas et et primarias fuisse, quibus *tribus anibus gypsatissimis*, id est, canis non solum, sed et albo colore candentibus, Medea persuaserit, non esse sibi vitio vertendam, quod absit a patria.

In Britannia] Ivisse Trebatium, vel iturum cum Cæsare in Britanniam, Cicero arbitrabatur. Non ivisse constat ex epist. 10. et 14. hujus libri. Man.

Essedariis] Militibus Britannicis, ex essedis pugnantibus. Corrad.

Qui ipse] Carmen Eurip. vide in ep. 15. lib. XIII. unde hoc Ennius transtulit. Idem.

CICERO TREBATIO. 7

Arg. Studium suum in commendando significat, monet ut Cæsari operam det, ab eoque expectet omnia. *Anno* U. C. 699.

CICERO TREBATIO. 8

Arg. Ex Cæsaris litteris et sua responsione narrat; et modeste reprehendit Trebatium, quod tribunatum recusaverit. *Anno* U. C. 699.

Tribunatus] Militum: quem Cæsar honorem, cum vacatione militarium onerum, Trebatio detulerat. Est autem, ut diximus jam, in castris prima dignitas consulis, altera legatorum, tertia tribunorum militum, quarta præfectorum equestrium turmarum, quinta centurionum, deinceps minorum ordinum. Man.

Vacerra] Cognomen est Romanæ familiæ. Accusabo te, inquit, apud amicos tuos. Videntur fuisse jurisconsulti, Vacerra, Manilius, Cornelius: ut infra cognoscitur epist. 9. Idem.

Nihil audeo dicere] Ne magistrum offendam, reprehenso discipulo. A Cornelio jus civile Trebatius didicerat; ut, sine præceptoris culpa, stultus esse non posset. Digest. lib. L tit. 2. Man.

De illo Preciano] Qui erat apud Cæsarem gratiosior, ut videtur, quam Trebatius; cum ipsum Trebatium ei Cicero commendet. Idem.

9 M. CICERO TREBATIO.

Arg. Literarum officium a Trebatio requirit; monet ne reditum in urbem præpropere cupiat. *Anno* U. C. 699.

Occupationes] Primo scire debent omnes, me vocem illam *occupationes* in nullis paulo antiquioribus libris, nedum vetustissimis legisse, quod mihi originem attulit suscipionis. Deinde cum accuratissime considerassem, non mihi visa est satis digna causa esse quæ retraheret Ciceronem a scribendo, occupationes Cæsaris. Nam sæpe ad eum Cicero scribebat, cum ille mirifice Ciceronis litteris delectaretur, et ipsas omni ratione eliceret: nec ea tempestate ullo majore negotio impediebatur, ut cavere deberet, ne ob id illi molestus esset. Nec tamen tantum temporis in legendis amicorum litteris collocatur, ut non quivis occupatissimus se ab illis de omnibus rebus certiorem fieri velit. Majus igitur quiddam esse putavi quod Ciceronem ab instituto suo deduceret: et ut libere omnem meam suspicionem proferam, si aliquando conjectari datum est, putarim *propter ejus luctum* legendum esse. Constat enim hoc tempore Cæsaris filiam mortuam esse, quæ Pompeio nupta erat, Juliam scilicet. Dicit etiam Cic. lib. III. ep. ad Q. Fr. se ad Cæsarem non rescripsisse *propter ejus luctum*, de obitu filiæ intelligens. Victorius.

Cn. Octavius, an Cn. Cornelius quidem] Notat hominis ignobilitatem, cujus prope certum nomen ignoretur. Propterea cum ironia subjunxit, *Summo genere natus:* et, *Terræ filius:* quod in obscurissimi loci homines confertur. Lusit in eundem Octavium epist. 16. *Oro te, quis tu es?* Manut.

10 M. CICERO TREBATIO S. D.

Arg. Per jocum agitat, quod scripserat Trebatius, se Cæsari valde jurisconsultum videri: et timiditatis arguit, qui in Britanniam navigare recusaverit: et ut de fructu commendationis ad Cæsarem, et omnibus rebus suis scribat plura, admonet. *Anno* U. C. 699.

Ne frigeas] Ne per hiemem parum commodis tuis servire possis. J. F. Gronovius.

Camino luculento] Quasi de vero frigore locutus esset. Sed et allegoricus sensus est: Eam hibernorum partem eligas, ubi frigus, hoc est, paupertatem, camino luculento, id est, fructibus provincialibus pellere possis. Idem.

Satis calere] Satis habere negotii.

In re militari multo es cautior] A præliis attingendis multo melius tibi caves, quam aliis cavere soles adhibitus in contractibus et testamentis signandis. Non ob inscitiam Trebatii, ut rustice Manutius, sed quia plerumque accidit, utcunque caveant Juris-consulti, tamen ne sic esse tutos. Idem.

Spectare essedarios] Britannos ex essedis præliantes. Sed loquitur, ut de gladiatoribus essedariis, de quibus Lips. XI. Saturnal 12. J. F. Gron.

Ne andabatam quidem] Qui adeo delectaris spectaculis amphitheatralibus et muneribus gladiatorum, ut ne Andabatis quidem, in quibus minima voluptas est, introductis abesse spectaculo velis. Andabatæ oculis obsutis cæci pugnabant. Unde proverbium, *Andabatarum more pugnare*, in illos, qui litigant de re, quam ambo non intelligunt. Idem.

Non modo hostes] Non dicam hostes; patet enim congressionem nostram esse jucundissimam, hostes autem formidabiles, et permolestos: sed ipsi Ædui, fratres nostri, quorum consuetudine delectamur. Ædui fratres populi R. cognita eorum fide, vocati sunt. Tacitus lib. XI. *Primi Ædui*

senatorum in urbe jus adepti sunt. Datum id fœderi antiquo, et quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. MAN. Vulgo scribitur *Hædui*, vel *Ædui*: sed in nummis priorum temporum, *Edui*. Vide Plinium Harduini, novissimæ editionis, Tom. I. pag. 225.

Aut consolando] Terentii senarius. Heautontim. I. 1. 34.

CICERO TREBATIO. 11

ARG. Jocatur primum de interregnis: deinde suadet, si e re sua sit, manet apud Cæsarem: sin minus, Romam se recipiat. *Anno* U. C. 700.

Tot interregnis] Quot interregna fuerint eo anno, facile inveniet, qui Dionem et Pedianum attente legerit. Quorum ille lib. XL. scripsit, eo anno, quo Calvinus et Messalla consulatum gessere, urbem sine magistratibus fuisse per sex menses: Pedianus autem interregni dies non plures quinque fuisse tradidit. Sunt igitur hac ratione interregna XXXVI. in sex mensibus. Duo sunt præterea, quæ docet idem Pedianus, non omittenda, ut arbitror: unum interregem non nisi a senatoribus patriciis et ipsum patricium, prodi solitum; quod et Cicero pro Domo sua dixit: alterum, ut ab eo, qui primus interrex esset proditus, comitia haberentur, moris non fuisse. MAN.

Desiderat] Vere. Nam interrex jus non dicit. Cessat igitur opera jurisconsultorum, et justitium in urbe tam diu est, quamdiu interregnum. Hactenus Cicero vere et serio, reliqua jocans. IDEM.

Omnibus, unde petitur] Est propria jurisconsultorum formula. Sic appellabatur alter litigatorum, qui nimirum in jus vocatus erat in judicio privato, sicuti is, qui in jus vocabat, dicebatur *petitor*, sive *actor*, quoniam ab eo, cui litem intendebat, petebat aliquid plerumque dicere aut facere oportere. Cic. pro Mur. *Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille unde petebatur, non habebat.* Cato: *Si quid alter ab altero peteret, si ambo pares essent: sive boni, sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent, illi, unde petitur, potius credendum esse.* Terent. Prolog. Eunuchi. vers. 10.

Atque in Thesauro scripsit, causam dicere
Prius unde petitur, aurum quare sit suum,
Quam ille qui petit, unde is sit thesaurus sibi.

Unde petitur est, *a quo petitur*. Cic. III. in Verr. *Ille autem, unde ablatum est, judicio suum recuperare nullo modo possit.* Liv. lib. V. *Unde minime quis crederet accepta calamitas.* GRON. lib. IV. Obs. cap. 11.

Binas advocationes postulent] Est et hoc loquendi genus ex Jurisconsultorum schola. Proprie enim unde petitur *postulare advocationem* dicebatur, cum, postquam petitor actionem edidisset, peteret a Prætore tempus deliberandi velitne stare judicio, an facere quod petitor postulabat. Hoc tempus ideo dicebatur *advocatio*, quia tum amicos suos convocabat, cum quibus deliberabat unde petitur, num velit causam excipere ac jure experiri, nec-ne. Hi dicebantur *advocati* proprie, et tempus *advocatio*. Senec. procem. lib. IV. Controv. *Tanta illi perturbatio fuit, ut advocationem peteret.* Hinc *advocatio* pro quavis mora. Senec. Consol. ad Marc. cap. 10. *Nihil de hodierna die promittitur: nimis magnam advocationem dedi: nihil de hora.* Et *advocare* est moras nectere. Plinius lib. V. ep. 8. *Ideoque interim veniam, ne a forensibus verbis recedam, advocandi peto;* hoc est, moras nectendi. IDEM.

Satisne tibi videor] Non intelligis me loqui etiam posse ut Jurisconsulti? nec frustra fuisse nostram consuetudinem, cum per eam mihi jam adhæserit aliquid de vestro jure civili. Erat autem genus interrogandi frequens antiquis per *Satin'*, vel *satisne*. Plaut. Amph. II. 2. 1. *Satin' parva*

res est voluptatum in vita? Epid. V. 2. 1. *Satin' illic homo ludibrio nos habet?* Mostell. I. 1. 73. *Satin' abiit, neque, quod dixit, flocci existumat?* Sic *Satin' salvæ?* Ter. Eun. V. 6. 8. Liv. I. 58. et XLI. 8. J. F. Gronovius.

Hæc signa meliora sunt, quam in meo, Tusculano] Ludit in *signorum* significatione duplici. Nam et significationes notat, et statuas, quibus Tusculanum ornaverat, et quarum emptio ei æs alienum conflaverat. Vide ep. 23. hujus libri. Græv.

Samarobrivæ] In aliis vero *Samarobrigæ;* metropolis Ambianorum in Gallia Belgica. Hodie *Amiens.* Sic autem recte scribitur in melioribus libris; *Briva* enim et *Briga* sunt antiqua vocabula Gallica, quæ pontem significant. Hinc *Samarobriva* est pons Samaræ fluvii, qui per illam urbem transit. *Samara* est fluvius, qui Ptolemæo Phrudis, in Notitia Imperii *Sombrica* dicitur, hodie *la Somme.* Idem.

Laberium] Poetam mimis scribendis mordacem, de quo Gellius, Suetonius, Macrobius. Cujus mimos non *ut pulchra poemata* miratur Horatius, Sat. ult. lib. II.

Valerium] Volunt L. Valerium Jurisconsultum, ad quem scribit, I. 20. et Appio commendat III. 1. quem si accipimus, quare eum pertimescat, ignoramus. Si Valerium Catullum, quem nolunt; facilis est explicatio, nempe ne is epigrammate se traducat; et eum fuisse amicum Ciceronis apparet ex epig. *L. Disertissime Romuli nepotum, Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli.* J. F. Gron.

Persona induci] Fingi in mimo, vel epigrammate; aut proponi. Idem.

12 CICERO TREBATIO.

Arg. Per jocum exagitat Epicureos, et ipsum Trebatium, quem Epicureum factum esse Pansa narraverat. *Anno* U. C. 700.

Epicureum te esse factum] Te sectam Epicuri adamasse, id est, te omnia referre ad tui ipsius utilitatem. Erat enim dogma Epicuri, sapientem omnia facere propter sese. Qua sententia abutebantur, qui se juvabant damno et publico et alieno. Supra lib. III. ep. 9. J. F. Gron.

O castra præclara!] In quibus scilicet homines Epicurei et voluptarii fiunt. Idem.

Tarentum] Mollem civitatem, nequitiæque deditam. Horatius lib. II. sat. 4.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum. Athenæus lib. IV. solitos dicere Tarentinos ait, aliis laboriosam vitam, sibi voluptariam placere. Manut.

Jus civile defendes] Est enim justitia virtus extra se patens, et magis consulens alii, quam sibi. Quomodo poteris retinere auctoritatem, tutari locum JC? J. F. Gron.

Formula fiduciæ] In pignore vel hypotheca constituenda, excludens omnem fraudem. III. Off. 17. *Quam illa aurea: ut inter bonos bene agier oportet et sine fraudatione.* Ibidem: *Idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis.* Idem.

Quis enim est, qui facit nihil, nisi sua causa?] Et abest hoc totum a duobus antiquis libris; et mihi quidem satis frigidum videtur. Jam cum superioribus formulæ verbis qui cohæret? Man.

Communi dividundo] Ubi quod commune esse cœpit (ut si duo rem eandem emerint, aut duobus idem legatum, eadem hereditas obvenerit) oportet dividi, et adhibeberis Jurisconsultus. An suadebis utrique, ut se tantum respiciat, socium fraudet? J. F. Gron. *Communi dividundo:* Titulus est apud Jurisconsultos. Manut.

Jovem] Vide hujus libri ep. I.

Ulubrano] Ulubræ, Latii oppidum, in clientela Trebatii. Infra, ep. 18.

πολιτεύεσθαι] Rempublicam admi-

nistrare. Dicebat Epicurus, rempubl. capessere hominem bene sanum non oportere. Corr.

A nobis] Academicis. Idem.

Panæa] Qui et ipse Epicureus est. Ep. 19. lib. XV. Idem.

M. CICERO TREBATIO S. D. 13

Arg. Interimissi litterarum officii excusationem affert, quam non accipiente Trebatio, liberius pro more jocatur. *Anno* U. C. 700.

Testa] Cognomen Trebatii. Man.

Gloriæ] Interdum gloriæ nomen pro inani quodam gloriæ studio sumitur. Idem.

Artificium tuum] Juris civilis prudentia. Corr.

Non ex jure] Ennii versus. *Ex jure manum consertum petere* est rem suam petere actione forensi, rei vindicatione. Vide Gell. XX. 9. Vide et Orat. pro Murena, cap. 14.

Sed magis ferro] Abjicitur *s*, in *Magis*, metri causa. Quod qui ignorabant, fecere, *Mage*. Man. Sed Manutius tamen et Lamb. ediderunt *mage*.

Adhiberi] Hoc est, in consilio adhiberi, consuli. Vult autem Lambinus legi, *Et tu* non *soles ad vim*, &c. Negatio scilicet, quæ debebat, inquit, locari ante verbum *soles*, fuit infra in alienum locum translata, et ante verbum *veneris* collocata. Quod si verum est, ut opinor, interrogandi nota deleatur post *adhiberi*. Olivetus.

Neque ait] Jocatur hic Cicero cum Trebatio tanquam cum homine bellica certamina libenter vitante: Nunquam, ait, ad te pertinebit illa exceptio, qua prætor in interdicto uti solet, quod tu prior vi hominibus armatis quenquam de possessione dejeceris. Facit enim tua timiditas, ne quem prior lædas. Huic sententiæ videtur illud, *Non veneris*, adversari: nam exceptio illa non solebat in eum fieri, qui prior vi hominibus armatis non venisset, sed qui prior venisset. Vidit hoc olim Bernardinus Rutilius, putavitque legendum, *Conveneris*. Alii postea non discedendum a veteribus libris, recte censuerunt: sententiam tamen Ciceronis non omnino (ut arbitror) sunt assecuti. Nam, quod aiunt Ciceronem hoc dicere, non esse Trebatio pertimescendam exceptionem illam, qua utuntur illi ad prætorem, qui cum confessi sint se dejecisse, clamant tamen se non interdicto teneri, nec debere restituere; nam se prius ab adversariis vi hominibus armatis dejectos esse: ego non arbitror exceptione illa eos ad prætorem uti solitos, qui aliquem de possessione dejecerant; sed ipsum prætorem, cum eum, qui dejectus erat, interdicto restitui juberet; excipere solitum esse, nisi is, qui postularet interdictum, prior vi hominibus armatis adversarium dejecisset. Quod si probaretur, interdictum ei nullam opem ferebat; sed vetus possessor, donec bis ad exitum pervenisset, in suo statu permanebat. Non dubium est autem, cum ait Cicero, *Quod tu prior vi hominibus armatis non veneris*, usitata eum exceptionis verba recitare; sed particulam, *Non*, addit de suo, joci causa, et immutat exceptionis morem, ut Trebatio timiditatis notam inurat: quasi minime prior venisset vi hominibus armatis. Man.

De nostris cautionibus] *Nostris*, inquit, jocans: quia jurisconsultorum cautiones erant: et oratorem cavere jurisconsulto, mirum videtur. Man.

Treviros] Petrus Bembus *Bernardino Sandro*. Quod hodie mane quærenti tibi a me de illis Ciceronis ad Trebatium verbis: *Treviros vites censeo: audio capitales esse: mallem auro, argento, ære essent:* respondi, jocum esse et multiplicem; et festivum: qui quidem jocus in antiquis et nummis et scriptoribus deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in via, ut neque libros, neque nummos haberemus, rejeci te in alium diem;

id, ne te diutius torqueat, est ejusmodi, ut joci causa, quod quidem Cicero ad illum scribens more suo fere semper facit, et *Treviri* et *capitales* in ambigui genere sint posita. Nam, cum videatur monere illum, ut vitet Treviros Galliæ populos, qui capitales bellicosique sint; ludit cum in *Trevirorum*, tum in *capitalium* verbo. Erant enim Romæ magistratus, Triumviri capitales, qui etiam Treviri dicebantur. Sed quoniam hoc ipsum Triumvirum nomen iterum in ambiguo poni poterat, cum essent etiam apud Romanos Triumviri pecuniæ cudendæ: quos ita inscribebant, A. A. A. F. F. hoc est, *Auro, argento, ære flando, feriundo:* jocatur iterum in hoc verbo, luditque Cicero, ut mihi quidem videtur, bellissime: addens, *mallem Treviros istos esse pecuniosos, quam bellicosos: ut, Cæsare eos vincente, tu ditesceres.* Itaque infert, *mallem esse Treviros auro, argento, ære, quam scilicet capitales.* Triumviros autem Treviros solitos dici, Livius satis locuples esse testis potest. Quod vero Triumviri pecuniæ sic, ut dixi, inscriberentur; est apud me nummus æreus perantiquus ita inscriptus, C. PLOTIUS. III. VIR. A. A. A. F. F. Sunt et alii nummi aliorum nominum, ejusdem tamen tituli; quos inspicies, cum voles. Hæc ad te scripsi, cum domum redissem, et nummos ac librum sumpsissem, amore tui admonitus. Vale. Pridie idus Junii. M. D. XXXII.

14 CICERO TREBATIO.

ARG. Familiariter et jocose Trebatium, qui litteras nullas miserat, objurgat. *Anno* U. C. 700.

Scribere] Lusus in verbo *scribere*, quod vel Jurisconsultorum est, scripta formula clientibus cavere; vel ad amicos litteras dare. CELL.

Advocato] Advocatus hic is est, qui per formulas præscripta litigandi forma, cavet iis, a quibus consulitur. *Advocationes* dixit similiter ep. 10. MANUT.

Æstivorum timor] Timor futuri belli, quod æstate renovabatur. ID.

Ut fecisti de Britannia] Ut causatus aliquid fueras, ne cum Cæsare in Britanniam navigares. CELLARIUS.

15 CICERO TREBATIO.

ARG. Suum absentis Trebatii desiderium declarat, et de C. Matii familiaritate gratulatur. *Anno* U. C. 700.

Istic] In Gallia.

C. Matii] Cujus extat gravissima ep. lib. XI. apud Cæsarem gratia valuit, ut ep. 12. lib. VI. MAN.

Doctissimi] Quintilianus lib. XII. cap. 6. ait Matium ante quæstoriam ætatem orasse. Columella lib. XII. cap. 4. et cap. 44. scripsisse eum de pistore, coquo, et cellario libros tres. A Gellio quoque et Macrobio laudari video doctrinam Cn. Matii. Sed ibi Cnæus, hic Caius nominatur: ut vel duo Matii fuerint, diverso prænomine, uterque in primis eruditus: vel, si unus fuit, mendum sit in alterutro prænomine. IDEM.

16 M. CICERO TREBATIO S. D.

ARG. Ita laudat Trebatii sapientiam in vitando bellorum discrimine, ut timiditatis simul arguat, et alia per jocum adjungat. *Anno* U. C. 699.

Equo Trojano] Livii Andronici tragœdia. CORR.

Sero sapiunt] Phryges. IDEM.

Mi vetule] Amatorie, per jocum. MANUT.

Primas illas] Lambinus edidit, *Primum quod illas.* Supple, *litteras.*

Rabiosulas] In quibus teneri se

urbis desiderio, et cupere statim aliquid auferre, atque à bello discedere, scripserat Trebatius. Id fuit primum argumentum, cur non sero, sed mature sapere visus est. Alterum, quod in Britanniam ire noluit. Tertium, quod Samarobrivæ diu mansit, nec ullam rei bellicæ partem attigit. Inde jocandi materiam Cicero sumpsit. MANUT.

Sat fatuus] Quia cum ivisset in Galliam eo consilio, ut Cæsaris benevolentiam obsequio officioque suo consequeretur, ita statim auferre ab eo pecuniam, et domum redire properabat, quasi non litteras commendatitias, verum syngrapham ad eum attulisset. IDEM.

Non nimis φιλοθέωρον] Non valde cupidum spectandi: quia transire in Britanniam noluisti, neque spectare essedarios. IDEM.

In hibernis] Hibernorum tempus nondum erat: sed hibernare Trebatius videbatur, quia se Samarobriva non commovebat. Ep. 11. 12. et hac in extremo. MAN.

Injectus] Lego, *illectus*, vel *inlectus*, id est, delinitus, inescatus, captus aliqua illecebra. J. F. GRON.

Usquequaque sapere oportet] Ubique: quod tu facis: qui tibi optime caves, nec periclitari, quanquam sis in bello, de vita vis. MAN.

Telum] Summum est in sapientia præsidium. Serio videtur hoc dicere, sed jocatur: quasi dicat: næ tu rationem tuendæ salutis tuæ optimam inivisti: et, quod alii telis acerrimis, id tu sapientia tua consequeris. MANUTIUS.

Cn. Octavio] Supra, ep. 9.

Abduxisses] Nondum a joco discedit; quanquam dixerit, *Extra jocum*. Nam *Abduxisses*, videtur esse, tecum duxisses ut hominem bellum, voluptatis et lætitiæ tuæ causa: sed valet, ut hominem ineptum, quo minime delectamur. MAN.

Superbiam tuam] Non quod superbus esset, sed quod a nemine consuleretur. Idem jocus ep. 10. lib. I. IDEM.

CICERO TREBATIO S. D. 17

ARG. Urbis desiderium quod deposuerit, gratulatur, et ut Cæsaris amicitiam faciat pluris, monet, quam fructuosam fore pollicetur. *Anno* U. C. 699.

Quinto fratri] Qui tum erat Cæsaris Imperatoris Legatus in Gallia.

Alexandriam] Ut a Ptolemæo, Alexandrino rege, pecuniam suam, ei Romæ creditam exigerent. Jocatur Cicero in re vera; ut ex oratione pro Postumo, in qua etiam syngraphæ in Albano Pompeii factæ nominantur, satis constat.

In provinciam] Vide supra ep. 5.

Vos] Jurisconsulti. Exempla non tot quin plura in Pandectis.

Te de rebus illis] Magnifice et insolenter referentem: *Non audiam*, cum fastidio. Sed jocatur. CORR.

CICERO TREBATIO S. D. 18

ARG. Laudat constantiam Trebatii, qui permanere in provincia apud Cæsarem constituerat. Jocatur in ejus parcimonia, quia scripserat in palimpsesto. *Anno* U. C. 700.

Diversis] Eodem tamen exemplo.

Cætera delectarunt] Hoc pendet usque ad illud, quod est infra, *Cætera elle: illud miror*. MAN.

Græculam tibi misi cautionem] Puto sensum esse, Commendavi te Cæsari litteris Græce scriptis. VICTOR. Ego potius crediderim epistolam esse eam ipsam Latinam quam ad Trebatium mittit suo chirographo scriptam, quam *Græculam cautionem* vocat propter Græcam fidem, de qua apud Plautum in Asinaria. Ut enim Græca fides certa est, sic Græca cautio certa firmaque intelligenda est. Nam

in cautionibus nostram obligamus fidem, ut Cicero suam ea epistola obstringit, cum promittat Trebatium multa assecuturum. TURN. Advers. XII. 18.

Quis solet eodem exemplo] Miror, inquit, cum tua manu scribas, eodem exemplo plures a te epistolas mitti. Hinc licet conjicere, epistolas illas, quas Cicero se diversis temporibus accepisse dixit, eodem exemplo omnes fuisse. MAN.

In palimpsesto] *Palimpsestus* membrana fuit iterum abrasa, ut aliquid rursus in ea scriberetur. IDEM. Vox e Græco profecta: πάλιν, iterum; ψάω, rado.

Quam hæc scribere] Hoc totum, sive, *quam hæc scribere*, sive *quam exscribere*, sive *quam hæc non scribere*; (nam varie in libris vulgatis legitur) delendum curavi. Est enim ex annotatione natum, et ex ora libri in contextum verborum Ciceronis invectum, quod et antea Mureto venit in mentem. LAMBIN. Difficilis admodum hic locus et corruptus videtur: quem nos cum explicuerimus, deinde emendabimus. Primum igitur Trebatius epistolam ad Ciceronem in palimpsesto exararat, quam post in charta pura descriptam (nam in palimpsesto etiam alia erant) ad Ciceronem daret. Ac similiter Cicero fecisse se, extrema ep. l. IX. ostendit, cujus hoc est initium, *Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaravi.* Hoc ergo cum fecisset primum Trebatius, postea mutato describendi consilio, vel ignavia, vel avaritia impulsus, palimpsestum ipsam ad Ciceronem misit, cum ea, quæ præter epistolam erant ibi perscripta, delevisset. Id enim facere maluerat quam hanc exscribere. Nam hoc vult his verbis indicare Cicero. Jam quod ad scripturam attinet, primum qui tria hæc verba *quam hæc scribere* plane tollunt, imperitissime faciunt et audacissime. Ac si sic licebit nobis, quidquid in Cicerone vel Poeta aliquo non assequimur, tanquam nothum perfodere, facillimam nobis ad omnium scriptorum explicationem sternemus viam. Rectius longe Manutius *quam exscribere* legendum putavit. Id quod tamen nondum prorsus verum est. Cur enim non potuerit Trebatius etiam quæ exscripserat delere? Nos ita *quam hæc exscribere.* CANTERUS.

Tecum extuleris] Nam, si eam tecum non attulisses, sine verecundia peteres: nunc, quia te pudor a petendo deterret, nihil accipis. MANUTIUS.

Fremitum clientium meorum] Coaxationem ranarum in paludibus Pomptinis profectarum (ut fingit) ex Ulubrano, quod oppidum Ciceroni commendaverat Trebatius, effecerat que ut nescio quam eorum causam apud Senatum ageret. J. F. GRON.

19 CICERO TREBATIO S.

ARG. Antonio post Cæsaris necem remp. turbante, Cicero desperans libertatem, in Græciam abire constituit. In quo itinere Topicorum librum scripsit, eumque Trebatio misit ab Rhegio, ubi et hæ litteræ sunt datæ, de usu et interpretatione ejus libri docentes. *Anno* U. C. 709.

Absenti debere non potui] Hoc est, volui persolvere. MAN. Sic etiam locutus est Cicero *Tusc.* II. cap. ult.

Velia] Urbs fuit Lucaniæ ad Pæstanum sinum, ad quam est portus Velinus. GRÆV.

Non longe abieris] Non longe petantur exempla. MAN.

Usumque] Corradus legit, *lumenque.* Grævius ex Mss. *unum quem.*

In qua nos te continebimus] Ego tibi præceptor ero. Verbum proprium de magistris. Petron. *Nondum juvenes declamationibus continebantur.* Gell. XIX. 1. *Non parva virum auctoritate, satisque attente discipulos juvenes continentem.* J. F. GRON.

Ann. De Veliensium in Trebatium amore significat: et ne paternas possessiones vendat, perfugium miseris temporibus futuras, admonet. Scripta ante superiorem, ut dies adscripta ostendit. *Anno* U. C. 709.

Rufio tuus] Rufionem Trebatii gentilem fuisse, didici ex hoc antiquo lapide, qui est Romæ ad portam Latinam: C. VIBIUS. C. F. MACER. C. TREBATIUS. RUFIO. FAGIUND. CURAVERUNT. *Manut.*

Te non reprehendo] Utcunque illi eum requirant, tu bene fecisti, quod illum pellexisti Romam, ut præsit domui struendæ, quam paras in Lupercali. J. F. GRON.

Lupercal] Locus in urbe Roma, sic appellatus a Lupercali sive fano Panis Luperci. Varro IV. de L. L. 94. *Luperci, quod Lupercalibus in Lupercali sacra faciant.* Vide et Justin. XLIII. 1. IDEM.

Tamen isthuc malo] Nempe ut domus tibi sit, in qua nobiscum vivas Romæ. IDEM.

Heletem] Strabo in initio VI. libri, ubi de omni illa ora agit, plures sententias adducit, unde *Velia* a Græcis *Hélia* appellata esse possit, nonnullosque tradit ab *Helete* flavio ei nomen inditum voluisse. Stephanus inde nomen illam accepisse affirmat. VICTOR. Alii, *Haletem.*

Papirianam] Emptam de Papirio quodam a Trebatio, vel ab ejus patre. MANUT.

Lotum] Nos antiquos codices in hoc etiam secuti sumus, quos incorruptos esse censemus. De *lotorum* nobilitate, et quam jucunda earum opacitas esset, quantique olim in domibus æstimarentur, Plinius docet in lib. XVII. procemio. Polybius a se visam in Attica describit lib. XII. histor. quem locum, quia nondum integer vulgatus est Polybius, leges apud Athenæum δειπνοσοφιστῶν lib. XII. qui totam verbis ipsius hujus arboris descriptionem persequitur. Nam qui *hæum* emendarunt, deceptos esse putamus. Impium enim Ciceronis consilium fuisset; cum enim sacri essent luci, non sine ingenti piaculo et scelere incidi poterant: domusque privata non luci erat capax, cum *loti*, deliciarum causa, summa arte in domibus colerentur, advenæ autem raram arborem visebant, et ejus jucundo aspectu tenebantur: propter quam rem jocans (ut arbitror) jubet ipsum lotum illam exscindere, quia sibi esset sumptus causa, cum sæpe hospitum domus plena esset. Nam in verbo illo *prospexeris* ambiguum sensum esse puto. Videtur enim dicere, *si lotum excideris*, majus cæli spatium aspicies: illa enim sua capacitate prospectum impedit, et luminibus obstruit: cum dicat, Rebus tuis consules, minores enim sumptus facies, non enim causa erit advenis, cur domum tuam frequentent. Et omnia hæc facete et cum joco, ut consuevit. Fere enim semper cum eo jocatur. Adversatur solum antiquæ lectioni, quod *lotum* fœminino genere alii auctores appellarunt, cum ipse masculino usurpet: quare accurate considerandum est, vitiumne ea parte vetus habeat, sive eo genere contra plurimorum morem, quod vix verisimile est, Cicero appellare lotum voluerit. VICTOR. Ne genus obstaculo nobis sit ad hanc lectionem approbandam, pluribus docet Sanctius in Minerva, quem consule. GRÆV.

Νίκωνος] Niconis. *De edacitate.* In illo, opinor, libro documenta inerant, quo modo, incolumi valetudine, plurimum edi posset. MAN.

Te quidem non videtur] Ita sine metu morbi escæ maximæ videris. J. F. GRON.

21 CICERO TREBATIO S. D.

Arg. Silii, amici sui, causam Trebatio commendat, ut ad eum veniat, et adjuvet. *Anno* U. C. 709.

Silii] Ad quem scribit lib. XIII.

Causam te docui] *Docet causam*, cujus res agitur, cum pro se acturum instruit. *Discit*, qui defensurus est. Seneca in nobili fragmento apud Augustinum lib. VI. de Civ. Dei, cap. 10. *Sunt qui vadimonia sua Deos advocent: sunt qui libellos offerant, et illos causam suam doceant.* Plin. III. ep. 9. *legatos interrogabam, docuissetne me aliquid, quod re probari posse confiderent.* J. F. Gron.

Sponsionem illam] Judicialem, ut judicio vicisse credatur adversarius, ni ita sit. Vide Pithœi Advers. 18. Idem.

Si bonorum Turpiliæ] Legendum videtur, *Ni bonorum*, &c. Hereditatem sibi a Turpilia relictam Silius ex edicto prætoris acceperat. Vocatus in judicium a Turpilio propinquo, eandem hereditatem repetente, quia Turpiliæ factionem testamenti fuisse negaret, sponsionem facere cogebatur: de qua consuluit peritissimos jurisconsultos, Serv. Sulpicium, et Offilium: et cum Trebatii quoque sententiam scire vellet, Ciceronis opera usus est. Man.

Factionem] Jus faciendi testamenti.

22 CICERO TREBATIO S. D.

Arg. De furto quæstionem, inter scyphos natam, probat auctoritate jurisconsultorum. *Anno incerto.*

Furti recte agere] Haberetne actionem adversus eum furem, qui furatus esset ante quam ipse heres esset. Ideo enim dubitari potest, quia non videtur heres ea, tanquam sua, posse repetere, quæ nondum ad eum hereditario jure pervenissent. Man.

Scævolæ et Testæ] Trebatium suis cognominibus appellat. *Testa* enim vocatur ep. 13. et 21. *Scævola* vero ep. 14. ad Att. lib. IX. Jocatur Cicero, et post verbum *Scævolæ*, addit copulam *et*: ut videatur de duobus loqui, cum de uno loquatur. Aut dic, P. Muclum significari, quem et lib. I. de Fin. cum Manilio et Bruto nominat, eosque vocat principes civitatis: nisi si Mucium Scævolam illum notat, de quo ep. 10. Idem.

23 CICERO FABIO GALLO S. D.

Arg. Signa quædam et statuas Ciceroni, potius tabulas pictas cupienti, Gallus emerat. Ex illis emptionibus nullam a se desiderari Cicero rescribit: simul gratum sibi esse significat, quod domum proximam velit conducere. *Anno incerto.*

Tantum quod] Sic Mss. et optimus quisque librorum: deteriores sine *quod*. Est autem *tantum quod*, vix, modo, commodum, simul ac. Cellarius.

Aviani] De quo lib. XIII. ep. 2.

Nomina se facturum] Se nobis crediturum, traditurumque statuas, quas ab eo emimus, non præsenti pecunia, sed in diem. *Facere nomen* est credere alicui, vel cum aliquo in creditum ire, sive pecunia mutua data, sive merce tradita, pro qua pretium non præsens, sed in diem dictam solvatur. Nomen facit creditor, cum scribit in libro expensi se alicui tantum credidisse, aut mercem tradidisse, quam pecuniam mutuam, quave pro merce pecuniam ad diem placitam recipiat. Sen. II. de Benef. 23. *Idque fiebat præsente et vidente debitore.* Cic. pro Sex. Rosc. c. 1. debitor dicebatur *locare nomen*. Phæd. I. 16. etsi eundem *facere nomen* etiam dicat Cic. III. Off. 14. Vid. Salm.

de Usur. pag. 146. 147. J. F. GRONOVIUS.

Plus annua postulare] Postulare ut summam, quam me illi debere in tabulas retulerat, intra annum non restituerem, sed diutius retinerem, et solverem usuras. *Annua die debere* est hac conditione et lege pecuniam mutuam accipere, ut post annum elapsum restituatur. GRÆVIUS.

Damasippus] Scripserat (opinor) Gallus, empturum ea signa Damasippum, si Ciceroni non placerent. Horatius Sat. 3. lib. II.

Insanit veteres statuas Damasippus emendo.
MANUT.

Bacchus] Baccharum imagines, id est, mulierum ebriarum, quasi celebrantium Bacchi orgia. CELLAR.

Æs alienum] Martis enim et Saturni signa minus fausta putantur: mavult per jocum *Mercurii*, quia is credebatur deus mercatorum esse, et nummos procreare. MAN.

Trapezophorum] Qui mensam fert: seu mensæ fulcimentum. IDEM.

Cui plane res certas] Cui sic exposueram sententiam meam, ut, si ille mandata tibi recte edidisset, errare non posses. J. F. GRON.

Exhedria] Loca in porticibus, ubi sedentes disputare soliti erant. Ita Vitruvius et Cicero. *Exhedra* tamen muliebri genere, usitatius. MAN.

Plane mecum habitare] Fortasse, quod paries communis esset: vel quod ædes illæ ita Ciceronis ædibus vicinæ, ut ad eum percommode Gallus itare posset. MAN.

CICERO M. FABIO GALLO S. D. 24

ARG. Exponit quam injuste sibi Tigellius irascatur. Cæsare quartum consule sine collega. *Anno* U. C. 708.

Tigellio] M. Tigellio Hermogene liberto, quod Hermogenis cognomen indicat. Est enim is, de quo Horatius Sat. 9. lib. I. *Invideat quod et Hermogenes, ego canto.* Et Sat. 2. 3. 10. quibus locis ostenditur, quod hæc quoque declarat epistola, Tigellium canendi arte præstitisse. Quid autem de Tigellio scripserit ad Ciceronem Gallus, cognoscitur ex ep. 47. lib. XIII. ad Att. MAN.

Cipius] Alii *Capius*, et *Cepius*. Sed omnem dubitationem tollit Sext. Pompeius, in proverbio, *Non omnibus dormio:* ubi docet, proverbium videri natum a *Cipio* quodam, qui *pararenchon* dictus est; quod simularet dormientem, quo impunius uxor ejus mœcharetur. Eundem commemorat et Plutarchus in Eroticо, ubi tamen κάββας nominatur, si locus emendatus est. LAMB.

Patria sua] Sardinia. CORRAD.

Calvi Licinii] Cornelii Licinii Calvi poetæ: de quo vide G. J. Vossium.

Hipponacteo præconio] Iambico scazonti, sic ab auctore appellato. Quale est illud,

Sardi Tigelli putridum caput venit.

Præconio autem dixit, quia præco Sardos venales pronuntiabat. CORRADUS.

Præconio] Præconum est proclamare venales, eorumque prædicare virtutes et artes, ut citius emptorem inveniant: iidem addicebant emptori, seu jubebant emptorem ducere emptum, ubi de pretio convenerat. Ita ergo proscripsit proclamavitque Hipponacteo carmine Tigellium, et prædicavit publicavitque ejus scelera et vitia, et hominem duraturæ in æternum infamiæ quasi addixit Calvus. Suspicor autem supervacanea esse duo verba, *puto esse:* ut fuerit, *non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum jam tum Calvi Licinii Hipponacteo præconio.* Eum præsertim, inquit, quem jam ante tot annos prædicavit *Calvus*, ut *Hipponax* Anthermum et Bupalum: quasi præco venalem exposuit cum ornamentis omnibus, tradiditque infamiæ velut proprium et addictum. J. F. GRON.

Phameæ] Liberti, cujus nepos Tigellius. *Ipsius quidem causa:* Non propter Tigellium ejus nepotem, sed ipsius causa. MAN.

Qui sciret] Quasi ob hoc cristas erigeret, et Ciceronem putaret negare sibi nihil debere, quia Tigelli avus esset. GRON.

Habes Sardos venales, alium alio nequiorem] Nempe Phameam, et M. Tigellium Hermogenem, nepotem illius, modulatorem optimum, in Sardinia natum, ut notat Acron. Proverbio hoc utebantur de hominibus improbis, nequitia et fraude inter se certantibus, ut qui alteri præferendus sit, non facile possit intelligi. Proverbio dederunt originem Sardiniæ captæ venales, qui nequiter servierunt, et improbitatis ac nequitiæ palmam tulerunt inter mancipia: non vero a Veientibus, qui quoniam Etrusci sunt, hi vero Coloni Lydorum, quorum caput fuerit Sardes, a quo *Sardi* dicti sint, ut Festus et Plutarchus docent. Nam a *Sardes* est *Sardianus*, a *Sardinia* vero *Sardus*. Sic recte hoc proverbium exponit, et pluribus refellit Festi et Plutarchi sententiam Gronovius IV, de Pec. Vet. cap. 10. quod vide. GRÆV.

Salaconis] Nec Græcis ignotum nomen, qui vel luxuriosum et mollem, vel in pauperie superbientem, vel prodigum etiam interpretantur. Vide Hesychium et Suidam. CELL. Utitur hac eadem voce, ep. 18. lib. XVI.

Catonem tuum] Librum a te de M. Catone scriptum. CORRAD.

25 CICERO M. FABIO GALLO S. D.

ARG. Epistolam conscissam non esse nuntiat; et monitus, ne incautius de Cæsare loquatur, gratias agit: et ut pergat stylum exercere, hortatur. *Anno* U. C. 708.

Domo petes cum libebit] Ita Victorius ex Mss. Alii vero, *Salva est domi: petes cum libebit.* Neutrum male.

Si istum habuerimus] Medicens liber, *nisi istum habuerimus.* Semper mihi suspectus hic locus, ac merito quidem fuit: et est sane tota epistola obscurior. Arbitror legendum esse, *nisi istum caverimus.* Sententia, ut patet, egregia est: intelligit enim per *istum*, Cæsarem. Memini disertum virum, qui et ipse hunc locum depravatum esse censebat, sic eum emendare solitum *ne, si stylum acuerimus.* VICT. *Istum.* Tigellium, vel Phameam potius, quam Cæsarem significat, propter proverbium quod addit, et nescio quam suspicionem, de qua lib. XIII. ad Atticum scribit. CORR.

Γίλωτα σαρδόνιον] Proverbium de iis usurpatum, qui risu et jocis sibi nocivum concitant periculum. Vide Erasm. in proverb. GRÆV.

Manum de tabula] Proverbium esse existimo sumptum a pueris pictorum, qui, absente magistro, sumpto penicillo aliquid et ipsi furtim in tabula pingere conantur. Quo repente superveniente, admonentur a cæteris ut cito manum de tabula removeant, ne in illos magister animadvertat. Monet igitur Cic. Fabium, ut appropinquante Cæsare manum et ipse de tabula cito auferat: scribebat enim Catonem, quæ scriptio parum Cæsari grata et jucunda esse poterat, et quæ inimicissimum illi hominem summis laudibus ornaret. Cum autem se quoque cogitaret, quia et ipse etiam Catonem scripserat, apud eum offendisse, subjungit, *vereor ne in Catonium Catoninos*, id est, timeo ne Cæsar commotus ira ad inferos demittat Catoni deditos, et Catonem amantes, id est, meipsum et te, qui Catonis laudes scripsimus. Nam et A. Gellius videtur ostendere *Catonium* pro inferis sumi quandoque solitum. Vide lib. XVI. Noct. Att. c. 7. VICT.

Nec transversum unguem, quod aiunt, a stylo] Subaudi, *discedas.* Dicitur autem eodem sensu, *unguem, digitum, pedem non discedere*, pro minimum discedere. MANUT. Vide Erasm. in proverb.

Aliquantum jam etiam noctis assumo] Cum dicat, *jam etiam*, apparet epistolam scriptam esse in exitu æstatis, vel ineunte autumno, cum noctes incipiunt jam esse longiores. Atque illud, *magister adest*, quod de Cæsare dictum est, indicare videtur scriptum esse mense Sextili. Nam epist. 46. ad Attic. lib. XIII. *Cæsar*, inquit, *adest*. Illam vero scriptam Sextili mense, cognoscitur ex ea quæ proxima antecedit. IDEM.

CICERO GALLO S. D. 26

ARG. Herbas in augurali cœna lauta conditas sibi morbum attulisse narrat. *Anno incerto.*

Gallo] Fortasse Q. Fabio Sangæ Gallo. Nam in veteribus libris superiores epistolæ, post librum ad M. Varronem scriptum sunt positæ: hæc et sequens, hoc loco: et hic Gallus exulabat Cæsare Dictatore, ille Romæ erat: hic Epicureus erat, ille Academicus: hic nescio quid ad Ciceronem detulit, quod Sangæ propter conjurationem convenit: ille nihil, quod sciam. CORRAD.

Tum quo] Hoc est, tum hunc maxime, quo Epicurum laborantem Stoici reprehendebant, quia putabant eum his morbis exagitatum fuisse ob edacitatem et impudicitiam. QUARTERIUS. Epicuri verba lib. II. de Fin. cap. 30. recitantur. *Tanti autem morbi aderant vesicæ et viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accecere.* Δυσουρικὰ πάθη, stranguriam Græco verbo; δυσεντερικὰ, tormina Cicero vocat Tusc. 2. de Epicuro loquens. MANUT.

Lex sumptuaria] De qua Gellius, II. 24. et Macrob. Saturn. lib. III.

Αὐτότητα] Frugalitatem. MANUT.

Cœna augurali] Augures, sacerdotium ineuntes, collegis cœnam dabant lautam in primis atque opiparam. Varro lib. III. c. 6. *Primus pavones augurali cœna posuisse dicitur Q. Hortensius.* Eadem *Adjicialis cœna* vocabatur. Nam Plin. lib. X. cap. 20. *Pavonem*, ait, *cibi gratia Romæ primus occidit orator Hortensius adjiciali cœna sacerdotii.* MANUT. In eo qui huc adducitur Plinii loco, non *adjiciali*, sed *aditiali* edidit Harduinus, nempe ab aditu sacerdotii, vel adeundo sacrificio. Quod quis non unice amplectatur? OLIVET.

Corpus amisi] Hoc est, carnem, macescere cœpi. Ovid. I. Am. el. 16.

Aptaque subducto corpore membra dedi.

Hoc est, postquam de pinguedine aliquid decessit. Contra *corpus facere* est pinguescere Phædro lib. II.

Ut restiterunt: unde sic quæso nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis? GRÆV.

CICERO GALLO S. D. 27

ARG. Gallus, alius forte quam Fabius, Ciceronem litteris accusaverat, quem vicissim litteris repungit. *Anno* U. C. 707.

Gallo] Is non fuit M. Fabius Gallus, sed M. Fadius Gallus. Et sic legendum esse contendit Steph. Pighius annal. XVI. quem vide. GRÆV. Libentius crediderim, hunc esse P. Sextium, pro quo extat oratio, cui cognomen fuerit Gallo: fuisse enim hoc Sextiæ gentis cognomen, intelligitur ex orat. pro Milone, ubi, *Sacrarium, quod est in fundo T. Sextii Galli.* MANUT.

Cum tibi id non liceat] Pighius propter sortis quæstoriæ necessitudinem. Divin. in Cæcil. cap. 19. Fuerat autem quæstor Ciceronis Cos. A. U. 696. Sed et alia potest causa dari, quia erat exul. J. F. GRONOV.

Ego enim te in Consulatu observaram] Credibile est his verbis usum Fadium in sua epistola. Sed hic Cicero reddit ei sua verba aliter accepta. Nam Fadius imputat Ciceroni

cultum et officia, quæ ei præstiterit. Cicero et sic videtur accipere, cum ponit tanquam causam, propter quam non conveniat Fadio ipsum accusare. Intelligit autem se intentum in eum fuisse, et actiones ejus speculatum, ne quæstor de pecunia publica quid suffuraretur. Sic Att. VIII. 19. *tibi esse in animo observare Cæsarem.* Sueton. Jul. 65. *subinde observandum se admonens.* IDEM.

Restituat] Ab exilio. MANUT.

Nemo credit] Vel aliquid dicenti, vel pecuniam. J. F. GRONOV.

Plebei] Pro *plebis*, ἀρχαικῶς.

Mea causa] Ut restitueres me. MANUTIUS.

Intercessorem non quæreres] Nam qui Tribunus est, ipse habet jus intercedendi. Manutius: Non rogares, ut ego pro te apud Cæsarem intercederem. Atqui *intercedere pro aliquo*, pro deprecari, Latinum non est. Immo hoc confirmat, quod diximus de τῷ *nemo tibi credit. Intercedere pro aliquo pecuniam*, est, fidejubere. Phil. II. 18. *Orabat, ut contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem. Tantum enim se pro te intercessisse dicebat.* VI. Att. 1. *intercessisse se pro iis magnam pecuniam.* Sen. ep. 119. *nolo per intercessorem mutueris.* Hoc igitur ait, Non quæreres, cujus fide et quo sponsore quisquam tibi crederet nummos. J. F. GRONOV. Respondet Gallo, qui petierat a Cicerone, ut de se restituendo cum Cæsare ageret. Itaque ludens in ambiguo, *intercessorem*, et pro tribuno vetante, et pro amico deprecante usurpat. FACC.

Me rogares] Per litteras. Epistola 1. lib. XIV. ad Att. *Cum Sextii rogatu apud eum fuissem.* Quibus ex locis exulasse Sextium constat. Rogavit enim Sextius absens Ciceronem, ut de suo reditu Cæsari supplicaret. MANUT.

Isto ipso in genere] Acerborum salium, jocandi cum morsu, pungendi specie urbanitatis. J. F. GRONOV.

Detulisti] De C. Antonii consulis tui consiliis. MANUT.

28 CICERO CURIO S. D.

ARG. Probat Curii consilium, quo, desperata rep. in Græciam se contulerat. Addit propter eandem causam et se in bibliothecam abdi; nullam enim spem reliquam esse, aliquando melius fore. *Anno* U. C. 707.

Curio] Tribunus plebis quo tempore Cicero ab exilio est revocatus. CORRAD.

Patræ] Urbs in Achaia.

Te in Græciam contulisti] Paulo ante bellum civile. Nam Cicero ex Cilicia rediens, Tironem ægrum Patris, ubi erat Curius, reliquit. CORRADUS.

Ubi nec Pelopidarum] Subaudi, neque *facta audias, neque nomen.* Vide epist. 30. hujus libri. *Pelopidæ* autem hic dicuntur mali cives, qui rempub. oppresserunt. Cujus poetæ sit hic senarius, non satis constat. ANONY.

Te ex meis libris] Non eum me esse qui viderer in meis libris. MANUTIUS.

29 CURIUS M. CICERONI SUO S.

ARG. Curius laudat Ciceronis erga se beneficia, eumque rogat, ut Ser. Sulpicii se successori commendet. *Anno* U. C. 708.

Sum enim... tuus]. *Enim* connectit eum pronomine *SUO* in titulo, ut lib. I. ep. 10. CELLAR.

Χρήσει μὲν tuus, κτήσει καὶ Attici] Usu quidem tuus, possessione autem Attici. Sententiam hanc lepide expressit Lucretius, lib. III. v. 984. *Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.* MANUT.

Mancipium illius] Est possessio, jus dominii. Hinc *mancipio dare* est ita dare ut proprietas transeat ad alium. GRÆV.

Senes coemptionales] Sunt mancipia.

rejicula et veterana, quæ, quod non ita facile emptorem invenirent, aut minimo æstimarentur, solebant vel plura in cumulum vendi, vel quasi mantissa et appendix dari melioribus, ut qui bene habitum conciliare cuperet, imparem contubernalem simul acciperet. Unde *senes coemptionales* dicebantur, hoc est, simul venales. Plaut. Bacchid. IV. sc. 9.

Nunc Priamo nostro, si quis est emptor, coemptionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, tibi oppidum expugnavero.

Habeo venalem senem coemptionalem, hoc est, ex eo genere, in quibus singulis vix quisquam facit pretium, sed qui auctioni aliorum accedunt. Vendam, inquit, ubi oppidum expugnavero. Sic Curius hic dicit, si mihi inter rejicula istiusmodi mancipia titulum in venalitio pinxerit, vendideritque me, parum rei fecerit: quia inutiles sumus et nullius pretii. Curius se vix ait prodesse Attico, cujus sit ἀτόπωι, posse, nisi proscribatur ab eo venalis inter mancipia veterana, quæ plerumque in cumulum vendunt, aut aliis rebus vel mancipiis melioribus accessiones dantur: sic quoque non multum. J. F. GRONOV. IV. de Pec. vet. cap. 8.

At illa nostra prædicatio quanti est] At tuus ille fructus ex me longe majoris est. Alludit ad præcones auctionibus adhiberi solitos. IDEM.

Homines] Alicujus pretii. IDEM.

De meliore nota] Translatio à doliis, quibus diversæ inuruntur notæ, ut internoscantur vina. MANUT.

Ad ver] Verno tempore. Sic Vict. et Lamb. ex Mss. Alii, *ad urbem*.

Refigere] Sic legendum. Id est, pecunias, quas hic habeo collocatas et fundatas et quasi fixas liberare et redigere. Nam *refigere* contrarium τῷ *figere*. Infr. XII. 1. Justin. IX. ult. At. *defigere* est idem, *quod figere*. J. F. GRONOV. Hic alii legunt *defigere*, alii *deferre*.

Duo parietes de eadem fidelia] Significat hoc proverbium, una eademque opera duas res conficere. *Fidelia* est fictilis urceus, in quo color habebatur tingendis parietibus. Vide Erasm. Adag.

CICERO CURIO S. D. 30

ARG. Ostendit quam misere agatur cum rep. cum Cæsar Caninium ad aliquot horas consulem creaverit: et de litteris commendatitiis ad Acilium significat. *Anno* U. C. 709. Cæsare quintum Cos. quo anno, idibus Mart. interfectus est.

Pelopidarum] Supra, ep. 28.

In campo] Martio, ubi Comitia habebantur, tum Tributa, pro Quæstoribus creandis, quæ adhuc in extremum Decembrem dilata fuerant. CEL.

Sella Q. Maximi] Q. Fabii Maximi, quem Cæsar quartum Consul, cum ex Hispania revertisset, sibi suffecerat; ideoque *illi* Cæsariani *dicebant* esse consulem: a populo et legitime creatus non erat. Huic, per morbum absenti, posita fuit sella. IDEM.

Ille autem] Ille, Cæsar, suppresso, ut sæpe, odioso nomine, ante lucem auspicatus erat solemnibus sacris; ut eo die Quæstores tributis comitiis crearet: audita vero sui Consulis morte, novum consulem Caninium sine auspiciis constituit, quia illo mane non centuriatis et consularibus, sed tributis tantum comitiis auspicatus fuerat: Consules autem oportebat centuriatis fieri. Idcirco tributa in hæc subito mutata dicit. IDEM.

Neminem prandisse] Quia a meridie creatus fuit; mane postridie magistratu abiturus. CELL.

Somnum non viderit] Posteriores enim sex horæ noctis, habita civilis diei ratione, pertinent ad Kal. Jan. id est ad sequentis anni consules: priores vero, quæ pertinent ad pridie Kal. qui consulatus ultimus dies est, insomnes ab occupato præsertim con-

sule ducuntur. Itaque perbelle Cicero, jocum quærens, brevitatem consulatus ad vigilantiæ laudem convertit. Vide Macrobium lib. II. Sat. Plut. in Cæsare, Dionem lib. XLIII. Tacit. lib. XIX. MAN.

31 CICERO CURIO S. D.

ARG. Invitat ad mutua officia, et, ut in urbem revertatur, veteris urbanitatis tuendæ causa, rogat. *Anno* U. C. 709.

Res tuas ita contractas] Valde implicatas, quia illi cum triconibus et hominibus non solvendo res est. J. F. GRONOV.

Nec caput, nec pedes] Nec initium nec finis appareat: quin sic turbatæ sunt, ut nescias, unde incipias, ubi finias. IDEM.

Uti pedes haberent] Uti exitum earum reperire posses. IDEM.

Gloriam antiquam Atticam] Magnifica verba sunt: nec tamen laudatur quidquam, præter sales. Blanditur igitur Cicero, dum humilem rem extollit, Curio simul et Attico; qui salibus mire delectabantur. Fortasse etiam ipsa Attici verba refert. Quod si ita est, hoc ipso jocatur: quasi Atticus gloriam antiquam Atticam in ridiculis poneret, et eam crederet per tres homines posse retineri. Sales autem Attici omnibus præstabant: quanquam Cicero, ut assentaretur Pæto, Romanos præfert, ep. 15. lib. IX. MAN.

Ergo is tibi] Curio primas, Attico secundas, sibi tertias urbanitatis partes tribuit. Erat in Curio ἀντίχθων urbanitas, ut Attico scribit lib. VII. ep. 2.

32 CICERO VOLUMNIO S. D.

ARG. Ex Cilicia P. Volumnio scribit de dictis, de judiciis, de rep. de Dolabella nondum genero. *Anno* U. C. 702.

Volumnio] Hic est P. Volumnius Eutrapelus, qui Cytheridem mimam dilexit. Epist. 26. lib. IX. Præfectum fabrum Antonii fuisse civili bello, Nepos ait in Attici vita, Sulpicio et Marcello coss. MANUT.

Sine prænomine] Vide V. 19.

Εὐτραπελία] Festivitas, lepor, urbanitas: unde illi cognomen Eutrapelo. Epist. 26. lib. IX. ad Att. ep. 8. lib. XV. Philippica 12. Plutarchus in Bruto *mimum* vocat. MAN.

Salinarum] Quod *sales* joca sunt, quorum dives erat Cicero; per jocum sibi quasi salinas tribuit, quarum procuratorem, cum in provinciam iret, Volumnium constituisset. CELLARIUS.

Ἀκύθηρον] Quod venere caret, venustatis expers. Nomen a Venere deductum, quæ Græcis Κυθήρεια nuncupatur. MAN.

Ἀμφιβολία] Ambigua oratio: cum ad sententias diversas eadem verba accommodari possunt. IDEM.

Ὑπερβολή] Superatio, vel exsuperantia, cum sententia supra veritatem extollitur: ut in suasione legis Maniliæ: *Plura bella gessit, quam cæteri legerunt: plures provincias confecit, quam cæteri concupiverunt.* Fit etiam minuendi gratia, ut *Testudine tardior.* IDEM.

Παράγραμμα] Agnominatio: cum unius litteræ mutatio diversam significationem affert: ut lib. II. de Orat. *Eamus deambulatum. Quid opus fuit* de? *Immo vero, quid opus fuit te?* ID.

Παρὰ προσδοκίαν] Præter expectationem. IDEM.

Per Antonii personam] Immo Julii Cæsaris Strabonis, II. de Orat. 58. et seqq. Sed quia Antonii persona primas ibi partes agit, quod in toto libro est, adscribit Antonio. J. F. GRON.

Ἔντεχνα] Artificiosa. MANUT.

Quereris] Questus erat Volumnius dominari in judiciis, absente Cicerone, homines infantissimos. IDEM.

Trahantur per me pedibus] Formula loquendi de iis, quæ susque deque habemus: in quibus nihil moramur, quid fiat. IV. Attic. 17. *per me ista pedibus trahantur*. J. F. GRONOVIUS.

Se liberum] Quia eum non ingenuis natum esse dicebant. CELL.

Quibusvis interdictis] Omni cura et studio, ope quasi prætoris. Interdictis enim Prætorum tuebantur possessionem facultatum. Lepide autem de possessione urbanitatis, judiciale verbum usurpavit.

Te sapere] Quia falsas laudes non agnoscis. MAN.

Nostrum illum amicum] C. Curionem, tribunum pl. in locum Servii designatum: ut ep. 4. lib. VIII. Jure autem Cicero verebatur, ne non satis gravem Curio se præberet in tribunatu. Levissime enim ab optimatum causa ad Cæsarem transiit: ut ep. 6. lib. VIII. et ep. 13. lib. II. ID.

Desit] Amori illius erga me. ID.

Non videor nimium laborare] Cum valde tamen laborem. IDEM. *Non videor*. Alii, *nunc videor*. CORR.

M. CICERO VOLUMNIO S. D. 33

ARG. Dicit, afflicta rēp. se cum Hirtio, Cassio et Dolabella declamationes exercere, et Volumnium ad eadem studia invitat. Nam sibi deliberatum esse in litteras se abdere, Cæsare permittente. *Anno* U. C. 707.

Declamationibus nostris] Cur se ad declamandum Cicero contulerit, causa exponitur in ep. 18. lib. IX. MANUTIUS.

Gregalibus illis] Hortensio, Marcello, Cælio, et reliquis. CORR.

Pennigero] Dolebat, quod studia sua non, ut antea, in tuenda Rep. et agendis causis, sed in hoc vili exercitationum genere collocare deberet: ad hoc usus poetæ verbis, quibus Philoctetes conqueritur, quod tela in avibus trajiciendis, non in sternendis hominibus consumat. Cic de Finib. V. 11. CELL.

In maximarum quasi concursum occupationum] Scholam suam declamatoriam per jocum ita nominat. ID.

Exceperimus] Hic, *Excipere*, opinor, est ferre, subire: ut alibi *excipere dolorem, laborem*. Vide Tusc. II. 5. et Brut. 69. OLIVET.

Vivam cum communibus nostris amatoribus] Forte legendum: *nostri*: Oblectabo me cum illis, qui et te et me insigniter, et præ cæteris amant. J. F. GRON.

Meis æquissimis utuntur auribus] Libenter eos audio declamantes. MANUTIUS.

Polito] Alii, *politulo*.

Interioribus] Philosophicis.

Verecundiorem] Quibus, quia doctior es quam ego, facis, si quid de illis studiis meis loquendum sit, ut parcius et verecundius loqui debeam. CELL.

Personam] Quam egi in publicis et forensibus rebus. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER VIII.

1 M. CÆLIUS M. CICERONI S. D.

ARGUMENTUM. Commentarium mittit rerum urbanarum, et excusat se quod alteri negotium illius colligendi dederit. Addit de comitiis Transpadanorum esse rumorem, de successione autem Galliarum nihil relatum: de Pompeio cupere se aliquid cognoscere: de Cæsare varia dissipari, aliaque nonnulla. Huic epistolæ respondit ea, quæ lib. II. est octava. A. U. C. 702.

M. Cælius Rufus] Plebeii generis, patre equite R. Puteolis natus, sumpta virili toga, id est annum ætatis ingressus XVII. a patre continuo ad Ciceronem deductus est, nondum prætorium, sed eloquentia jam probitatis opinione clarum: a quo etiam *lectissimus adolescens* appellatus est libro quarto in Verrem, qui de Signis inscribitur. In illo ætatis flore cum artibus honestissimis erudiretur, M. Crassi domum frequentavit. Postea fuit assiduus cum Cicerone prætore, candidatumque assectatus est in petitione consulatus. Anno sequenti iterum petenti consulatum Catilinæ studuit. Tribunatum pl. gessit, Pompeio tertium consule, Milonemque ob necem P. Clodii de vi reum, studiosissime defendit. Ædilis curulis fuit L. Paulo et C. Marcello coss. prætor C. Cæsare II. et P. Servilio coss. Orto civili bello, quæstor in Africa fuit C. Curionis, ut apud Cæsarem lib. II. civ. bel. scriptum est. Eloquentiæ in primis operam dedit, locumque inter summos oratores consecutus est. Ejus tamen scripta paulo asperiora, et antiquitatem redolere visa sunt. De quo *Tacitus* (seu Quintilianus) *Dial. de Orator. Sueton. de claris Rhetor.* Mores in eo minime cum ingenio conferendi. Iracundissimum appellat Seneca lib. III. de Ira. Impudicum et lascivum ostendit oratio Ciceronis. Inconstantis ingenii fuit. Primum tribunus pleb. quo anno P. Clodius a Milone occisus est, optimatum partes defendit. Mox, orta inter Cæsarem et Pompeium discordia, neutram in partem inclinare visus est. Deinde, mutata sententia, Cæsaris ad partes transiit. Profectum ad Cæsarem cum C. Curione, ut eum ad civile bellum incitaret, scripsit Dio lib. XLI. Demum a Cæsare ipso descivit: idque cum ipse declarat ep. ultima lib. VIII. tum vero Velleius his verbis: *Accito Annio Milone, qui, non impetrato reditu, Julianis partibus infestus erat . . . consularibus armis . . . circa Thurios oppressus est.* MAN.

Decedens] Unde? ab ipso Cicerone, quem in provinciam euntem prosecutus erat. MAN. Sic quidem Mss. sed *discedens* legendum, id est, me a te separans, cum te proficiscentem prosecutus fuissem, et valere dixissem. J. F. GRON.

Tuæ memoriæ dare operam] In tuam gratiam scribere, aut scriptum dare. Nam quæ scribuntur, eorum extat memoria, ea memoriæ traduntur. Orat. pro Muren. cap. 28. Male Manutius. IDEM. Hoc dicit: Non is sum, qui de te libenter non cogitem. MAN.

De comitiis] Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, Transpadanas colonias deduxerat ita, ut veteribus incolis manentibus jus Latii daret. *Ascon. in Pison. sub init.* Quibus Cæsar post Quæsturam spem civitatis fecit. *Sue-*

ton. cap. 8. Jam novus rumor erat, eum laborare, ut rem perficeret, quo suffragiis novis in comitiis juraretur. Adi Sigon. de Jure Ital. III. 11. CELLARIUS.

Cumarum tenus] Quousque Cælius et amici Ciceronem prosecuti fuerunt. IDEM.

Auditionem accepi] Durior et horridior interdum Cælius est in explicanda sententia. Quis enim sic loquatur, *Ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi*, pro, nihil prorsus audivi? Fortasse hoc illud est, cur in eo sordes verborum Tacitus appellet, et subjungat, *Amarior Cælius:* et Quint. asperitatem ei tribuat in dicendo. IDEM.

Marcellus] Consul cum Sulpicio. MANUT.

De successione Galliarum] Ut Cæsari ante legitimum diem succederetur. Erat enim hic octavus Cæsaris annus in administratione Galliarum, imperio decem annorum ei concesso; quinquennio uno lege Vatinia, ipso Cæsare cum Bibulo consulatum gerente; altero lege Trebonia, Pompeio et Crasso coss. MAN.

Sermones expressit] Cum, eum statim de Galliis relaturum, homines loquerentur. IDEM.

Offendisti] Offendit eum Tarenti, et cum eo decem dies fuit. Epist. 2. lib. VIII. et epist. 6. lib. V. ad Att. IDEM.

Quod ad Cæsarem] Ita Mss. sine τῷ *attinet*, quod satis intelligitur. J. F. GRON.

Domitius] L. Domitius Ahenobarbus, consularis, acerrimus Cæsaris adversarius. MAN.

Manus ad os apposuit] Eorum more, qui secreto aliquid narrant. IDEM.

Subrostrani] Homines otiosi in Rostris versantes assidue, rumorum aucupes et nugivendi. Plauto *sabbasilicani*. GRÆV.

Quod illorum capiti sit] Quod malum in eos recidat. Tibull. I. el. 2.

Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo. ID.

Embæneticam] Id est, naviculariam, et subaudi, artem: ab ἐμβαίνω, navem conscendo. Quod mercatura maritima, sibi victum Pompeius Baulis exul quæreret. Turnebus, Advers. XIII. 20. legit *empeneticam*, a verbo πινᾶν, quod valet *esurire:* quasi jocans Cælius dixerit, eum artem esuriendi facere et exercere, ut dicimus argentariam, naviculariam facere. Isaacus Vossius ad Catulli XXXV. legit ὀμπνητικὴν, ab ὀμπνᾶν, largis indulgere dapibus. Baulis, inquit, erat taberna et diversorium totius Campaniæ affluentissimum. Ibi Pompeius corpus largis curabat dapibus, unde Cælius dicit se misereri ejus, utpote qui tantum esuriat. Gronovius vero, *Lect. Plaut.* legit, ἐμετικὴν *facere*, hoc est, curare se vomitoriis. Quæ vox etiam exstat *Att.* XIII. 52. Solebant enim in illa Campaniæ loca secedere valetudinis causa, inter quæ et Bauli. Et huic convenit, quod sequitur: *Ut ego misererer ejus esuriei*, id est jejunitatis. OLIVET.

Hoc mendacio ut defungeremur] Defungitur is, qui evadit, et periculo liberatur. Virgil. lib. VI. *O tandem magnis pelagi defuncte periclis?* Optavi, igitur, ut defungeremur, ut tuti jam essemus ab omnibus, si quæ tibi impenderent pericula: ut hoc mendacium finis et quasi defunctio esset omnium periculorum. MAN.

Plancus tuus] *Tuus*, hic dixit, cum ironia: quod Plancus Bursa Ciceronis esset inimicissimus, nec injuriæ, quod eo accusante, (ut Dio tradidit) de vi condemnatus esset. IDEM.

Libri] Sex de Republica: quorum extant Fragmenta Tomo IV. Edit. Ernest.

2 CÆLIUS CICERONI.

ARG. Nuntiat de absoluto Messala, ejusque defensore Hortensio a populo male accepto. Addit de rep. et de suis in ædilitate competitoribus. *Anno* U. C. 702.

Certe, inquam] Quod inopinata res acciderat, quam vix Cicero crediturus esset, qui Messalam corruptis pecunia comitiis factum esse consulem plane nosset, ab affirmatione orditur. MAN.

Mè repræsentante] Sic aliquot antiqui libri: alii, *Me repræsentare*: nonnulli, *Me prehensante*: quod non displicet. Putat aliquis, *Matre prehensante*: quæ fuit soror Hortensii oratoris. Ego nihil affirmo. IDEM, Lege, *Me in re præsenti*. *Me*, id est. ἐμοῦ ὄντος. Cic. I. Off. 10. *Si constitueris cupiam te advocatum in rem præsentem esse venturum*, id est, in foro præsto fore. J. F. GRON.

Omnibus ordinibus] Absolventibus omnibus decuriis judicum, Senatoribus, Equitibus, Tribunis ærariis. ID.

Sed et singulis] Id est, ut et in Senatoria decuria, et inter Equites, interque Tribunos, ærarii absolventes una sententia vincerent, pluresque essent iis, qui condemnabant. Vereor ut Manutius ceperit. IDEM.

Vide modo, inquis] Dum nimis amat brevitatem Cælius, obscurat sæpe sententias: quod in Thucydide vitium Cicero notavit. Videtur tamen fingere dicentem Ciceronem: *Vide modo, Cæli: non de Messalla bene homines existimant? non ejus patet innocentia?* Respondet Cælius: *Non mehercules*, &c. MAN.

Captus] Ut iis, qui capiuntur, itidem mihi, rei novitate, et hujusce non expectato judicii eventu, perculsus affectusque animus est. Prorsus me stupor oppressit. IDEM.

Corripuerunt] Reprehenderunt. Sic locutus epist. 9. MAN.

Lege Licinia] Lex Licinia a M. Crasso, una cum Pompeio secundum Coss. lata in διαίζοντας τινὰς, id est, qui judices corrupissent. Dio lib. XXXIX. Itaque *relictus*, id est, itaque statim iterum delatus, et in reos receptus (hoc vult τὸ *relictus*, non expunctum esse nomen ejus in albo reorum, post absolutionem de ambitu, sed in eo relictum et servatum) nunc magis laborare, quam prius videtur. *Majore periculo esse*, pro, in periculo esse majore. IV. Famil. 15. J. F. GRON.

Hic tibi strepitus, fremitus, clamor] At ille pastoritia fistula, ut loquitur ad Atticum, sive sibilo exceptus est, exsibilatus est. II. Att. 12. *Gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi sunt*. Sed hoc eleganter explicat Cælius versu Pacuvii, quo ille tumultum in navi oborta tempestate descripserat. Plin. IX. epist. 26. *Cum stridunt funes, curvatur arbos, gubernacula gemunt*. *Rudentes* sunt funes nautici, unde Plauti Comœdia *Rudens*. Proprie sibilant rudentes flatu vehementi ventorum. J. F. GRONOVIUS.

Impetus] De successore Cæsari in Gallias mittendo. Epist. 1. MANUTIUS.

Nobilem, et nobilem agentem] Competitores ædilitatis duos intelligit: quorum alter nobilis antiquo genere, alter agens nobilem, id est, nobilitatem jactans et præ se ferens, quæ in eo nulla erat. CELLAR. Octavii quidem novi et ignobiles habebantur. CORRADUS.

Pantheras] Quas e Cilicia mitti a Cicerone cupiebat, ut eas populo suis ludis daret. MAN.

Syngrapham Sittianam] Ex qua exigeretur a Sittio pecunia, quam in ædilitatis impensas Cælius erogaret. Epist. 4. 8. 9. IDEM.

CÆLIUS CICERONI S. 3

ARG. Suum in scribendo officium, suumque Ciceronis desiderium significat, nec non de suis Comitiis et competitoribus: etiam de Milonis rebus. Tandem suam cum Cicerone amicitiam in aliquo illius libro memorari cupit. *Anno* U. C. 702.

Curat] Argute. Nam, quia cum Cicerone coram de Hirro jocari, ejusque ineptias ac stultitias ridere cupiebat, ideo *Curat*, inquit, *Hirrus, ut te dies noctesque quæram.* Plus autem est *Curat*, quam *Facit*, ut *causa est:* quasi dicat: In hac petitione ita multa agit inepte, ita stulte, ut curare de industria videatur, ut ego tecum sim, quo illum ridere possimus. MANUT.

Auguratus] Augur Cicero fieri noluit ante exilium suum: reversus in patriam, ne calamitas dignitatem ejus minuisse videretur, studuit quam ornatissima senatus populique Romani de se judicia intercedere: quod ipse ad Catonem scribit epist. 4. lib. XV. Augur autem in locum P. Crassi, Marci filii, a Parthis interfecti, creatus est: qui fuit annus urbis DCC. Domitio et Messalla coss. IDEM.

Forsitan cum locupletiore referam] Domum scilicet de Comitiis. *Cum locupletiore*, cum collega qui me est opulentior, et sumptum in ludos et spectacula faciendo, me potest superare. J. F. GRON.

Sed hoc usque eo suave est] Sed Hirrum repulsam pati tantum habet suavitatis, ut, per omnem vitam, quoties nobis ridere libebit, causam simus habituri, hujus repulsæ recordationem. IDEM.

Sed tanti? sed mehercule] Ita Mss. Lege, *Sed tanti? Est mehercule*, id est, Sed tantine putas, o Cæli: hoc quod dicis forte cogites. Est profecto tanti. IDEM.

Octavius non multum sublevat] Id est, non leviora in sese reddit et habet odia eorum, quæ Hirrum premunt, id est ea, quæ in Hirro homines oderunt, et propter quæ minus ei favent: ut non multo majorem fiduciam in his comitiis habeat. GRONOVIUS.

Philotimi] Ciceronis, vel Terentiæ libertus, subornatus ut damnati Milonis bona publicata emeret, restituenda Miloni. Vide ad Attic. V. 8. CELLAR.

Σύνταγμα] Si Latine vertas, proprie σύνταγμα *compositio* est: a συντάττω. Liber significatur accurate scriptus. Nam ὑπόμνημα, Latine *commentarius*, ex tempore et sine studio conficitur. Epist. 44. lib. XII. ad Attic. *Ego hic duo magna* συντάγματα *absolvi.* Quo loco duos Academicos, et quinque de Finibus libros indicat. MAN.

Διδασκαλίαν] *Doctrinam*, non gerras. Attendite, librarioli Gallici. OLIVET.

M. CÆLIUS M. CICERONI S. D. 4

ARG. Est varii argumenti. Scribit enim de damnatione Messalæ et Servii tr. pl. designati: de C. Marcello cos. designato, de Dolabella XV. viro creato, Lentulo repulso, de Curione, de comitiis, de actis in senatu, de Cæsaris animo erga Pompeium, de suis tandem rebus, quas Ciceroni commendat. *Anno* U. C. 702.

Condemnatum] Ideo dixit epist. 2. *Relictus lege Licinia, majore esse periculo videtur.* MAN.

M. Calidium] *M. Calidium* legerem, ex epist. 9. hujus lib. quæ hanc sequi debuit. Et sane M. Calidius cum Q. Gallio inimicitias gessit, ut a duobus Galliis M. et Q. Calidium accusatum intelligamus: ne plures conjecturas persequar. CORR. Hanc conjecturam pluribus firmat Pighius ad annum U. C. DCCIII. qui consulatur. GRÆV.

A repulsa] Post repulsam consulatus. Prætor enim Calidius fuerat

Lentulo et Metello coss. Oratio demonstrat in senatu habita post reditum. MAN.

Postulatum] Fortasse de ambitu: si quidem post repulsam postulatus est. IDEM.

Lentuli Cruris] Hic est, opinor, L. Lentulus Cruscellus, qui anno sequenti consul designatus est. Potuit enim et *Crus* et *Cruscellus* indifferenter nominari. IDEM.

Descenderat] Nimirum in Campum Martium ad comitia. GRÆV.

Equites] Quorum studia Cælius amicissimo suo Dolabellæ adjunxit. *Nostri* autem, quia Cælius et Cicero equestri loco nati, id est parentibus, qui supra equestris ordinis gradum, id est ad Senatorium dignitatem, nunquam ascendissent. MAN.

Condemnatum] De ambitu. IDEM.

Totus, ut nunc est, hoc scaturit] Hoc effundit, ebullit, fervide jactat, ut fons aquas ejaculatur. Etsi belle Lambinus, *hic senaturit*. J. F. GRON.

Infirmorum hominum amicitias] Nulli pecuniæ parcere, etiam in humilibus promerendis, quibus tamen aliquis aditus ad potentes esset. Suet. Jul. c. 27. IDEM.

Valde] Cum dixerit *non mediocriter*, cur subjungit, *Valde?* fortasse, ut magis augeat: ut cum dicebant, *vehementer etiam, atque etiam*. MAN.

Usque eo] Videtur dictum pro *vehementer*. IDEM.

Consiliis] Cum sequatur *Qui*, rectius videretur, *Eorum consiliis*. Quid agas? Cælianum est. IDEM.

Ædilium pl.] Duplex erat Ædilitas, curulis et plebeia. Curulem Cælius petebat. Plebeii vero ante Curules creabantur.

Nacta sunt] Quia candidati, antequam sua comitia fierent, aliorum quoque magistratuum comitiis prensabant, ut populi voluntatem elicerent: qua perspecta, vel confirmarentur in spe, vel, si quid esse adversum intelligerent, aliqua ratione mederentur. Sic igitur et Cælius Hirrusque cum ædilitatem curulem peterent, ædilium pl. tamen comitiis prensarunt. MAN.

Promulgatio de dictatore] Domitio et Appio coss. cum magnis candidatorum consularium contentionibus extracta in annum sequentem comitia essent, desperata propemodum concordiæ spe, ortus est de dictatore sermo. Vide ad Q. Fr. III. 8. ID.

Dejecit] Subaudiendum, *ædilitate*. Hoc enim dicit: Cælium Liccilianum, (*malunt* Vinicianum) cum petere cœpisset, revocata legis ab eo de dictatore promulgatæ memoria, statim ædilitate dejecit. IDEM.

Insecuta est] Nunquam ita Cicero loqueretur. Quid enim hoc est? *promulgatio de dictatore dejectum magno clamore insecuta est*. Cum hoc significet: primum populus ei petenti vulgo negavit: deinde magni clamores in eundem consecuti. IDEM.

Hirrum cuncti jam, non faciendum, flagitare] Hoc velut præjudicium de Hirro fuit, qui et ipse auctor Dictatoris creandi fuerat. Non faciendum, sc. Ædilem Curulem, in quo erat eadem culpa, quæ in Viniciano. J. F. GRON.

Ad Apollinis] Ἀπτιασμός: pro, ad ædem Apollinis. MAN.

De stipendio Cn. Pompeii] Quod legionibus persolveret, quas partim habebat in Hispaniis, partim Arimini. IDEM.

Quo appeteretur] Quam ob causam fuerit eo missa, et a Cæsare petita: aut, quo fuerit ablegata. GRÆVIUS. Forte: *quando repeteretur*, quando vellet eam revocare, ac recipere a Cæsare. J. F. GRON.

Sub mentionem] Post mentionem de ea legione factam. MAN.

Syngrapha] Vide supra, ep. 2.

Curesque mihi ut vehantur] Qui? Cybyratæ? Nugæ. Lego *ut mihi venentur*, nimirum pantheras. GRÆV.

Regem Alexandrinum] Ptolemæum, quadriennio ante a Gabinio Syriæ proconsule restitutum. Vide ep. 1. lib. I. MAN.

Quid mihi suadeas] Regis, ut suspicari possumus, creditori. CORRAD. Fortasse curam sibi a senatu ejus regni invisendi, atque aliquandiu procurandi mandari cupiebat. MAN.

CÆLIUS CICERONI S. 5

ARG. Metuere se Ciceroni significat ex Parthici belli fama ob paucitatem copiarum ejus. Addit de successione provinciarum, ejusque tarditate. Scripta paulo post superiorem: utrique etiam una respondet Cicero, quæ est lib. II. decima. *Anno* U. C. 702.

Ab eo, qui publico negotio præpositus est] Imperatore, aut Proconsule.

Nisi libere] Si Cæsari relinquentur Galliæ, nec in alias provincias successorem destinari, nec de iis decerni sinet. GRON.

Sane tanquam in quodam incili omnia adhæserunt] Omnia stupent ac cessant, ut aqua quæ non currit obturato incili. Festus: *Inciles fossæ, quæ in viis fiunt ad deducendam aquam, sive derivationes de rivo communi factæ*. Cato de R. R. 155. *Per hiemem aquam de agro depelli oportet. In monte fossas inciles puras habere oportet.* MOX: *Cum pluere incipiet, faviliam cum ferreis sarculis exire oportet, incilia aperire.* Columella 8. 9. *Ut a superiore parte, si olla in clivo sit, incilia excitentur.* Huc pertinet proverbium a clepsydra vel incili petitum: *Aqua hæret.* Cic. III. ad Q. ep. 8. *In hac causa mihi aqua hæret,* id est, cessat consilium: nescio quid agere debeam. J. F. GRON.

Hoc præterito anno] Si post elapsum hunc annum, Curione tribuno, rursus introducetur et agitabitur actio de successione provinciarum. ID.

Et quam hoc Cæsari] Et Cæsari, qui curet suum commodum, non curet quid ex usu sit Reip. quam hinc suppetat, in promptu sit, nempe ut omnia impediantur, non ignoras. ID.

Suppetat] Ita Lamb. et J. F. GRON. Sed alii, *superet*. Quod interpretatur Manutius: supersit, reliquum sit: sive, quantum in hoc Cæsar negotii sit habiturus, vel commodi, te non fallit.

CÆLIUS CICERONI S. D. 6

ARG. Scribit de Appio a Dolabella accusato: de Ciceronis officio, ne parum reconciliatus Appio videatur: de affinitate cum Dolabella jungenda: de repub. de suis item pantheris. *Anno* U. C. 703.

Sane non ea... invidia] Non ita approbantibus hominibus et faventibus vapulanti ac periculo ejus tanquam sontis et noxii gaudentibus. J. F. GRON.

Triumphi] Vide lib. III. ep. 10.

Ad illam summam veritatem] Summa veritas, quod in Officiis *summum jus*, cum ait, *Summum jus, summa injuria. Exigere legitimum jus ad summam veritatem*, est statuere, quod rigor legum et strictum jus requirit. Si cum eo agis, ut stricto et severo jure agere deberes. J. F. GRON.

Inter postulationem et nominis delationem] Primum postulabat accusator a Prætore, ut sibi liceret nomen deferre. Ubi permiserat, constituebatur dies. Postquam is dies venisset, deferebat accusator nomen, id est, petebat, ut adversarius reciperetur in reos. Medio igitur tempore uxor nuncium remisit Dolabellæ. IDEM.

Discessit] Per divortium.

Res] Ut ei nubat filia tua. MAN.

Spei] De Appio damnando. Nam affinitatis famam suis consiliis opportunam utilemque fore sperabit. ID.

Ad te] Ut auctoritatem gratiamque tuam ad Appii salutem conferas. Testes enim ex ea provincia, cui successor Appii Cicero præerat, vel reum opprimere, vel periculo liberare poterant. MAN.

Consepta] Id est, munita, ne accusatio contra ea valeat. Alii legunt, *confecta*, vel *conficta*, et subaudiunt, a Dolabella.

Tribunatus conglaciat] Transit sine

ullo motu, aut singulari actione, quasi frigore devinctus et immobilis sit. GRON.

Ego cum tabernariis et aquariis pugnarem] Erat enim ædilis, et iis, qui tabernas circa forum habebant, item qui aquas publicas in urbem deducebant, et partiebantur inter vicinias, ob nescio quod peccatum mulctam videtur dixisse, de qua certarunt ad populum. IDEM.

Frigescimus] Forte, *senescimus*, in segnitiem et torporem resoluti sumus. GRON.

Potuit sine Parthis] Forte: *tamen, quoquo modo . . . potius sine Parthis.* IDEM.

Ferventissime concerpitur] Hoc est, boni seu optimates ubique male de eo loquuntur, et ejus levitatem, quod ad Cæsaris partes transfugerit, gravissime accusant. GRÆV.

De intercalando] De die producenda, ut ea, quæ pro Cæsaris causa cogitabat, commodius posset ad exitum perducere. Sic enim Dio narrat lib. XL. MAN.

Non obtinuerat] A collegio pontificum. Id enim Dionis ostendit historia. Et intercalandi potestatem penes eos fuisse, qui fastis præerant, Macrob. lib. I. Sat. docet. IDEM.

Transfugit] Desertor optimatum, quos antea defenderat. Ep. 8. IDEM.

Viariam] De sternendis muniendisque viis. Appian. de Bell. Civ. lib. I. IDEM.

Quæ jubet ædiles metiri] Hoc est, quæ jubet ædiles, ut harum rerum et præsertim annonæ curatores, pauperioribus dividere frumentum. GRÆVIUS.

7 CÆLIUS CICERONI S.

ARG. Quia pridie scripserat, breviter nova quædam annuntiat de nuptiis Cornificii et filiæ Orestillæ, de Paulæ divortio, de Ocellæ adulteriis. *Anno* U. C. 703.

Aliqui] Pro *aliquis*: antique.

Cornificius adolescens Orestillæ filiam] Orestilla Catilinæ uxor fuerat. Sigonii liber, *Cornificius adolescentiorem ille sibi filiam.* Ego ex hac varietate, nescio quam vere, certe non longe ab antiquis vestigiis, hoc elicio: *Cornificius adolescentiorem Syllæ filiam sibi despondit.* Altera enim Syllæ major filia, Fausta, Miloni nupserat: quod ignorat nemo. Ita de Cornificio intelligendum erit, ad quem sunt ep. lib. XII. MAN.

Triarii] Hic est P. Valerius Triarius, qui Scaurum accusaverat, Cicerone defendente, ejus Triarii filius, qui legatus L. Luculli bello Mithridatico male rem gesserat. Sed hic eloquentia valuit, et in Bruto præclare laudatur. IDEM.

D. Bruto] Qui cum M. Bruto et C. Cassio Cæsarem occidit. IDEM.

Nondum retulerat] Subintelligi poterit, *dotem.* Sed mihi non displicet amicissimi mei conjectura, qui ita legendum putat, *mundum retulerat.* Mundus autem muliebris qui sit, exponit Liv. lib. XXXIV. IDEM.

Minime vellem] Non dubito quin *nollem* legendum sit pro *vellem.* URSINUS.

8 M. CÆLIUS M. CICERONI S. D.

ARG. Varia de judiciis, deinde de Senatus-consulto, et de suis tandem rebus scribit. *Anno* U. C. 702.

Calumniam tulisse] Ad accusandum discendisse. Infra: *Cum calumniam jurasset.* MAN. *Calumniam ferre,* ut præmium ferre. Calumniæ seu litis falsæ et calumniosæ intentatæ damnatum, et id suæ temeritatis præmium tulisse. J. F. GRON.

Maximo plausu] Omnibus, qui in foro erant, lætis et gaudentibus infortunio ejus. IDEM.

Si extraordinarius nemo] Cui statim aliis judiciis sepositis, causa esset dicenda. Ut erat judicium de vi,

quod unum, et diebus festis ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, exerceretur, ut ait Cicero pro Cælio cap. 1. IDEM.

Dubium illi non erat] Non erat ei dubium, quin condemnaretur. Quod ut effugeret, de accusando accusatore suo consilium cepit, eoque crimine, quo causam ab eo extra ordinem dicendam videbat. Sperabat enim, eo damnato, prorsus omni se periculo omnique molestia liberatum. MANUT.

Deferre mamusculum] Neminem accusare maluit, quam suum accusatorem. Sic locutus ep. 13. MAN.

Usque eo perago] Ita eum oratione exagito, ita vexo, ut Vestorii quoque mentionem faciam. Cum quo negotii quiddam Sempronio fuisse, cognoscitur ex ep. 2. lib. VI. ad Att. ID.

Tibi pro beneficio dederit] Collatum in te beneficium existimari voluerit. IDEM.

Si quid injuriis] Locus certe variis et inter se diversis modis legitur: quas tam incertas lectiones quivis videre poterit, et etiam alias excogitare. Nos in tantis tenebris, cum nihil lucis adferre queamus, vetere scriptura proposita, ad alia transibimus, *si quod injuriis suis esset, ut Vestorius teneret.* VICT. Lege, *Si quid in Thuriis suis esset.* Quemadmodum concesserit Vestorio et in eum transtulerit possessiones et res, quas habebat in Thuriis, prope veterem Sybarin, non tanquam ob debitum, (quod ab eo exigebat Vestorius, Sempronius abjurabat) sed in gratiam Ciceronis arbitri inter eos sumpti. J. F. GRON. Edidit Cellarius, *si quid in injuriis.*

Omnibus in rebus turbarat] Id est, conturbarat; decoxerat. *Conturbasse*, et *conturbasse rationes* dicuntur decoctores. IDEM.

Maxima nobis traditus erat invidia] Susceptus erat a me defendendus in reatu, admodum adverso rumore hominum. IDEM.

Quo ea pecunia] Formula, de qua dictum in Orat. pro Rab. Post. cap. 4.

Loqui] Passionem tribuit verbo, actionem potius requirenti. Sed antiquum fuit, id est Cælianum. MAN.

Quo vento projicitur] Qua fama valde commotus est Appius, usque eo, ut eundem Servilium de prævaricatione accusarit. MAN.

Ex bonis paternis] A patre suo datam Servilio, ejus accusatori, ut prævaricaretur. IDEM.

Non redigam] Antiqua formula, cujus vis non satis nota. Ad absolutionem, non simpliciter factam, videtur referenda. CELL.

Ordinum judicia perscripsit] Hærebat Laterensis. Pronunciaverat jam ab ordinibus absolutum Servilium: ex quo referre in tabulas absolutum oportuit. Rursus, cum eum a majore judicum parte non esse absolutum videret, putavit se contra legem facere, si absolutum scriberet: itaque, ne vel contra suam pronunciationem, vel contra legem committeret, (cum ex pronunciatione absolvendus, ex lege damnandus ei videretur) neque absolutum, neque damnatum in tabulas retulit, scripsit, quid singuli ordines judicassent. MANUT.

Saucius] Qui nec damnatus sit, nec absolutus: sed cui in superiore judicio, quo prævaricationis accusabatur, multæ inustæ erant notæ et maculæ, ut facilius nunc possit damnari: qui quasi confectus est superiore judicio. Sic sæpe historicis *exangues* dicuntur, quorum vires fractæ sunt. GRÆV.

Nam de divinatione] Causam exponit, cur, cum ab Appio et Pilio postulatum Servilium dixisset, unum postea Pilium nominarit. Quod ad divinationem, inquit, attinet, Appius contendere cum Pilio non est ausus, uter accusare Servilium deberet. *Divinatio* dicebatur oratio, in qua de accusatore deligendo disputabatur; vel quod non de facto, sed de futuro conjectura quæreretur; vel quod injurati judices in ea causa sederent, et, quod vellent, præsentire de utroque possent; vel quod res ageretur

sine testibus, et sine tabulis, et, his remotis, argumenta sola sequerentur judices, et quasi divinarent. Sic enim putavit Asconius, cum Ciceronis Divinationem in Verrem explanaret. Videndus et Gellius lib. II. cap. 4. MAN.

Cum calumniam jurasset] Cum jam accusandi partes suscepisset. *Calumniam jurare* dicitur accusator, cum in initio judicii jurat, se non per calumniam litem intentare adversario, sed quod justas ac legitimas accusandi causas habere se putet. GRÆV.

Contendere ausus non est] Utri committendæ sint partes accusandi. ID.

Emissario] Ad calumniandum subornato. Tralatio ex militia. CELL.

Recte hoc par habet] Præclare componuntur hi duo: cum emissarius eum ipsum reum faciat, a quo in alios emitti solitus erat. *Par gladiatorum*, dixit Cicero de optimo genere Oratorum: quam vocavit *compositionem* ep. 8. lib. II. MAN.

Eum] Cæsarem. MAN.

S. C. factum, auctoritatesque perscriptæ] Senatus-consultum, inquit, factum, respiciens ad primum, cui intercessum non est: tribus, quæ sequuntur, decretis intercessum est, ideo non vocantur Senatus-consulta, sed auctoritates perscriptæ. Vide ad lib. I. ep. 2. J. F. GRON.

Auctoritas] Hic aliter sumitur vocabulum *auctoritas:* significat enim nomina eorum, qui præsentes fuere, cum Senatus-consultum in æs incideretur, et ejus rei testes, auctoresque sunt. IDEM.

Scribendo affuerunt] Erat hæc solemnis formula, quam præmittebant senatus-consultis, qua significatur in sequentium senatorum sententiam factum esse S. C. sive iis præsentibus S. C. factum. Vide Brisson. de formulis. GRÆV.

Pomt.] Significat Pomtinam tribum, ex qua erat Villius: sic etiam *Quirina* tribuum nomina. Sic et *Pup.* Pupiniam, *Pop.* Popiliam, *An.* Aniensem notat. IDEM.

D. E. R. I. C.] Id est, De ea re ita censuerunt. Et supra *V. F.* id est, Verba fecit. Et infra *S. Q. C.* id est, Senatusque consultum. Et inferius, *S. C. A.* id est, Senatus-consulti auctoritas. LAMB.

Sex abducere licet] *Sex* vitiosum est. Haud dubio enim multo major numerus fuit. *Abducere*, e foro a tribunali Prætoris, ut scilicet frequentiorem redderent Senatum, et ejus numeri, per quem S. C. posset confici. J. F. GRON. Præiverat Manutius, qui mallet *eos* legi, ac deleri *sex*.

I. V.] Has explicare litteras fatetur se non posse Victorius. Alii aliter mutant. Sigonianus liber habet *IN.* quod Manutius interpretatur *Intercessum.* Lambinus edidit, *S. C. A.* ut sit, quemadmodum supra, *Senatus-consulti Auctoritas.*

Q. P.] Hæ litteræ apud Frontinum significant, *Quid placeret.* CORR. Vict. et aliis videntur significare, *Quam primum.*

Stipendia emerita] Emeriti stipendia milites dicebantur qui per annos decem militassent: tuncque sacramento exsolvebantur, ut oneribus militiæ vacarent. MAN.

Ut eorum ratio habeatur] Ut exauctorentur honesta missione. Hoc addiderunt, ut veteranos Cæsaris, in quibus præcipuæ vires erant, ab eo alienarent, et ad se pertraherent. J. F. GRON.

Quodque collegium] Octo prætores Ciceronis tempore erant, qui inter se unius anni collegium faciebant: superiore anno aliud collegium prætorum, et sic deinceps. *Primum* autem est, quod proxime antecessit. CELLARIUS.

Confidentiam] Ut confiderent homines, velle Pompeium potentiæ Cæsaris obsistere, contra quam antea fecerat. MAN.

An pararet] Hoc est, subornaret tribunum plebis qui intercederet. GRÆV.

Ut aut maneat] In Gallia, prorogato ultra decennium imperio. Quod si concederetur; nolle se consulatum petere affirmabat, nec absentis sui

rationem haberi; quod tamen ei lex dederat. Sin hanc Pompeiani conditionem recusarent, eumque omnino vellent non modo expleto decennio, lege concesso, sed etiam ante, decedere: ipse pariter hoc, ut iniquum, recusabat, ferebatque alteram conditionem, ut, si consul designatus esset, tum decederet. Utraque autem conditione Cæsar imperii perpetuitatem quærebat, qui vereretur id, quod inimicos ei minari solitos Tranquillus refert, ne simul ac privatus esset, ob res in consulatu contra leges moremque majorum actas in judicium vocatus opprimeretur. MANUTIUS.

Suo munere] Suo dono Africanarum pantherarum fecit, ut nunc ludis supersedere non possim. Onus imposuit, ut belluarum numerum compleam, et ludos edam. CELL.

CÆLIUS CICERONI S. 9

ARG. Gloriatur ædilem se designatum: Hirrum repulsum: de rep. nihil actum: Feridium commendat; de Pompeii et Scipionis in Cæsarem animo addit, et de Calidio in defensione diserto, in accusatione frigido. *Anno* U. C. 702.

Competitorem] Auguratus, ep. 4.

Expectationem corripit] Quantum in se est, vult reddere breviorem: vetat tam diu expectari in Cæsare tolerando in Galliis. Suet. Tib. 34. *Ludorum ac munerum impensas corripuit.* J. F. GRON.

Objurgatus] Orta mihi de mendo suspicio est: quod fortasse scripserit Cælius: *Objurgat. Scilicet hac repulsa se mutavit.* Et, *Scilicet*, unica scriptum littera *S*, occasionem dederit loci depravandi. Omnes tamen libri veteres in, *Objurgatus*, consentiunt. Itaque potest antiquum esse, et ideo Cælianum. MAN. Legendum *objurgavit*, acriter reprehendit. J. F. GRON. Meus ille optimus sic legit, *objurgat, ac repulsa se mutavit;* quam scripturam non potui non probare. Curionem autem ideo corripit, quod tum ad Cæsaris partes transierit. GRÆV.

Causas Liberales] *liberalis causa* est, qua quis, qui pro servo erat, in libertatem vindicabatur judicio, quod vocant Plautus et Terent. *liberali causa asserere manu.* Pantagathus legit, *agit causas liberalius.* Perperam. GRÆ. Alii legunt, *liberalis:* quod interpretatur Manutius, facilis in recipiendis causis. J. F. Gronovius suspicatur, *causam libertatis*, scilicet publicæ, contra Cæsarem. Sed cum sequentibus hæc, opinor, non ita bene cohærent.

Sed raro post meridiem] Quasi dicat, ita prandere luxuriose solitum, ut deinde magnarum curarum oblivisceretur. GRON.

Interpellat] Impedit, ob affinitatem: nam erat Octaviæ maritus, quæ neptis fuit Juliæ, Cæsaris sororis. Initio etiam civilis belli, cum provinciarum sortitio fieret, privato consilio præteritus est, quasi propensior esset ad Cæsaris causam. Lib. I. Comm. de Bel. civ. MAN.

Ne frequentiam quidem] Hoc est, quamvis res fuerit dilata in Kalendas, non tot tamen patres præsto fuerunt Kalendis, ut posset fieri Senatusconsultum. GRÆV.

Ne profligatum quidem] Plus est quam *cœptum:* minus, quam *confectum.* Cognoscitur exemplis. Nam ep. 30. lib. XII. *Profligato*, inquit, *bello, ac pene sublato, renovatum bellum gerere conamur.* Et Tusc. 5. *Profligata jam hæc, et pene ad exitum adducta quæstio est.* In oratione autem de Provinciis: *Si in Capitolium invehi victor cum illa insigni laurea gestiret, vos tamen oporteret ab eodem illa omnia, a quo profligata sunt, confici nolle.* Est igitur *Profligatum*, quod in eadem oratione *Affectum* Cicero vocavit. *Quid est*, inquit, *cur Cæsar in provincia commorari velit; niei ut ea, quæ per eum affecta sunt, perfecta reip. tradantur?* MAN.

Intercessorem] Cum sit tribunus plebis, qui intercessurus sit, et impediturus ne Cæsari Galliæ præfecto succedatur. GRÆV.

Prædia rustica donare *scire*] Agros pauperioribus de plebe. Alludit ad actionem Curionis de agro Campano, infra, ep. 10. J. F. GRON.

Ullam] H. Stephanus, *nullam*.

Quos fructuarios] Qui civitatibus annuum vectigal pendunt. MAN.

Præteritum] In petitione magistratus.

Vetat] Alii vocem hanc subaudiunt. Ursinus mutat in *moleste fert*.

Galliis] Nominatim: quod iniquum erat: itaque pridie Kal. Oct. de provinciis consularibus, non de Galliis nominatim, S. C. factum est. Ep. 7. MAN.

Balbum Cornelium] Gaditanum, pro quo extat Ciceronis oratio. ID.

10 CÆLIUS CICERONI S.

ARG. Scribit de belli Parthici rumore in urbe: de provinciis quid putet actum iri: de Curionis actione circa Campanum agrum: de suo studio, ne Ciceroni provincia prorogetur. *Anno* U. C. 702.

C. Cassii] Hic quæstor, interfecto M. Crasso, reliquias legionum conservavit, et Syriam in Pop. Rom. potestate retinuit, et postea proquæstor has litteras scripsit. Hic etiam postea in Cæsarem conjuravit. CORR.

Provinciam nostram] Nam Commagene non erat populi Romani, sed regis Antiochi. Syriam significat: quod ex ep. 1. lib. XV. et ad Attic. ep. 18. lib. V. cognoscitur. MANUTIUS.

Quam probabilis necessitas] An probaturus sis hominibus, ut credere possint te compulsum necessitate recessisse, te copias habuisse tam exiguas, ut Parthis resistere non potueris. GRÆV.

Ex S. C.] Non poterat enim privatus mitti ex Senatus-consulto, sed rogatione ad populum. ANON.

Sed honeste] Quicquid sit vitii, quod eas impediat, id velant prætextu moderationis in appetenda provincia, quæ inter tam cupidos vulgo laus habebatur. GRON.

Velificatus] Assentando gratificatus. Ut enim vela navium ad ventorum adspirationes aptantur, sic orationem sæpe nostram ad aliorum voluntatem accommodamus. MAN.

Paulus] Paulus Æmilius, consul designatus, non relinqui vult Cæsari provinciam: dure adversus illum loquitur. CELL.

Occursurus est Furnius] Quia tribunus plebis esset designatus, lib. V. ad Att. ep. 18. ANON.

Fines hos] Quos ostendi. Scripsit enim proxime de Parthico bello, de consule Paulo, tribunis pl. Curione et Furnio. MAN.

Ad actiones] Ad actiones Curionis hoc addo, de agro Campano. Præter cætera, Curio illud aget sequenti anno, ut ager Campanus, ante Cæsaris adventum, ex ipsius Cæsaris lege dividatur. Qua de re ep. 9. lib. I. MANUT.

Decedens] Pro *discedens*. IDEM.

11 CÆLIUS CICERONI S.

ARG. Nuntians, supplicationes post acrem concertationem decretas tandem esse, hortatur, ut decreti auctoribus, pro cujusque merito et voluntate, gratias agat. Addit de successore Cæsaris quid actum sit, et commentarium urbanarum rerum mittit, Sittianumque negotium, de quo jam sæpius, commendat. *Anno* U. C. 703.

Supplicationes] Pro victoria Ciceronis in monte Amano. Supplicationes enim dies festi sunt, quibus pro victoria et liberatione gratias diis suis Romani agebant. CELL.

Comitiales] Dies: quibus agere cum populo licebat. MAN.

Eripiebantur] Quo modo? auspiciis. IDEM.

Ne, quod furore Pauli] Ne occasionem rependendæ vicis, obnuntiantis consulis importunitate datam amitteret. CELL.

In hunc annum non usuros] Se nulli alii Imperatori, præterquam Ciceroni, supplicationes decreturos. GRÆ.

Se in his supplicationibus spem non habere] Alia sibi esse adversus Curionem præsidia, quibus considat. J. F. GRON.

Diutius dicturum] Ut diem dicendo consumeret, ne S. C. fieri posset. MANUT.

Si, ut numeraretur] Festus: *Numera Senatum, ait quivis Senator Consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat S. C.* Raro convenerant justo numero. GRON.

Catoni] Cur ita senserit, exponit ipse in epistola, quæ extat lib. XV. cui Cicero respondens, dixit, *se tanti facere Catonis illam laudationem, ut cum ea nullum triumphum esse conferendum existimet.* Et ad Att. VII. 1. confirmat idem. MAN.

Tantum] *Tantum* pro saltem, ut lib. VII. ep. 31. GRÆV. Lege, *tantam:* se tibi tam benevolos ostenderunt. GRON.

In suspicionem] Quasi fictus esset reditus in gratiam cum Cæsare: non bona fide cum illo in gratiam rediisset. IDEM.

Decrerant] Scipiones et Domitii, decreverant quidem supplicationes, contra tamen animi sententiam, qui nolebant hanc rem confici, et cum hac de causa sæpius compellassent Curionem, rogassentque ficte ne intercederet, hoc enim est ad *evocandam intercessionem*, ad impediendam intercessionem, respondit Curio lepidissime, &c. GRÆV. Aliter tamen, sed, opinor, non ita bene J. F. Gronovius, ad Senec. ep. 47.

De provinciis, inquam, adhuc est] Ita legendum. Quicquid erat antea dissensionum, cessat et quiescit, dum ducitur serra de provinciis. J. F. GRON.

Secundus consulatus] In quo Pompeius iterum consul operam dederat, auctorque fuerat, ut Trebonius tribunus pl. de Galliarum imperio Cæsari in alterum quinquennium prorogando legem ferret. Quod beneficium nunc idem Pompeius conabatur eripere, cum eum ante idus Nov. vellet decedere. MAN.

Cæsar defendetur] Non ab amicis, ut Manutius, sed ab ipso Curione, intercessuro, quicquid in Cæsar. statuent. GRON.

Eos] A quibus exigenda pecunia est. Nam syngrapha Sittiana facultatem dabat exigendæ pecuniæ. MANUTIUS.

Tanquam procurator] Eo studio, quo solent ii qui aliena negotia procurant. IDEM.

CÆLIUS CICERONI S. 12

ARG. Queritur de Appii Claudii censoris ingrato animo, et injuriis, quem cum accusationem cogitare comperisset, antevertit, et ipsum postulavit lege Scantinia. *Anno* U. C. 703.

Collegium tentasse] Legendum, ut bene monuerunt alii, *collegam.* Nimirum *L. Pisonem*, qui in Censura erat collega Appii. Hunc iste tentavit, ut et ipse notaret Cælium. Nam unius Censoris nota, sine alterius collegæ assensu, habebatur irrita. Inepti sunt qui de collegio augurum hæc intelligunt. GRÆV.

Reprehenderem] J. F. Gronovius emendat, *prehenderem*, sive *prenderem.* Sensus totius loci est: Postquam comperi illum collegam suum, Censorem, Pisonem sollicitare, ut mihi notam inureret, et cum meo inimico Domitio consilia in meam perniciem inire, volui hoc in illius gratiam facere, ut ipsum precarer et obtestarer, ne tam inique mecum ageret, sed non potui hoc a me impetrare, ut ei quem servaveram, fierem supplex. IDEM.

Quid ergo est?] Formula connec-

tendi. Petronius cap. 2. *quid ergo est? Parentes objurgatione digni sunt.* Cic. Orat. pro Quint. 18. pro Rosc. Amer. 19. Lib. V. ep. 5. J. F. GRONOVIUS.

Palam Servium] Nihil muto: videant tamen eruditi, an sit rectius, quod monui adolescens in scholiis nostris, *Polam Servium*, quem Cicero nominat, ut accusatorem, lib. II. ad Q. Fr. epist. 2. et Cælius ipse paulo post: *Vix hoc erat Pola elocutus.* MANUT.

Summis Circensibus] Extremis diebus Circensium ludorum meorum. IDEM.

Legé Scantinia] De nefando marium concubitu, quæ poenam irrogabat decem millia nummum. Quintilianus lib. IV. cap. 7. Capitale crimen postea fecit Julia lex. Ep. 14. Juvenalis Satyra 6. Suetonius in Domitiano. IDEM.

Cœpi sacellum] Censorum erat curare, ut sacella non in domo cujusquam essent, sed populo paterent. Itaque Livius lib. XL. ubi loquitur de Lepido et Fulvio censoribus, *Complura*, inquit, *sacella publicaque sacra, occupata a privatis, ut paterent, essentque populo, curarant.* Cælius autem ut ostenderet, Appium censorem officio suo deesse, petere coepit ab eo, ut sacellum in domo privata ne relinqueretur: cujus rei cura Appii, qui censor erat, esse debuerat. Sed libentius intellexerim de sacello, quod ipse Appius occupasset: ex quo gravior ei conciliata esset invidia, occupatis rebus a censore, quas censor ab aliis occupatas, populo restituere deberet. IDEM.

Quadraginta] Supple, diebus.

Diem] Quæ a nescio quo ei dicta erat ad judicium subeundum. Et illud *scis*, ut ep. 14. *Scis Appium hic ostenta facere?* quasi esset, *nunquid audisti?* J. F. GRON.

13 CÆLIUS CICERONI S.

ARG. Gratulatur de affinitate Dolabellæ, qui Ciceronis filiam duxerat: narrat de intercessione Curionis, et de provinciis quid actum sit: et de morte Hortensii, de qua Cic. in Bruto, cap. 1. *Anno* U. C. 703.

Quæ relatio fiebat ex S. C.] Quod est in ep. 8. hujus libri. CORRADUS.

Stomacho est Magnus] Vulgo, *Stomacho est* scilicet Pompeius *Magnus:* in quo mediæ voces duæ Manutio videntur glossema, et a Lambino delentur.

Ut ratio ejus esset habenda] Sensus est: Plerique probabant Cæsarem consulem esse designandum, aut inter candidatorum numerum recipiendum absentem, antequam exercitum et provinciam tradiderat. GRÆVIUS. Edidit Victorius, *ut* nec *ratio esset*, &c.

Futurum] Sigonii codex, teste Manutio, habebat *futurus*, nempe Pompeius: hoc est, utrum præsidium et defensor, an desertor et proditor, ut interpretatur J. F. Gronovius: vel, quo loco ejus sit futura auctoritas in republica, ut vult Grævius. Deinde hæc verba, *si aut non possit*, delent Manutius et Grævius, locumque asterisco indicant mutilum esse. Quod si ea deles, quia in Mss. non reperiuntur; legendum erit fortasse, *si haud curet.* Plana enim sententia erit, ac dilucida. Fuerat a librariis scriptum *aut* pro *haud:* ac deinde, interpretationis causa, additum in margine *non;* quod postremo cum altera particula negante simul contextum occupavit. Erit igitur hic sensus; Vos senes divites videritis, quidnam Reip. futurum sit, si Pompeius haud curet. Ironice dictum. OLIVET.

CÆLIUS CICERONI S. 14

ARG. Varia est. Domitii repulsam, Saturnini accusationem, Pompeii et Cæsaris discordiam, Appii censoris ridiculam diligentiam narrat. *Anno* U. C. 703.

Arsacen capere] Quia Cicero cum Parthis bellum gerebat, quorum rex *Arsaces*, regia *Seleucia*. H. STEPH.

In repulsa] Augurali, M. Antonio competitore augure facto. CORRAD.

Perpauci] Pauci, inquit, iis sunt suffragati, quibus cognatione et amicitia fuerunt conjunctissimi, et debebant suffragari propter cognationem, si officium præstare, et facere quod se decebat, voluissent; sed potius in suffragiis ferendis partes, quibus studebant, sunt secuti. GRÆV.

Cujus ego auctor fuerim] Quid mirum? cum amicissimus Curioni esset Cælius, Curio autem vehementer Antonio faveret. Quod ei objicit Cicero Philipp. II. *An*, inquit, *cum es factus augur, unam tribum sine Curione ferre potuisses? cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quod tui nimis studiosi fuissent.* Plutarchus etiam, Curionis præcipue opera, tribunatum hoc anno gerentis, Antonium augurem creatum narrat. MAN.

Ipse Cn. Domitius] Lucii filius, de quo illa superiora scripta sunt. ID.

Etiam in bona spe] Et tamen evasurum reum putant: præsertim cum absolutus sit Sextius æque aut gravius nocens. J. F. GRON.

Annum] Est hic sensus: me non credere per annum pacem duraturam. Intra annum bellum orietur civile. GRÆV.

Illi amores] Intelligit matrimonium Pompeii, cum potentiæ cupiditate duceret Juliam Cæsaris filiam: de qua nundinatione matrimoniorum, qua respublica opprimebatur, queritur Cato apud Plutarch. in vita Julii. *Invidiosa conjunctio*, est triumviratus quem inierant Crassus, Pompeius et Cæsar, his legibus, ut nihil in republica geretur, ipsis improbantibus. GRÆ.

Causam illam] Cæsaris scilicet, qui nimiam potentiam quærebat, et contra patriæ antiqua instituta volebat absens Consul creari, neque sine pactione, ut senatus volebat, exercitus et provinciam tradere. IDEM.

Quique res judicant] Judices: quos Pompeius tertium consul CCCLX. legerat. MAN.

Omnino satis spatii sit] Forte: *Opto*. Dii velint, ne citius hoc malum nobis superveniat, quam sat temporis habuerimus ad æstimandas utriusque vires. GRONOV.

Ostenta facere] Mirifica, quæ nemo crediderit facile, dum scilicet gravem censorem ludit. GRÆV.

De agri modo] Hoc est, de moderanda agrorum possessione. MAN.

Censuram, lomentum aut nitrum esse] Censuram ita sordes posse aut obtegere, ut *lomentum* rugas tollit: aut eluere, ut *nitro* e vestibus eluuntur maculæ; id est, putat se censuræ diligentia et severitate infamiam posse tollere eorum vitiorum, quibus antea se turpiter inquinavit. IDEM.

Viscera aperit] Tantum abest, ut veterem de suis vitiis opinionem hominum deleat, ut eam hac severitate vehementius etiam commoveat. ID.

Apud Drusum] Livium Drusum, prætorem, quo nemo magis contra legem Scantiniam commisit. Fortasse is est, de quo ep. 16. lib. IV. ad Att. IDEM.

Appium] Male audientem carum rerum causa, de quibus accerrime agit. IDEM.

Remisit de stipendio Pompeii] Hoc tempore optimatibus et Pompeio acerrimus Curio erat adversarius. Intercedebat igitur, ne S. C. fieret de stipendio, Pompeii legionibus persolvendo. Ep. 4. IDEM.

Tibi fortuna spectaculum] Committendo Cæsarem et Pompeium. Neutri enim Cicero sincere favebat: neuter Ciceroni, quem ab exilio non servaverant.

15 CÆLIUS CICERONI S.

ARG. Pompeium vituperat, Cæsarem laudat: cupidus conveniendi et alloquendi Ciceronis; de itinere ad Alpes, et Domitio dimisso. *Anno* U. C. 704.

Expulisset.] Cæsaris nomen subauditur.

Peream, si minima causa est] Peream, nisi maxima causa est. MAN.

Discupio] Plautinum verbum, quo etiam Catullus usus est. IDEM.

Adeo] Ob eam causam. Nec enim aliud hic, *Adeo*, videtur significare. IDEM.

Intemelii] Intemelium oppidum Plinius citra Alpes constituit, et inter Ligurum gentes nominat, lib. III. cap. 5. IDEM.

Usquequaque] In Italia et Gallia: nam et L. Domitius cum filio Corfinii captus fuerat. CELLAR.

Psecade natus] Vulgo *ipse catenatus*. Octav. Pantagathus, inquit Man. legendum primus existimavit, *Psecade natus:* ut significetur Bellienus verna. *Psecas* enim ancilla est: *vernæ* autem ii, qui ancillis nascantur. Si Bellienus (ait Cælius) ancilla natus, Domitium strangulare non dubitavit: quid Cæsari, Venere prognato, in vestro Domitio faciendum fuit? Hanc Lamb. et Græv. lectionem receperunt.

F. S. D.] Id est, Filio salutem dic.

16 M. CÆLIUS M. CICERONI S.

ARG. Pulso ex Italia Pompeio, suadet Ciceroni Cælius, ne afflictam fortunam sequatur; consulitque, ut in aliquam urbem a bello vacuam se recipiat. *Anno* U. C. 704.

Iratus senatui] Quia non obtinuisset, ut legati ad Pompeium de pace mitterentur: et quod, quascunque res agere instituerat, L. Metellus tribunus pl. intercedens, omnes impedierat: de quo scripsit Cæsar lib. I. de bel. civ. et Plutarchus in ejus vita. MAN.

Exiit] Urbe, iturus in Hispaniam contra Pompeii legatos, ipso jam Italia pulso. IDEM.

Quod offensæ fuerit] Si vereris, ne, in Italia si remanseris, Pompeium offendas: cogita, te, cum nondum ad eum transieris, hac eum cunctatione jam offendisse. Quidquid esse potuit apud eum offensæ, id subiisti, qui cunctatus es, nec ad eum statim accessisti. Quod hic Cælius, idem Atticus existimavit, ut ad eum ep. 2. lib. IX. scriptum est. IDEM.

Ad te litteras mitteret] Misit: quæ sunt lib. X. ep. ad Att. IDEM.

Censeo] Idem Dolabella, IX. 9.

17 CÆLIUS CICERONI S.

ARG. Queritur se Curionis amore et Appii odio in eas pertractum partes esse, unde multa jam sibi incommoda. Cæsar enim, in bellum Pharsalicum profectus, Romæ Cælium prætorem reliquerat: quod autem non huic, sed Trebonio, res urbanas mandaverat, hic ægre ferens, æmulatione turbas dedit, quibus ipse gravius incucurrit malum. Excusat itaque, quod cum Cicerone non profectus fuerit in Græciam, ad Pompeium. *Anno* U. C. 704.

Quid utinam] Intelligendum *fuisset*. Τὸ *quod* παρέλκει. Significat se odio Appii abstinuisse Pompeianorum societate, amore Curionis Cæsari adhæsisse. J. F. GRONOV.

Perditam] Doctorum conjectura est: nihil enim sani in Mss.

Quam hos] Servilium, Trebonium, et reliquos Cæsarianos. CORRADUS.

Timor vestræ crudelitatis] Pompeius enim in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansis-

sent, et qui in castris Cæsaris fuissent. IDEM.

Nec homo, nec ordo] Latius patet *Homo*, quam *Ordo*. Itaque satis erat, *Homo:* aut dicendum fuit, *nec ordo, nec homo*. Sed excusat Cælium iracundia, qua perturbatus hæc scripsit. MAN.

Irritavi in me Catonem] Quod nonnulli *inritavi in me Crabrones*, vel *in me Cæsarem* legunt, sunt longe a veteribus vestigiis; et vereor ne quanto magis corrigere volunt, tanto magis contaminent. Jaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus vera lectio elucescat. VICTOR.

Doloris], Hujus doloris causam Dio narrat lib. XLII. quod Cæsar Trebonio prætori urbanam jurisdictionem mandasset, quam Cælius expetebat. MAN.

Istic] In Græcia. Nam post bellum Hispaniense, quo, confecto statim Cæsar in Græciam contra Pompeium navigavit, hanc epistolam scriptam esse constat. IDEM.

Quod firmissimum est] Ex parte Cæsaris. IDEM. Lege: *quo firmissimus est*, nempe Cæsar, quo invictus est. J. F. GRON.

Facile algere] Ergo paratiores ad sustinendum etiam diuturnum bellum. Nec esse, quod, ad fatigandum Cæsaris exercitum, Pompeiani bellum trahant. CELLAR.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER IX.

M. T. CICERO M. TERENTIO VARRONI S. D. 1

ARGUMENTUM. Varronis adventum expectat, ut ex consuetudine ejus non minus, quam ex studiis ac libris, cum quibus in gratiam redierit, solatium doloris petat, quem ex afflicta rep. ceperat. *Anno* U. C. 707.

Impendeant] Post Africanum bellum, quod Cæsar tunc gerebat. MANUTIUS.

Ad te] Id est, apud te, et in tua villa: habuit enim et M. Varro villam in Cumano, quod ex prœmio Academicorum ad ipsum missorum colligitur. VICTOR.

CICERO VARRONI. 2

ARG. Retentæ epistolæ causam exponit, deinde suadet, ut vitet oculos hominum, quod ipse faciat; donec gratulatio Africanæ victoriæ defervescat: et suum juvandæ reip. desiderium declarat. *Anno* U. C. 707.

At tibi] *Tibi*, ornatus gratia et hic, et alibi addidit Cicero. Ep. 6. ad M. Brutum, Ep. 14. lib. X. ad Att. et Cælius ep. 2. lib. VIII. MAN.

Ἐωλος] Obsoleta, non recens.

Sed calumniabar ipse] Videtur desiderari *me*, ut sit, calumniabar ipse me. Sed nihil variant edit. LAMB. Ipse falsa hac suspicione me morabar, impedimentum mihi objiciebam. Sic *calumnia* superius lib. I. ep. 1. et lib. VI. ep. 7. GRÆV.

Ἀληθότατος] Sensim.

Gratulatio] Ob res a Cæsare in

Africa contra Scipionem, Pompeii Magni socerum, et Jubam, Mauritaniæ regem, prospere gestas. GRÆVIUS.

Nisi ipse rumor jam raucus erit factus] Nisi rumor de victoria Cæsariana jam coeperit imminui, evanescere, sive, ut Tacitus loquitur, senescere. GRÆV.

Ut architectos] Tanquam principes cives, quales olim fuimus. MANUTIUS.

Πολιτείας] Libros de regenda rep. ID.

Navare remp.] Efficere aliquid Reip. utile, juvare. VI. 1. *navare aliquid et efficere.* J. F. GRONOV. Sed alii aliter. Nam *gubernare* opinatur legi posse Victorius: *juvare*, Manutius: alii verbo addito, *navare operam reip.*

3 CICERO VARRONI.

ARG. Iterum se ad Varronem scribit: sed fore qui reprehendant, quod in tanto incendio civitatis amœnitates locorum quærant: se vero barbarorum voces contemnere, et persequi propositum, ut in studiis una vivant. *Anno* U. C. 707.

Nobiscum, aut inter nos] Bona correctio. Nam poterat aliquis objicere, cessare eos etiam cum aliis: siquidem in urbe non viverent. Cessamus, inquit, inter nos, non inter alios; quia remoti a multitudine vivimus. MANUT.

Barbarorum] Indoctorum. IDEM.

Γλῶτ' εἰς Ἀθήνας] Vide VI. 3.

4 CICERO VARRONI S.

ARG. De Varronis adventu ex Diodori philosophi sententia jocatur ita, ut ad Chrysippi sententiam accedat. *Anno* U. C. 707.

Περὶ δυνατῶν] De rebus, quæ fieri possunt: de possibilibus. Hoc enim verbo, quod vitasse Cicero videtur, Plautus in Sticho usus est: et Quintilianus, quod Græce δυνατόν, Latine dici *Possibile*, quanquam appellatione duriore, auctor est lib. III. cap. 8. MANUT.

Κατὰ Διόδωρον κρίνειν] *Ex Diodori sententia judicare.* Quid sentiret Diodorus, ostendit Cic. in lib. de Fato, cap. 7. *Maxime tibi, Chrysippe, cum Diodoro*, &c. IDEM.

Τῶν ἀδυνάτων] Ex iis rebus, quæ fieri non possunt. IDEM.

Κρίσις . . . Χρυσιππείας] Judicium ex Chrysippi sententia.

Κατὰ Χρύσιππον δυνατόν] Secundum Chrysippum fieri potest.

De Coctio] Quid si *Coceeio*, de quo *ad Att.* XII. 13. CORRAD.

Hortum] Illatum, non ibi natum. MAN. Vix hortum hic intelligere Manutius videtur potuisse alium, quam ex eorum genere, quos vocabant hortos Adonidis; hoc est, flores aut plantas in testulis, uti notat Hesychius. An tales delicias amaret in bibliotheca Cicero, non dicam: scio ambulationibus delectatum; et de testaceis ejusmodi hortulis valde contemptim locutos esse veteres. *In bibliotheca* Badius interpretatur in loco bibliothecæ vicino. Nihil expedit. An ignorabat Cicero, in Varronis villa hortum esse? Cur ergo diceret, *si habes?* Eum ego arbitror aliud velle: hoc nempe: Non egressurum se Varronis e bibliotheca, nisi ut in horto corpus ambulando exerceat; itaque non egressurum omnino, si in bibliotheca sit hortus. Scripsit facete, suo more Cicero, neque intelligi voluit grammatice. OLIVET.

5 CICERO VARRONI.

ARG. Probat et diem, quo conventuri sint, et suum Varronisque consilium, quod semel a Cæsare victi ab armis discesserint. *Anno* U. C. 707.

Consilii nostri] Hujus nostri consilii, inquit Cicero, ne tum quidem nobis poenitendum putarem, si eos, qui id secuti non sunt, non poeniteret. Cum vero eos poeniteat, quod in bello remanserint, multo minus nobis, qui saniores fuimus, poenitendum puto. *Ne si*, verbo praeponuntur, et in eo tamen verbo inest vis negandi. Nam illud, *Nobis poenitendum putarem*, valet, non putarem, quia respicit superiores particulas, *ne si*, quae si postponantur, addenda erat eidem verbo altera negatio, ut ita dicatur: *Nobis poenitendum non putarem, ne si eos quidem, &c.* MAN.

Lavatio] Instrumentum balneare. Phaedrus *lavationem argenteam*, Fabula LXIII. (sive lib. IV. Fab. 4. cui titulus, *Aesopus interpres Testamenti.*) J. F. GRON.

CICERO VARRONI. 6

ARG. Caesaris ex Africano bello adventum nuntiat, et belli civilis causam in Pompeium potius, quam in Caesarem confert. Varronem autem laudat, quod se ab armis ad studia, quasi a tempestate in portum, contulerat. *Anno* U. C. 707.

Alsiense] Quod in superi maris litore Plinius et Ptolemaeus constituunt. MAN.

Multos] Cum ibi essent multorum villae ob regionis amoenitatem. ID.

Exire] De navi descendere.

Non enim est idem] Arguta sententia. Fero, inquit, quae ferenda sunt: (quis enim cum temporum necessitate pugnet?) non ideo tamen probo, quae probanda non sunt. MAN. Frustra mihi quidem videtur hanc sollicitare lectionem H. Stephanus, *Schediasm. Var.* lib. II. cap. 27. OLIVET.

Bestiarum] Elephantorum Jubae.

At] Objectio: Vivimus ubi viris vivere indignum est, republica in tyrannidem prolapsa. J. F. GRON.

Quis negat? sed hoc viderint] Fateor. Sed haec objectio tantum valet adversus eos, qui se non instruxere ad utramque fortunam tolerandam IDEM.

Actis] Amoena littora, in quae se recipiebant cum genio vellent indulgere, partim ob amoenum in mare prospectum, partim propter piscium delicias. Servius ad V. Æn. *In sola secretae Troades acta.* GRAEV.

Hos Tusculanenses dies tuos] Sic agere, quemadmodum tu hos proximos dies in Tusculano tuo egisti inter libros, quos vel legis vel facis, eam demum ego veram vitam puto. J. F. GRONOV.

CICERO VARRONI. 7

ARG. Jam maturum esse ait, ut ab urbe discedat: et de Caesaris ex Africano bello redeuntis itinere diversos rumores nuntiat. *Anno* U. C. 707.

Indicabo malitiam meam] Fatebor tibi, quod astute cogitaram. J. F. GRONOV.

Si quid bonae salutis] Si de Pompeianorum victoria nuncius afferretur. Timebat enim eos Cicero, si vicissent. MAN.

Σύν τε δύ' ἐρχομένω] Utroque simul eunte. *Iliad.* X. 224.

Equis viris] Omni conatu, manibus pedibusque, subaudi, Caesari obviam eamus. Translatio a militari certamine, quo contenditur equis virisque. Inde manavit proverbium. Cum vero celeritas indicatur, *Equis, velis*, dicitur, fugientium similitudine terra mariique. MAN.

L. Caesare filio] Quem Dio, lib. XLIII. jussu Caesaris occulte interemptum ostendit, quia perpetuo contra ipsum pugnasset. Hujus Caesaris pater fuit L. Caesar, avunculus M. Antonii. IDEM.

Quid hic mihi faciet patri] Si L. Caesarem, propinquum suum, necavit: quid mihi faciet? Sumpsit ex Andria

Terentii. (Act. I. sc. 1. vers. 85.) IDEM.

Missa] Subaudi, *sint:* vel *faciamus.* IDEM.

Africa] Ennii versus. IDEM.

Ἀπυπρόσγμένον] De Finib. III. 15.

Quando, qua, quo] Quando sit Cæsar venturus, qua via, ad quem locum. Hinc opinor hanc epistolam, in qua nihil certi de Cæsaris adventu Cicero significat, ante superiorem proximam scriptam esse, in qua Cæsaris adventum expectari dicit, et exiturum vel Ostiæ, vel in Alsiense. ID.

Prædium suum] Per jocum Sardiniam vocat Cæsaris prædium: quasi provinciæ populi R. Cæsaris essent prædia. IDEM.

Eum puto magistrum fore] Is docebit, qua ratione amissam Cæsaris gratiam recuperem, cum ego eum in arte oratoria docere sim solitus. Sic Manutius. Sed suspicor Ciceronem respicere etiam ad Magistros auctionum, et significare, Dolabellam præstiturum Cæsari operam, qualem præstitit P. Sylla et propinquo suo et Cæsari, quem ait vibrasse *illam cruentam hastam*, II. Off. 8. hoc est, præfuturum auctionibus confiscatorum et subhastatorum bonorum, quæ inimicorum Cæsaris fuissent. J. F. GRONOV.

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων] *Multi discipuli meliores magistris*] Responsio ad tacitam objectionem. At Cæsar ipse magister est atque auctor, ut omnis hujus mali, sic et proscriptionum; Dolabella Cæsaris discipulus. At (respondet) multi discipuli potiores magistris. IDEM.

8 CICERO VARRONI.

ARG. Promiserat Varro Ciceroni se libros dicaturum: Cicero eum promissi admonet, missis quatuor Academicarum quæstionum. *Anno* U. C. 708.

Ostenderit] Significaverit se daturum. MAN.

Promissi tui] Fortasse libros de ling. Lat. significat, quos postea Varro ad Ciceronem misit. IDEM.

Quatuor admonitores] Quatuor libros Academicos: quorum primus duntaxat extat: reliqui tres desiderantur. IDEM.

Os] Impudentiam Academiæ novæ. Habent *ejus* principes nostri quatuor editores: *illius*, Grævius. Recte utrumque aberit.

Antiochinas] Ut ea Varro disputans exponeret, quæ Antiochus Ascalonita, Academicus Philosophus, contra Philonem dixerat, et scripserat. MAN.

Philonis] Qui novam Academiam, ex Arcesilæ sententia, quasi meliorem vetere tuebatur. IDEM.

De nobis] Non de aliis personis, ut jam de Antiocho, Philone. CELL.

Superiorum temporum fortuna] Quod adhuc cessavimus, condonetur Reip. quæ nos alio rapuit. J. F. GRONOVIUS.

Hæc ipsi] Hæc vero tempora præstare ipsi debemus: nobis horum temporum reddenda ratio est. Otium enim habemus. MAN. Lego: *hanc ipsi*, &c. scilicet horum temporum causam. Nunc sublatus est iste Reip. obtentus: et si peccemus, non possumus delegare culpam, sed ipsi ea tenemur. GRON.

Migrationem] In domum nuper emptam. MAN.

De hac epistola, vide *Att.* XIII. 25.

9 DOLABELLA CICERONI S. D.

ARG. Dolabella socero suo suadet, ut se vel cum Cæsare conjungat, vel in otium se referat; quod idem Cælius suaserat lib. VIII. ep. 16. *Anno* U. C. 705.

Veterano] Legimus in Suetonio, dixisse Cæsarem, cum iret adversus Pompeii legatos in Hispaniam, ire se ad exercitum sine duce, et inde reversurum ad ducem sine exercitu. Quod

res ipsa comprobavit. Collectitio enim exercitu Pompeius in Pharsalia dimicavit. MAN.

Circumvallato] Ad Dyrrachium. IDEM.

Nescio, an] Pro, *fortasse*, usurpat sæpe Cicero, *Nescio*, vel, *Haud scio*, majore quadam elegantia, ut infra, ep. 14. *Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini.* Et ep. 16. *Est id quidem magnum, atque haud scio an maximum.* Et de Orat. lib. II. *Videtisne, quantum munus sit oratoris historia, haud scio an flumine orationis et varietate maximum.* Ibidem: *Magnum quoddam opus est, atque haud scio, an de humanis operibus longe maximum.* ID.

A te] Vict. Grut. omittunt *a*.

M. CICERO P. DOLABELLÆ S. D. 10

ARG. Inter Niciam et Vidium judex in causa, ut videtur, pecuniaria, constitutus, quod grammaticus Nicia erat, per jocum ad grammaticos adludit: etiam de P. Syllæ morte jocose scribit. *Anno* U. C. 708.

Niciam] Hic est Curtius Nicias grammaticus, de quo Suetonius in libro de Grammaticis. Familiaris Dolabellæ fuit. Epist. ult. lib. XIII. ad Att. MAN.

Alter] Vidius a Nicia petit nummos quos eum sibi debere dicit, quos in Kalendario suo, vel tabulis expensi ei credidisse scriptum profert. *Expensum ferre alicui* est imputare alicui, erogatum alicui testari, scribere, dicere. *Duobus versiculis* est duobus titulis vel nominibus. J. F. GRON.

Alter Aristarchus] Ut Aristarchus olim, quos Homeri non esse versus arbitrabatur, obelisco notabat, ut inducerentur tanquam nothi: sic Nicias versiculos illos, expensam sibi pecuniam indicantes, non agnoscebat, fictosque a Vidio dicebat. MAN.

Ὀβελίζει] Veru notat. IDEM.

Τοῦ ποιητοῦ] Poetæ, Homeri. Jocum Cicero quæsivit in similitudine. Nam quia, *Versiculis*, dixerat, et mox, *Aristarchus;* ideo poetam nominavit; cum Vidium ipsum significet, qui versiculos illos scripserat. IDEM.

Παρεμβεβλημένοι] Interjecti: sic a Vidio ficti, ut in Homeri poemate interjecti a nescio quo versus aliquot erant, de quibus Aristarchus judicavit. ID.

Oblitusne es] Quasi propter convictum damnare non possit. CELLARIUS.

Culinarum] Alii *cochlearum* volunt. Alii aliud. J. F. Gronovius, *squillarum*.

Septimiæ] Subaudi, filia.

Συμβιώτην] Convictorem nostrum non sinam jacturam facere: significat, si pronunciaturus sit, *debere videri:* se pro eo pecuniam numeraturum. J. F. GRON.

Nec committam] Nec dabo tibi occasionem, si damnatus fuerit, per Cæsarem eum restituendi in integrum. Tacite reprehendit multa judicia a Cæsare rescissa, et restitutos exules, IDEM.

Ne habeat Bursa] Ne ille tuo hoc beneficio devinctus Planco vestro Bursæ se dedere compellatur, et illum barbarum litterarum elementis imbuere. Nam et hic fuerat inimicus Ciceronis, et cum melioribus temporibus damnatus esset, a Cæsare civitatem receperat. MAN.

Antequam] Verebatur enim, ne falsum esset, quod esse verum cupiebat; quia P. Sylla, quod et antea dictatore propinquo suo L. Sylla, et postea Cæsare, proscriptorum civium bona emere consueverat, populo in primis odio erat. IDEM.

Ne hasta Cæsaris refrixerat] Eundem etiam jocum movet iisdem pene verbis in eadem persona, lib. XV. ep. 17.

11 CICERO DOLABELLÆ.

ARG. Tulliolæ mortem, Dolabellæ, etiam post divortium, significat; suos obtrectatores a Dolabella refutari vult, ab eodemque se amari. *An.* U. C. 708.

12 CICERO DOLABELLÆ.

ARG. Dolabellæ gratulatur de Baiarum salubritate, et orationem pro Dejotaro mittit. *Anno* U. C. 708.

Aliorum] Cæsarianorum.

13 CICERO DOLABELLÆ S.

ARG. Rogat ut Suberino et Planio reditum in patriam a Cæsare impetret, eosque ita excusat, ut ostendat, casu quodam et necessitate coactos Pompeii partes in Hispania secutos esse. *Anno* U. C. 708.

M. Varrone] Legato Pompeii in Hispania cum Afranio et Petreio. MAN.

Heredis] Non dubito, quin sit hoc Planii cognomen. Itaque scripsi prima littera majuscula. MANUTIUS.

Qui est item Calenus] Hæc plane insulsa sunt, et nullius sensus. Rescripsi ex Hittorpiano: *qui est item ut Calenus.* Non male etiam sext. Pal. *qui est item uti Calenus Leptæ nostri familiarissimus.* GRÆVIUS. Omnino aliud, opinor, agebat vir doctissimus: nam *Calenus* non est hic nomen hominis, sed loci. *Qui est item Calenus,* hoc est, qui est æque Calenus, sive ex municipio Caleno, ac Suberinus ille, de quo supra. OLIVET.

Quem omnibus antepono] Non omnibus plane hominibus, (non enim Leptæ tantum tribueret) sed omnibus Calenis. Nam et Lepta ex eodem erat municipio. MAN.

Equestris] Quadraginta millia sestertium.

14 CICERO DOLABELLÆ CONSULI S.

ARG. Laudat Dolabellam, quod columnam, quasi aram mortuo Cæsari, ut deo, erectam, everterit, et animadversione in eos qui contra libertatem tumultuabantur, usus fuerit. Scripta paulo post necem Cæsaris. *Anno* U. C. 709.

In hæc loca] Baias. Ep. 10. MAN.

Summis laudibus] Ob eversam columnam et aram. Epist. 2. lib. XI. et 1. lib. XII. et ad Att. epist. 15. 16. 19. lib. XIV. IDEM.

Consulem] Interfecto Cæsare, Dolabella cum fascibus tanquam consul in forum venit. Nam eum sibi Cæsar, iturus ad bellum Parthicum, suffecerat. IDEM.

L. Cæsar] Juliæ, M. Antonii matris, frater: avunculus igitur Antonii. Hunc Antonius, oppressa rursus post obitum Cæsaris rep. necandum Octavio tradidit; Octavius ei Ciceronem. Sed cum ad eum interficiendum milites ab Octavio missi venissent, confugit ad Juliam sororem: quæ fratrem, objecto percussoribus corpore, clamans Antonii matrem una cum fratre necandam, incolumem servavit. IDEM.

Sororis filium] M. Antonium, Dolabellæ collegam in consulatu. IDEM.

Amare videar, antea dilexisse] *Diligere* levius est, quam *Amare.* In epistola ad M. Brutum: *Clodius valde me diligit, vel, ut* ἐμφατικώτερον, *valde me amat.* Epist. 47. lib. XIII. *Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? sed tamen, ut scires eum non a me diligi solum, verum etiam amari, ob*

eam rem tibi hæc scribo. Terentius quoque ut diversa posuit in Eun. *Act.* I. *sc.* 2. *verſ.* 16. MAN.

Accessus a te ad causam facti] Accessisti ad rem narrandam ita pedetentim et gradatim, indeque ita recessisti, non ut impetu quodam et temeritate raptus ad animadvertendum videreris, sed ut ipsa res, a te prudenter explicata, hortaretur te ad celerem animadversionem, omnium concessu. IDEM.

Maturitatem animadvertendi] In eos, qui columnam erexerant. IDEM.

CICERO PÆTO S. 15

ARG. Duabus epistolis respondet; priori, de valetudine, et illius in se amore, ac jucunditate: alteri, nihil referre, utrum Romæ sit, an Neapoli, cum Romæ unius nutu regantur omnia. Scripta paulo ante, quam Cæsar ad Hispaniense bellum exiret. *Anno* U. C. 707.

Tibi esse curam] Ita esse in suis libris testantur Manutius et Corradus: non video igitur, quare Graterus et Grævius hic lacunam cum Victorio agnoscere maluerint. OLIVET.

Oblitas] Inquinatas ac maculatas Latinorum municipum sermone atque formulis. Ab *oblinor*. CELLAR. Videtur J. F. Gronovius deducere illud ab *oblivisci*. Desiisse, inquit, Latium nostrum. Supra lib. VII. epist. 31. *Exaruisse jam veterem urbanitatem.* Non ita bene. OLIVET.

Peregrinitas] Cum Latinis data civitas est: quorum consuetudo Romanum sermonem infuscavit. *Peregrini* autem ab initio Latini Romæ vocabantur. MAN.

Braccatis et transalpinis nationibus] Gallia Braccata, quæ cis Alpes fuit, dicebatur provincia Narbonensis, a genere vestimenti: Comata vero, quæ Romanis antequam a C. Cæsare superaretur, non paruit, dicta a comis alendis. Hic Cicero jocatur, non sine stomacho, in Cæsarem, qui Gallis quibusdam, non modo cisalpinis, verum etiam transalpinis civitatem dederat: ex quibus nonnullos etiam in senatum recepit. IDEM.

Granios] De Granio præcone, lib. II. de Orat. cap. 60. et in Bruto, cap. 43.

Catulum] Q. Catulum, ejus filium, qui cum C. Mario consul fuit. *Mihi narras:* Ais ab reip. custodia nunquam discessisse. MAN.

An minus multa S. C.] Abesse mihi licet nullo reip. damno. Non enim, si ego Romæ non sim, ideo minus multa Senatus-consulta fient. IDEM.

Apud amatorem tuum] Quæ scribi solebant in curia. Amatorem Pæti Cæsarem vocat; apud quem auctoritate et gratia plurimum valebat Pætus. IDEM.

Cum in mentem venit, ponor ad scribendum] Ubi lubuit, ubi fert animus, præscribitur S. C. meum nomen, quasi scribendo adfuerim, etiamsi haudquaquam præsto fuerim. J. F. GRON.

Præfectus] Cæsar, quem senatus moribus in triennium præfecerat. Dio, lib. XLIII. MAN.

Domum si habebo] Neapoli.

In denos dies] Quem sumptum in singulos dies præscribit sumptuaria lex, eum in decem distribuam. Tulit eam legem Cæsar post bellum Africanum. Vide *Fam.* VII. 26. *Att.* XIII. 7. MAN.

Non abjeci] Adhuc spero. Ep. 1. lib. XIII. *Te abjecisse illam ædificationem, constabat inter omnes.* IDEM.

CICERO PAPIRIO PÆTO S. 16

ARG. Ostendit nihil a se prætermissum in Cæsarianorum conciliandâ sibi benevolentia; nec boni civis aut sapientis hominis officium in se desiderari posse: tandem ad Pæti jocationes respondet. *Anno* U. C. 707.

Suo nuntio] Videtur nuntiasse, ut

epistola colligitur, Cæsarem salibus Ciceronis esse offensum. MAN.

Nostra fortuna] Humilis et abjecta. *Illorum:* Florentissima: cum sit penes Cæsarem potestas omnis. ID.

Ἀποφθεγμάτων] Salse dictorum a multis. Hunc librum, *Dicta collectanea*, Suetonius vocat. IDEM.

Oenomao tuo] Attii tragœdia. Versus a Papirio recitati, vitandam invidiam, admonebant. IDEM.

Posuisti loco] Opportune eorum exemplum attulisti. *Loco*, aut *in loco*, est, non alieno tempore. IDEM.

Fac esse omnia] Esto, ut invideatur mihi, licet invidendi causa nulla sit. IDEM.

Attellanum] Papirius in epistola sua, post eos versus, quos ex Attii Oenomao recitaverat, Ciceronem irriserat, non modeste, ut solebant olim Atellanarum actores, sed liberius, ut actores mimorum. Multis modis enim fabula mimus ab Atellana differebat: quod parum modeste dicax; quippe quæ dicta sit, ut ait Donatus in Terentii vita, ab imitatione diuturna vilium rerum, et levium personarum; itaque Macrobius lib. III. Saturn. mimis lasciviam tribuit: quod Romana lingua, non Osca, ut Atellana: quod ab uno tantum agebatur: quod exodiis carebat: neque enim in quinque actus, ut Atellana, et reliquæ fabulæ, quibus actibus inserebantur ad animos recreandos exodia, dividebatur, sed perpetuam actionem habebat: postremo, ut arbitror, quod neque adhibito tibicine, neque cantu, neque cum corporis motu, ut reliquæ fabulæ, agebatur. Recte igitur mimum, non Atellanum, id est, Atellanæ fabulæ histrionem, Pætus induxisse dicitur: quia dictis acutioribus, quam quæ inseri olim Atellanis solita fuerant, in Ciceronem jocaretur. MAN.

Popilium] Volunt piscem esse, qui Plinio dicitur *pompilus*, lib. IX. cap. 29. Nisi mavis hic *polypum*, ut infra.

Denarium] Eandem hanc vocem invenies in tertia ab hac epistola, quo loco edulium quoddam significare videtur, quod magni apud me momenti fuit, ne quid hic temere mutaremus, *Neque ollam*, inquit, *denariorum implere*. Nam quamvis thesaurus in ollis a senibus maxime condi soleat, unde argumentum et titulum suæ comœdiæ Plautus accepit: arbitror tamen argutiorem quempiam esse sensum horum verborum, voluisseque Ciceronem hoc loco ludere, et materiam joci ex ambiguitate illius dictionis traxisse: quod tamen non affirmo: nec enim ullo testimonio aliorum auctorum confirmare possum. Id autem quod suspicati sumus non inepte, ut puto, consideratis diligenter ambobus his locis notum facere voluimus. Quod si recipitur, probaturque edulium illic significare, non video cur hic quoque idem significare non possit, neque cur hinc vocem hanc delere tentent, cum illic eam manere sinant: eandem enim ejus utroque loco rationem esse puto. Eruditiores hoc diligentius considerare poterunt, quorum ego judicio semper libenter acquiescam. Satis hic nobis fuit consilii nostri rationem ostendere, quod non ut cuncti fere alii fecerunt, dictionem hanc delere voluimus. VICTOR. Quasi intelligi non possit *denarius*, quo se *polypum* empturum scripsisset Pætus, quem Cicero, ut pretium minimum, se fingat spernere. CORRAD.

Tyrotarichi] Edulii genus ex caseo et salsamentis confectum: nam τυρός, caseus, ταρίχος salsamentum.

Dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros] Ego eos erudio in Rhetoricis, præcepta eloquentiæ eis trado, sed apud eos cœno. *Magistri* enim, *Reges*, *Domini* dicebantur splendidi convivatores, qui amicos frequenter excipiebant conviviis. Ut pridem notavit Lipsius III. Antiq. lect. GRÆ.

Quod mihi bonam copiam ejures] Pro, quod jures mihi te non habere unde sumptum facias. MAN.

Quæsticulis] Lucellis. Dandi casu potius, quam auferendi, opinor dictum: ut sit, *Attentiorem, vel ad minimos quæstus*. IDEM.

Bona perdas] Per legem Cæsaris, qui decrevit, ut creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quisque ante civile bellum comparassent: deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum aut perscriptum fuisset: qua conditione quarta pars fere crediti deperibat. Sueton. Jul. 42. J. F. Gronov.

Levior est plaga ab amico, quam a debitore] Hoc est, et tamen, quod ab amico bona tua commedantur, non id tibi æque grave esse debet, atque illud est, quod debitorum causa deperdis. Man.

Phameæ] Qui fuit avus Tigellii tibicinis. Ep. 24. lib. VII. Idem.

Temperius] Maturius. Refero enim ad tempus, non ad frugalitatem. Id.

Revocare] Amstelodamensis codex sic totum hunc locum legit et distinguit: *Quod si perseveras, me ad matris tuæ cœnam revoca. Referam id quoque.* Mihi sane Cicero sic videtur scripsisse: *Quod si perseveras, me ad matris tuæ cœnam revoca. Feram id quoque.* Quod si perseveras, inquit, bonam copiam ejurare, nec te ferendis esse sumptibus tam lautæ et magnificæ cœnæ asseveras, invita me iterum, ut solebas antea, ad parcam et frugalem cœnulam tuæ matris, quæ diligens et attenta mater familias est: id etiam feram æquo animo. Græv.

Polypum] Piscem, ita vocatum, a multitudine pedum, non magni pretii. Plinius, lib. IX. 29. Man.

Miniani Jovis similem] Rubro jure tinctum. Jovis simulacri faciem in Capitolio illini minio solitam, ait Plinius lib. XXXIII. cap. 7. et lib. XXXV. cap. 12. inde Miniano cognomen. Idem.

In promulside] In antecœna. *Promulsis* est gustatio, vel gustus, quod et *antecœnium* dicebatur et *antecœna*, sic dicta quia veteres initio cœnæ fere *mulsum* apponebant, et ea cœna dabatur ante mulsum. Vide Lips. III. antiq. Lect. Græv.

Lucanicis] Notum genus suilli farciminis, a Lucanis populis inventum. Manut.

Isto] Neapolim, ubi tu es. Idem.

De Villa Seliciana] Domum Syllanam in urbe Neapoli, (ep. 15.) villam Selicianam in agro Cicero emere cogitabat. Idem.

Salis] Papirius dixerat, villam hanc, in litore positam, salinas habere. *Salis*, inquit Cic. *satis est:* sed ridendi causas adversa reip. tempora eripiunt. Idem.

CICERO L. PAPIRIO PÆTO S. 17

Arg. Cæsar militibus agros divisurus dicebatur. Metuenti Pæto, ne divisio ad suos agros perveniat, idque quærenti, Cicero respondet. *Anno* U. C. 707.

CICERO L. PAPIRIO PÆTO S. D. 18

Arg. Causas exponit, cur ludum quasi eloquentiæ aperuerit, aliosque declamando exerceret. Addit per jocum de cœnarum apparatu. *Anno* U. C. 707.

Discipulos] Hirtium et Dolabellam.

Conciliarent] Mollissimum mihi aditum ad Cæsarem pararent, qui eos habet familiares. J. F. Gronovius.

Ateriano jure] Ludit in voce *jus*, quod et liquidum cibi et leges significat. Videtur Alterium Jurisconsultum penes se habuisse Pætus. J. F. Gron.

Προλεγομένας] Disce, inquit, e cœnis Hirtianis, quales tuæ futuræ sint. Προλεγομένας vocat, quia, sicut ἐκ τῶν προλεγομένων, quæ præponuntur libris, docemur ea, quæ ad ipsos libros attinent, sic Hirtii cœnæ Papirium, quas cœnas dare deberet, admonere et erudire possent. Man.

Sus Minervam] Usurpatur hoc adagium in eos, qui, cujus rei scientia carent, in ea peritissimos conantur erudire. IDEM.

Æstimationes] Possessiones per æstimationem a debitoribus acceptas. IDEM.

Ollam] Qualis est Euclionis in Aulularia Plauti. J. F. GRON. Fortasse scripserat Pætus, tunc velle se, cum ollam denariorum, æstimationibus venditis, implevisset, Romam redire. MAN. Aliter Victorius, supra, *pag*. 300. *not*. 9.

Sella tibi erit in ludo] Quem me aperuisse dixeram. J. F. GRON.

Hypodidascalo] Ei, qui subdoceat. MANUT.

19 CICERO L. PAPIRIO PÆTO S. D.

ARG. Scripserat Pætus, Balbum tenui apparatu fuisse contentum. Unde jocatur, malitiose hæc dici, ut se quoque ad continentiam devocaret. *Anno* U. C. 707.

Balbos] Jocatur in ambiguo Balbi nomine. *Balbi* enim dicuntur, qui linguæ vitio parum expedite loquuntur. MAN.

In ista loca] Neapolim.

20 CICERO PÆTO.

ARG. Jocatur pro more, se Epicureum factum dicens, abjecta reip. cura, ideoque lautius, quam antea, excipiendum esse. Deinde rationes suæ vitæ et studiorum perscribit. *Anno* U. C. 707.

Velitem] Velites, genus militum, quod ante justam aciem telis, hastis pugnat, leviter armatum.

Contubernalem] Diutius enim, quam solent hospites, apud te mansissem. MANUT.

Promulside] Vide supra, ep. 16.

Integram famem ad ovum affero] Quasi nihil gustassem in promulside juxta jejunus et esuriens aggredior caput cœnæ. GRON.

Ad assum vitulinum] Nec minus strenue ad carnes assas accedo. ID.

Commentationem causarum] Meditationem litium forensium, quæ omnia scilicet antehac me parci cibi faciebant. IDEM.

Insolentiam] Est hic *Insolentia* nimius sumptus, qui fiebat in cœnas. MANUT.

Ὀψιμαθεῖς] *Sero discentes.*

Artolagani] Panes melliti, placentarum instar. J. F. GRON.

Artis] Hic alii aliter legunt. Videat, si quis vult, Turneb. Advers. VI. 1.

Comedim] Pro *comedam*. Ex Nonio.

21 CICERO PÆTO S.

ARG. Fulmina verborum Pætus Ciceroni tribuerat, quæ imitari non posset, quod ridens confutat: etiam quod Papirios ullos negaverat nisi plebeios fuisse. *Anno incerto.*

Trabea] Non opus est, ut verba Trabeæ Poetæ in te convenire dicas; in me enim potius conveniunt. Trabeæ versum posuerat Pætus, quo significabatur, non succedere illi, quod aggressus erat: id est, non posse eum consequi fulmina verborum Ciceronis. MANUT.

Ἀπότυγμα] *Aberratio:* quia non assequor id, quod cupio. Cum Papirius ostendere velit Ciceroni, se frustra ipsius orationes imitari, Trabeæ Poetæ verbis id ostenderat. Quod rejicit Cicero, ac potius sibi illud ipsum a Trabea opus esse affirmat. Nam cum Papirius non solum consequatur, sed etiam vincat; *tuum esse frustra conari affirmat:* ἀπότυγμα *igitur meum*, subaudi *est*. Tu enim omnia, quæ vis, consequeris. Quod ego non possum: itaque ἀπότυγμα meum est, non tuum. MANUTIUS.

Minorum gentium] Quos post Romulum in Senatum Tarquinius Priscus adlegerat, ii *minorum gentium* sunt appellati, quasi secundæ dignitatis patres. *Livius*, lib. XXXV. CELLARIUS.

Tredecim . . . sella curuli] Scilicet, usi, qui Magistratus Curules gesserunt. GRON.

Sutorio atramento absolutus] Id est, corruptis Judicum tabellis. CORRAD. Sutorium atramentum Græci κόλλαβον vocant. Galenus lib. XIII. meth. cap. 20. nominat inter ea pharmaca, quæ non leviter nocendi vim habent: quam ille δύναμιν φθαρτικὴν appellat: subjungitque non tuto medicamentis immisceri, quæ per os assumuntur. Itaque licet opinari, Carbonem hunc, sumpto atramento sutorio, voluntaria morte damnationis a judicio liberatum. MAN.

CICERO PÆTO. 22

ARG. Pætus ita libere jocatus in epistola fuerat, ut ne obscœnum verbum vitaret. Unde occasio Ciceroni nata exponendæ Stoicorum sententiæ de licentia loquendi: quam ipse damnat; contra, Platonis laudat verecundiam. *Anno incerto.*

Vel potius libertatem loquendi] Aut hoc per jocum dicit; aut legendum, *Alii potius libertatem.* Alioqui pugnantia loqueretur. MAN. Legendum est, *Amo verecundiam, tu potius libertatem*, reclament omnes libri licet. LAMB. Hunc locum, si quis attentius epistolæ finem inspiciat, sane intelliget, ne ipse sibi Cicero adversetur, ἀπορηματικῶς cum nota interrogationis esse enuntiandum: atque eam ob causam *vel* eo in loco *an* significare. Finis autem est hic: *Ego servavi, et servabo . . . . . Platonis verecundiam.* Quem quis non videt ex adverso cum initio pugnare? Interrogative legatur ergo; qua loquendi forma, non semel ad Atticum scribens, et alibi usus est. MALASPINA, *in Epist. ad Q. Fratr.* I. 2. Est mihi notus acerrimo ingenio Criticus, qui legat: *Amo verecundiam*, velut porticus *libertatem*, &c. Hoc est, uti Stoici amant libertatem &c. Audacius, quam necesse sit, ni fallor. OLIVET.

Demiurgo] Turpilii Comici fabula: *modo*, id est nuperrime acta. CELL.

Quæ mulier] Accii verba. Vide Cic. in Orat. cap. 46.

Usurpata duplex cubile] Hoc proxime sequitur post illud, *quæ mulier una?* Nam verba sunt mulieris de pellice querentis. Et fortasse loquentem hæc Poeta induxerat Theben, uxorem Alexandri, Pheræi tyranni: quem arbitror infra nominari. Hæc enim, ut Cicero *lib.* II. *Off.* prodidit, propter pellicatus suspicionem virum interfecit. *Usurpata*, verbum deponens temporis præteriti: cum tamen, *Usurpo*, sit usitatius, quam *Usurpor*. MAN.

Alterum] Obscœnum verbum, quo dissoluti homines pro *Violo* libere utuntur. IDEM.

Alieno nomine] Proprium nomen, podex: alienum, anus: a vetula: quod utrique similis deformitas et fœditas. IDEM.

Sed quia multi] Post eum, scilicet, sic appellaverunt, ut ipse antea appellarat, cum amplius non tectum esset, et obscurum, *factum est tum obscœnum*, quam id verbum quo usus est Pætus. Postquam enim non latuit, nec clam fuit quid ea voce significaretur, statim factum est turpe et obscœnum: non enim intelligi ab omnibus quid ea denotaretur, ipsum verecundiorem faciebat. Ideoque infinitis pene nominibus apud Græcos, nec paucis etiam apud Romanos, hæ hominis partes quæ honeste nominari non possunt, indicantur: unusquisque reconditam vocem sectatur, vulgatam, et nimis apertam propter turpitudinem fugit et aspernatur. VICT.

Culpam] Politianus, *pulpam*. Sed hæc diligentius interpretari nolim.

Bini] Δύο apud Græcos a βίνω coco.

Non licet] Quia, *mentula*, dicerem: quod obscœnum est. MAN.

Non potes] Quia diceres, *pavimentula*: in quo verbo *mentula* nominatur. IDEM.

Intercapedo] Vide Quintilian VIII. 3. Plura Franciscus Vavassor, lib. *de Epigrammate*, cap. XI. extremo.

Aurelia, aut Lollia] Scortis nobilibus. MAN.

Batuit, inquit, impudenter: depsit, multo impudentius] *Batuere*, et *Depsere*, cum non obscœna proprie sint verba; nam illud est, verberare, vel pugnare; hoc, subigendo tenerum reddere: ad obscœnam tamen significationem transferuntur. *Batuere* enim sic accipitur pro βατεύειν, ut, *bini*, pro βίνει. Est autem βατεύειν, cum mares insiliunt feminas rei venereæ causa. Quo verbo Theocritus usus est. *Depsere* vero, est subigere, miscere. IDEM.

Stultorum plena sunt omnia] H. Stephanus quatuor illas voces habet pro spuriis, auctoritate veteris codicis. Vide lib. I. *Schediasm.* cap. 66.

Colei Lanuvini] Familia Lanuvina, sic appellata, vel familiæ cognomen. MANUT.

Cliternini non honesti] Quia familia Coleorum ibi non est: et ideo, *Cliterninos coleos* qui dicit, non familiam, sed testes viriles dicit. IDEM.

Suppedit, flagitium est] Quia, cum deducatur a *pedo*, significat, crepitum ventris emittere. IDEM.

Scholam] Disputationem, quemadmodum in schola. Vide Tuscul. I. 4.

Ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσῃ] *Sapiens recte loqueris.* Opinor contra scholam Stoicam hoc esse. Ut dixerit Cicero; Stoici superiora illa disputant: mihi autem hoc videtur, sapientem ita loqui debere, ut obscœnitatem vitet: quod ego facio, Platonis verecundiam servans. MAN.

Honorem] Habere volui. *Kalendis Martiis:* Quem præcipue diem matronas, Junoni dicatum, cum religione coluisse, scripsit Ovidius Fast. lib. III. et Servius in Virg. lib. VIII. IDEM.

23 CICERO PAPIRIO PÆTO.

ARG. Quanquam pedibus laborare Pætum audierat, tamen adventum suum prænuntiat, quia non arbitretur etiam coquum arthriticum habere. *Anno* U. C. 707.

Sylva Gallinaria] Est inter ostia Vulturni et Literni in Campania.

Arthriticum] Articulis ita laborantem. ut cœnam apparare non possit. MANUT.

24 CICERO PÆTO.

ARG. Rufum, a Pæto commendatum, sibi curæ fore ostendit: et ut ille ad amicorum convictum redeat, hortatur: nihilque sibi rep. carius esse concludit. Pansa et Hirtio coss. *Anno* U. C. 710.

Rufum] Non is, de quo V. 19. XIV. 14.

Aquini] Aquinum Volscorum oppidum, ut et *Fabraterea*.

Consilia sunt iniita] Ab Antonio. MA.

Convivia] De Senectute, cap. 13.

25 CICERO IMPERATORI PÆTO.

ARG. Cum Ciliciæ Cicero pro consule præesset, a Pæto litteras de re militari accipit: quas jocans his exagitat, et una M. Fabium commendat. *Anno* U. C. 703.

Pyrrhi libros, et Cineæ] Pyrrhus Epirotarum rex fuit, Cineas ejus legatus. Utrumque scripsisse libros de re militari, ex Plutarcho et Ælliano perspicuum fit. MAN.

Παιδείαν Κύρου] *Cyri institutionem*, a Xenophonte conscriptam.

Ades ad imperandum] Scripta veterum interiore, in quibus hic loquendi modus crebrior fuit: unius igitur Sallustii utemur testimonio. *Jugurtha* (inquit) *ubi armis, virisque, et pecunia spoliatus est, cum ad imperandum Tisidium vocaretur, rursus cœpit flectere animum suum. Ad imperandum*, id est, ut ei imperaretur, ad parendum: quod Cicero subjunxit: Hunc loquendi modum et Servius agnovit in illo Virg. versu:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Cantando, inquit, *dum incantatur.* MAN.

Proscriptum] Ut venderetur. ID.

CICERO PÆTO S. D. 26

ARG. Descriptio et excusatio cœnæ liberioris, præsertim accumbente Cytheride meretrice. *Anno* U. C. 707.

Eutrapelum] Ita vocatum a festivitate et lepore. Epist. 32. lib. VII. MANUT.

Philosophum] Dionem, cujus consuetudine Pætus utebatur. Infra. IDEM.

Ζήτημα] *Quæstionem.* Dioni petenti qua de re vellet Pætus disserere, responderat, *De cœna.* Et hoc unum.

Cytheris] Volumnii liberta, et amica. Quam postea dilexit Cornelius Gallus Poeta, et post eum M. Antonius. Vide Philippica II. cap. 24. IDEM.

Quem adspectabant, &c.] Carmen Ennianum in Telamone. CORRAD.

Græce] Aristippi Græca verba sunt, Ἔχω, καὶ οὐκ ἴχομαι: quæ recitat Athenæus lib. XII. quod Ciceroni Græce melius videtur, quam Latine, non quia Græce dicatur brevius: æque enim breviter Latine dicitur: sed quia verbum Ἔχω quiddam amplius, quam, *Habeo*, significat; quod referri ad concubitum potest. MAN.

Quod in solum, ut dicitur] Hoc proverbium, *Quod in solum venit*, vel *Quodcunque in solum venit*, quidlibet significat, et quidquid occurrit, quidquid casus fert: non pro ratione, aut pro recta voluntate, sed temere, casu, fortuito. Vide lib. I. de Nat. Deor. cap. 23. IDEM.

Quæreret] Ex instituto Gorgiæ Leontini, qui primus est ausus in conventu poscere quæstionem, id est jubere dicere, qua de re quis vellet audire. Lib. II. de Fin. in principio. ID.

A mane] Non hoc significat, quod Manutius putat, se quærere cœnam, quæ a mane inciperet: sed se a mane quærere, qui illum invitaret ad cœnam hora solita instituendam, aut saltem *de die:* sicut illi sodales Catulliani, qui in triviis quærebant vocationes. GRÆV. Habuit fere Manutii sententiam altera pagina.

Ibi præsertim] *Tibi*, non *ibi*, lego cum omnibus libris antiquis. MAN.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER X.

CICERO PLANCO.

ARGUMENTUM. Invehitur in Antonii immoderatam potentiam, et Plancum transalpinæ Galliæ præsidem hortatur, ut in remp. incumbat: et tandem de Furnio benigne suscepto gratias agit. *Anno* U. C. 709.

Profiscens in Græciam] Desperata libertate, Antonio consule post Cæsaris necem, pro sua libidine cuncta administrante. Vide ep. 25. lib. XII. et Philipp. I. MAN.

De meo] Nonnulli, *de medio*.

Maximæ curæ est, non de mea] Sic Gruterus et Grævius: sed Victorius, *maxime curæ est*, &c. Manutius, *maxima cura est*, &c. Lambinus, *maximæ curæ est, non mea quidem*, &c. Varias id genus lectiones enumerare liceat, non ponderare.

Ita longa est] Hoc anno consules erant Antonius et Dolabella, interfecto idibus Martiis Cæsare, cujus locum Dolabella occupavit. His anno sequenti successuri erant Hirtius et Pansa, Hirtio et Pansæ Plancus et D. Brutus. MAN.

Acta] Singulorum dierum. MANUTIUS.

Judicii] Beneficii. Nam beneficia honoratorum hominum argumentum sunt, illos bene de rebus judicare. J. F. GRON.

2 CICERO PLANCO S.

ARG. Excusat, quod in senatum ad agendam Planci causam non venerit, et officia sua in aliis rebus pollicetur. *Anno* U. C. 709.

Armati] Ab Antonio Consule.

3 CICERO PLANCO S. D.

ARG. Veritus Cicero, ne, quod accidit, cum Antonio se Plancus conjungat, aucupatur laudibus ejusdem benevolentiam, hortaturque ut remp. tueatur. *Anno* U. C. 710.

Liberalitatem] Non largitionem, sed summam quandam humanitatem et consuetudinem gratificandi, ut epist. 7. lib. I. et 9. lib. V. MANUTIUS.

4 PLANCUS CICERONI.

ARG. Gratias agit Ciceroni, quod se ad verissimæ gloriæ studium sit adhortatus, seque in reip. potestate fore pollicetur. *Anno* U. C. 710.

Te scriptisse] Tua manu, non amanuensis. MAN. Sed vetus commentator: *Ex sermone Furnii*, id est, propter ea, quæ Furnius de me locutus est tecum. CELLAR.

Ut præter bonam famam] Ut unicum, quod iis addere possum, sit bona hominum de his existimatio. Tacite significat propter mala tempora, et quod serviendum esset Cæsari, nondum eam mereri se potuisse. J. F. GRON.

In Gallia citeriore] Cisalpina: cui præerat D. Brutus, et ipse consul designatus, Mutinæ inclusus, obsidente M. Antonio. MAN.

Aliena vitia] Nostra scilicet, dum inter nos contendimus. IDEM.

5 CICERO PLANCO S.

ARG. Denuo Plancum ad suscipiendam tuendamque rempublicam stimulis gloriæ instigat. *An.* U. C. 710.

Attulerat] Manutius, *attulerunt*.

Id erit totum et proprium tuum] Optime priscus codex, quem Lambinus consuluit, *id erit totum proprium et tuum*. Vulgata nullius est pretii: copula sane suo loco posita non est. Venuste autem, ut et apud alios scriptores, *proprium et tuum* tanquam συνώνυμα conjunguntur. Lambinus conjicit, *id erit totum proprie tuum*. GRÆV.

CICERO PLANCO. 6

ARG. Plancus litteris ad senatum scriptis pacem cum Antonio suaserat: quam Cicero his dissuadet, quæ armis potius, quam pactione sit quærenda: hortaturque, ut sejungat se a societate malorum, totusque ad remp. transeat. *Anno* U. C. 710.

Collega tuus] D. Brutus, consul cum Planco designatus. MAN.

Obsideretur] Mutinæ. Ep. II. 14. IDEM.

Lepidi] Hic est M. Æmilius Lepidus, qui, decreta sibi Hispania, in Gallia tamen adhuc, civilis belli, ab Antonio suscitati, exitum expectans, morabatur. Postea, prodita rep. triumvir cum Antonio et Octavio fuit, evertendæ, non, ut aiebant ipsi, constituendæ reip. IDEM.

Auctorem, principem, ducem] Augetur sententia singulis verbis. Nam *Auctor* est, non qui alios sequitur, sed qui movet. *Princeps* autem plus est, quam *Auctor:* et *Dux* plus, quam *Princeps*. MAN.

Ea ratione] Iis rebus agendis. ID.

PLANCUS CICERONI. 7

ARG. Causam brevitatis indicat, et studii in remp. sui serius patefacti, suamque dignitatem Ciceroni commendat. *Anno* 710.

Publicis litteris] Quæ sequuntur. CORRAD.

Cum alii occupare possessionem laudis viderentur] Qui ante me bonam voluntatem in Remp. sunt professi. CORRAD.

Rerum spe] Honoribus propositis. MANUT.

PLANCUS IMP. COS. DES. COSS. PR. TRIB. PLEB. SEN. POP. PL. Q. R. S. D. 8

ARG. Causas affert, cur se sero libertatis defensorem profiteatur; et de exercitu et provinciæ statu significat. *Anno* U. C. 710.

Suspensam] *Plancus*, inquit Paterculus, II. 63. *dubia fide, quarum esset partium, diu secum luctatus, senatuique se litteris venditans, mox D. Bruti proditor fuit.*

Sed optimæ mentis] Cum optimum propositum nunquam non habuerim, nunc demum id palam præferendi maturum et commodum tempus apparuit. J. F. GRON.

Magna mihi ipse ad] Sic Faernus, Lamb. &c. Sed Victorius, aliique, *magna in spe ad*, &c.

Laborea] Alii, *laboris*, . . *opus fuit*.

Superiore anno] Antonio consule. MANUT.

Quam cum paucioribus] Malui, inquit, plures socios habere, indeque minorem laudem adipisci ejus victoriæ, quam cum paucis, ut majorem gloriam, si recte res cessisset, consequerer, partiri et dividere victoriam. Jacturam enim potius æquo animo laudis facere volui (defendendæ reip. socios quærens, cum pluribusque victoriam communicans) quam cum paucioribus periculose nimis et temerarie eam dividere. Etsi enim eam adeptus cum paucioribus, majorem gloriam acquirerem: nimis magno tamen reipublicæ damno id fecissem, funesta enim victoria fuisset. VICT.

Provinciam] Re, et nomine. COR.

Jam expeditis omnibus rebus] Profligato ad Mutinam Antonio. MAN.

Eos vero] Milites. IDEM.

PLANCUS CICERONI S. 9

ARG. Suum studium erga remp. præ se fert: dignitatem suam commendat: quid egerit et acturus sit, exponit: exercitum laudat. *Anno* U. C. 710.

Ita ab imminentibus malis] Est hoc

jurandi et affirmandi genus non inveniustum. Augustus in epist. ad Tiberium apud Sueton. *Jucundissime, et ita sim felix, vir fortissime, et dux πυρφόρατε.* Cicer. IV. Catilin. *Ita mihi salva republica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac causa vehementior sum, non atrocitate animi moveor.* Idem XVI. ad Att. ep. 15. de Octavio. *Jurat, ita sibi parentis honores consequi liceat.* GRÆV.

Concupisco autem nihil mihi, contra quod ipse pugno] Difficilis ad intelligendum locus: nec veteres libri consentiunt: nam plerique, *Contra quod:* unus, *Contra quam:* alius, *Contra quem.* Fortasse autem hoc dicitur: et nihil mihi mea causa concupisco; cum ad reip. salutem dignitatemque omnia referam; et contendo tamen atque elaboro, ut ea consequar, quæ minime concupisco. MAN. Quid si? *contraque me ipse pugno.* Vel *contraque ipse pugno.* Atque his verbis verecunde præmia postulat. BERN. RUTIL.

Temporis, et rei] Volo te judicare ac statuere, et quando, et quid petam: vel, et quo tempore, et quibus me honoribus afficere debeatis. Ep. 21. *Tu videris, quantum, et quando tuum munus apud me velis esse.* MANUTIUS.

Vienna] Alii, *Viennam:* quod non placet. Est autem Vienna Allobrogum, quam Strabo principem urbem vocat. IDEM.

Ab Lepido] De cujus in remp. animo nondum constabat. Ep. sequenti. IDEM.

10 CICERO PLANCO.

ARG. Laudat Planci præclaram voluntatem studiumque juvandi remp. ideoque præmia sperare ab senatu jubet, in qua re suam operam pollicetur, hortaturque ut pergat in tuenda rep. *Anno* U. C. 710.

Consulem] Nam aberat uterque consul, Hirtius et Pansa, ad Mutinam obsidione liberandam profecti. MANUT.

Denique] Ut paucis dicam, ex quibus reliqua colligi possint. GRÆVIUS.

Invitamentum] Hoc dicit, quia voluntatem quidem Plancus, transjecto Rhodano, ostenderat, nihil tamen adhuc re ipsa præstiterat: ut, si quid ei tribueretur, invitamentum potius, quam præmium, videri posset. MANUTIUS.

11 PLANCUS CICERONI.

ARG. Gratias agit beneficentiæ Ciceronis, et de suo in remp. studio pollicetur omnia. *Anno* U. C. 710.

Sententiæ] Dictæ in senatu. MAN.

Muneribus] Quæ mihi decernebas. IDEM.

Exitu rebusque] Hoc est, si ipsis factis me talem præstem, qualem tu me esse omnibus testatus es. Ovid. III. Metam. *Vana diu visa est vox auguris: exitus illam resque probat.* Cic. I. Tusc. *His et talibus auctoribus usi, confirmant causam rebus a diis immortalibus judicatam.* Hoc est, ipso facto dii declararunt. Ovid. II. Fast. *Nil opus est verbis: credite rebus, ait.* GRÆV.

Laterense] M. Juventio Laterensi, Lepidi legato. MAN.

Majore] Quia socium et participem ejusdem gloriæ Lepidum non habebo. IDEM.

12 CICERO PLANCO.

ARG. Gratas senatui Planci litteras fuisse, et quæ ejus causa in senatu acta sint, significat, et ad liberandam remp. diligentissime hortatur. *Anno* U. C. 710.

Etsi reip.] Hanc epistolam arbi-

tror illi, quæ est ad senatum populumque Rom. a Planco scripta, subjungi debere: tum huic eo loco sitæ eam quæ incipit, *Nihil me tibi:* post eam vero addi superiorem, cujus initium, *Immortales ago tibi gratias.* Nam eam quidem quæ incipit, *Etsi satis ex Furnio*, vel omnibus hisce quas modo nominavimus, atque adeo illi ipsi quæ sic inchoatur, *Plura tibi*, puto præponendam, ut sit numero septima. Hoc arbitror ad sententiam litterarum consequendam percipiendamque pertinere: in quo jam vel Tironis culpa esse potest. Quod si quis etiam eam quæ sequitur, præponat huic Planci, quam ultimam hactenus fecimus, cujus initium, *Immortales ago*, non inepte meo judicio fecerit: atque etiam eas quæ incipiunt, *O gratam famam:* nam ne interpres quidem absurde est ratiocinatus de conjungendis duabus istis Planci epistolis. BERN. RUTIL.

Adferat] In Mediceo *adfert* scriptum est: *affert* igitur legi debet: contaminata ab imperito vera lectio fuit, qui, dum credidit se emendare, corrupit. VICT.

Graviores] Manut. *gratiores.*

De domo] Mos fuit, ut principes viri, quoties prodibant, a clientibus deducerentur, reducerenturque; etiam ab amicis et familiaribus. CELL.

Munatius] T. Munatius, de quo in extrema epistola. Hic Planci cognatus potius, quam frater, fuit. Nam ille alter T. Munatius, quem Pedianus ait hujus L. Planci fratrem fuisse, in castris Antonii fuit: ut patet ep. 3. 4. 25. MAN.

More majorum] Ejus prima dignitas erat absentibus Coss. IDEM.

Oblata religio Cornuto est] Hoc est, religione, auspiciis impeditus fuit ne in senatu quicquam ageretur. *Religio* est metus deorum, qui inhibet facere quæ velis. Plaut. Mercator, V. 2. *Religionem illic objecit: recipiam me illuc.* Hoc est, ex observatione ominis δεισιδαιμονίαν incussit. Christiani dicerent *scrupulum conscientiæ injecit*, ne hoc vel illud faciat. GRÆV.

A nostro collegio] Augurum. COR.

CICERO PLANCO. 13

ARG. De S. C. pro dignitate Planci facto scribit, eumque hortatur ut Antonianum bellum conficiat. *Anno* U. C. 710.

Contexes extrema cum primis] Bellum a consulibus et Octavio magna jam ex parte profligatum, ipse penitus, oppresso Antonio, conficies. MAN.

Non Ajacem, nec Achillem] Utrumque Ulysse fortiorem. IDEM.

Ulyssem] Quia bello Trojano, astutia sua capto Ilio et incenso, finem fecit. IDEM.

Πτολίπορθον] Vastatorem urbis. Semper eum vocat Homerus πτολίπορθον, ut ait Strabo lib. I. IDEM.

CICERO PLANCO S. 14

ARG. Laudat Planci studium et celeritatem in auxiliis Bruto collegæ ferendis, hortaturque ut belli reliquias extinguat. *Anno* U. C. 710.

PLANCUS CICERONI. 15

ARG. Nuntiat quæ ad opprimendum Antonium et egerit, et acturus sit. *Anno* U. C. 710.

Flumine maximo] Plinius Isaram Rhodano comparat lib. III. cap. 4. MANUT.

Cohortibus] Tres manipuli, qui et centuriæ dicebantur, unus hastatorum, alter principum, tertius triariorum, cohortem faciebant. Erant autem in singulis manipulis milites CXX. exceptis manipulis triariorum, in quibus erant LX. tantum; ita fit numerus CCC. militum in cohorte.

Aliter Vegetius, mutata militia. Nos Polybium in manipulis, Ciceronem et Varronem in cohortibus: nam eas Polybius nunquam nominavit. Et cohors quidem, cum legio peditum sena millia habuit, id est, Ciceronis ætate, ex quadringenis militibus constabat: quod ex ep. 1. lib. I. ad Att. licet intelligere: cum vero quaterna tantum millia, et duceni in cohorte fuere, id est, belli secundi Punici tempore, et deinde aliquanto post, non plures quam tercenos viginti cohors habuit, ex tribus manipulis supra dictis. IDEM.

16 CICERO PLANCO.

ARG. Gratissimas senatui fuisse Planci litteras, factumque S. C. significat, et ut in subitis senatus consilium ne expectet, sed ipse a sese consilium capiat, auctor est. *An.* U. C. 710.

Institit Cornutum] Hoc est, cœpit flagitare. Liv. lib. XXIV. *Pro se precibus, puellis saltem ut parcerent, orare institit.* Terent. Hecyr. III. 3. *Hanc habere orationem mecum principio institit.* GRÆV.

17 PLANCUS CICERONI.

ARG. Præsentem belli statum describit, cum excusatione fratris a se dimissi, et commendatione suæ dignitatis. *Anno* U. C. 710.

Ventidius] P. Ventidius Picens, humili loco natus, qui hoc anno, prætor cum esset, consul factus est in locum demortui Q. Pedii, suffecti in locum Hirtii ad Mutinam interfecti. Hic a Pompeii Magni patre, ut ait Valerius lib. VI. in triumphum ductus, postea victum sordide quæsivit, mulis et vehiculis magistratibus, qui sortiti provincias essent, comparandis. Extulit eum deinde sic aut fortuna, aut ejus industria, non modo ut præturam, et eodem anno consulatum gesserit, verum etiam de Parthis primus triumphaverit, et mortuus publico funere, quod paucissimis contigit, quasi gratiam ejus virtuti populo referente, sit elatus. Suetonius, Gellius, Plutarchus, et alii. MANUT.

Abest ab eo] Conjunxit se cum Antonio. Ep. 33. 34. et 10. lib. XI. IDEM.

Consulum] Hirtii, et Pansæ. Epistola 33. IDEM.

Fide] Pro *fidei*. Ut *die* pro *diei*, Georg. I. 208. Vide Gellium, IX. 14.

De tribus fratribus] Probavit, inquit, mihi, in Appella ad me mittendo, studium suum Gellius; in trium autem fratrum negotio, (hoc quale fuerit, ignoratur) Sex. Gaviano. MANUTIUS.

Sex. Gaviano] Mss. *Segaviano*] Vetus editio, *Segavianis:* unde H. Valesius, *Segalaunis.* Notit. Gall. p. 581.

18 PLANCUS CICERONI.

ARG. Narrat quibus causis ad Lepidum proficiscatur. *Anno* U. C. 710.

Cum Lævus] Quidam legunt *Lernus*, vel *Lerinus;* nos vetustam scripturam reposuimus *Lævus:* eundemque credimus esse hunc et illum de quo sic non multo post, *Lævo Cispiò dabo perferenda.* VICT.

Legatorum] Lævi Cispii et Nervæ. CORRAD.

Etsi cautius] Lambinum hic sequimur, jubente Grævio, Tomo ejus II. p. 411. Præiverat H. Stephanus, *Comment. de variis generibus ep. Cic.* p. 225.

Non suis contractis] Nulla sua culpa, ex iis quæ ipse non contraxit. Ex sic ad Q. Fr. lib. I. ep. 1. GRÆV.

Si exercitus Lepidi absit] Nulla enim tunc infidelitas mihi timorem faciat. CORRAD.

Magnam affert sollicitudinem] In-

gentem mihi subjicit curam, ne scilicet Antonius recipiatur ab exercitu Lepidi, quod evenit. J. F. GRON.

Mulionis] Quia victum comparandis mulis, farreque in castra convehendo, adolescens sibi comparaverat. Vide Plinium lib. VII. cap. 43. MANUTIUS.

Nisi uno loco me tenerem] Nisi consisterem uno eodemque in loco, in quo exercitum Lepidus haberet. Vel pro, *Nisi*, legendum *Si*: ut hoc dicat: Si manerem in eodem loco, nec ad Lepidum prope accederem. MANUT. Idem tamen in suis posterioribus editionibus habet: *Nisi uno loco metaremur*. Quod J. F. GRONOVIO placet. Sed vide infra, ep. 23.

CICERO PLANCO. 19

ARG. Gratiarum actionem sibi gratam fuisse, et litteris ejus senatum delectatum, significat, et ut reliquias belli conficiat, hortatur. *A.* U. C. 710.

CICERO PLANCO. 20

ARG. Petit, ut de Lepidi fide significet, utrum remp. sequatur, an Antonium: hortaturque, ut reliquias belli opprimat. *Anno* U. C. 710.

Propter inanem lætitiam litterarum superiorum] Inanis Planci lætitia fuit, quam significavit ep. 15. cum dixit: *Sedulitas mea reip. tulit fructum.* Quod tamen re ipsa comprobatum postea non est, Lepido neutram in partem inclinante. Propterea non audes, aut Cicero, id credere de Lepido, quod quia credidisti antea, errasse te sentis. MAN.

Errare] Quia turpius est decipi, quam errare; cum erremus, ut humani; decipiamur, ut incauti; propterea Plancum excusat, et quasi consolatur; quod erraverit quidem, quia crediderit se esse bono Lepido usurum; deceptus tamen non sit, quia prudentia valeret. Præterea verbum *Voluisti*, Plancum liberat ab imprudentiæ culpa. Ipse, inquit, errare voluisti, cum ea sperasti de Lepido, quæ vera esse cupiebas: non te quisquam in errorem induxit: decipi enim non potes. Quod si cui, *Errare id*, pro Errare in eo, videatur durius: non esse dissimile sciat, *Peccare multa;* pro in multis: et hujus generis alia. IDEM. Alii, *ut errare, mi Plance*, &c.

Bis ad eundem] Proverbium, quo reprehendi solet is, qui bis ad eundem lapidem offendit. Senarius Græcus de altera ad eundem lapidem offensione a Zenodoto inter adagia refertur, Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν ἐσκρούσειν λίθον. Simile illud Publii mimi apud Gellium et Macrobium: *Improbe Neptunum accusat, qui iterum naufragium facit.* Et illud Horatii in epistola ad Pisones: *Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.* MANUTIUS.

Ita se res habet] A Lepido non recipi Antonium. CORRAD.

PLANCUS CICERONI. 21

ARG. Perfidiam Lepidi, conjunctionemque cum Antonio nuntiat: subsidium copiarum mitti postulat: suam dignitatem commendat. *Anno* U. C. 710.

Jejuni hominis] Non est laudem appetentis, sed maligni, qui quicquid in alium laudis et gloriæ confertur, sibi decedere existimat. Sic supra lib. II. ep. 17. *Illud vero pusilli animi et ipsa malevolentia jejuni atque inanis; quod Ariobarzanem, quia senatus per me regem appellavit, mihique commendavit, iste in litteris non regem, sed regis Ariobarzanis filium appellat.* Sic alibi dicit *animum nimis angustum et jejunum.*

Suam fidem solutam esse] Se jam

promissis non teneri. Obstrinxerat enim suam fidem Laterensis, promiseratque omnia de Lepido: mox, ubi recipi Antonium a Lepido vidit, scripsit Planco, se destitutum a Lepido, nec jam ea, quæ antea, polliceri. Contrario sensu Terentius in Andr. dixit: *Solvisti fidem*: pro, fregisti. MAN.

Canidios, Rufrenosque] Legatos, vel tribunos militum, aut præfectus, et centuriones. MAN.

Singularibus] Hittorpianus non agnoscit, et vereor ne ex *consulibus* sit corruptum. Nec enim video quem hic locum commode possit habere, et cur milites illos consules appellarint singulares. Lambinus mallet *singularibus viris*. Sed præstat *singularibus* recidere. GRÆV.

Omnibus] Antonium secutis. MAN.

Defuturum] Vide Gell. I. cap. 7. et Sanctii Minerv. lib. III. cap. 11. GRÆVIUS.

Parique felicitate] Ut ad Mutinam.

22 CICERO PLANCO.

ARG. Respondet Planco, qui agris dividendis præfici cupiebat. *Anno* U. C. 710.

Uti ea] Vel deest, vel certe subauditur, S. C. ut infra patet. MANUTIUS.

23 PLANCUS CICERONI.

ARG. Excusat se, quod Lepido credidierit: accepto de conjunctione Lepidi et Antonii nuntio, suas copias retraxisse significat: auxilium postulat. *Anno* U. C. 710.

Si uno loco essem] Manut. et Lamb. *nisi uno loco essemus*.

Mea patientia] *Mea pertinacia*, aliis magis placet. CORRAD.

Consedi] Hoc est, castra metatus sum.

In quo mora transitus esset] Quod transitum retardaret. QUARTERIUS.

Vocontii] Plin. lib. III. cap. 4.

Sub manu] Propinqui. Græcum loquendi genus. MANUT.

Victurus] Non vixit: ut Velleius lib. II. Dio lib. XLVI. scriptum reliquere. IDEM.

Elapsus sum his] Dictio *his*, cum oleret mendum, scripsi ad amicissimum meum, ut is mihi, de ea quid sentiret, exponeret. Rescripsit, corruptam se jam pridem judicasse: nuper autem rarissimæ virtutis, et summæ nobilitatis hominem, Benedictum Accoltum, Ravennæ Cardinalem, quem ego honoris amplitudinisque causa nomino, cum has Ciceronis epistolas succisivis temporibus legendo percurreret, eam emendasse, nempe sic, *Elapsus sum bis*: ut se dicat Planous periculum bis effugisse, semel, cum ad Lepidum non accessit, neque se unquam cum eo voluit conjungere: quod si fecisset, ipse cum universo exercitu in Antonii potestatem Lepido prodente devenisset: iterum, cum audito Lepidi Antoniique adventu, celeriter se recepit. MANUT.

Colloquia facta] A Lepido cum Antonio, vel cum iis, quos ad eum Antonius miserat. IDEM.

Fide Lepidi] Promiserat Lepidus, Antonii legatos, ab eo ad Plancum missos, incolumes esse reversuros. Ii qui fuerint, non constat. Nam C. Catium, infra statim nominatum, non ad Plancum, sed ad Lepidum esse missum suspicor: et hic exceptus est, illi in conspectum venire vetiti. IDEM.

Cæsar] C. Octavius Cæsar. CORR.

Cujus ipsius magnum periculum agitur] Erat enim et Antonius inimicus. Ep 23. lib. XII. MAN.

Cularone] *Cularo* nominatur in Tabula Itineraria Peutingeri, et in Notitia Imperii, quæ Tribunum cohortis primæ Flaviæ *Cularone* in Sabaudia stationem habuisse docet. Unde

muri Culiaronenses hodieque leguntur in antiqua inscriptione portæ civitatis. Postea ab Imperatore Gratiano dicta *Gratianopolis*. In epistola L. Planci ad Ciceronem, quæ est 23. lib. X. ad Fam. legendum jam olim censuimus in ultimis verbis, *Cularone* in finibus Allobrogum, non *Cimarone* ut vulgo edi solet. *Fines Allobrogum* facit Gratianopolim, quia ad Isaram posita est, qui Allobroges claudit, separatque a Vocontiis. SIRMONDUS, *In Sidon. Apollin.* III. 14.

PLANCUS IMP. COS. DESIGN. CICERONI S. D. 24

ARG. Se memorem beneficiorum pollicetur: suas copias narrat: subsidium Cæsariani aut Africani exercitus poscit: Octavianum, ut parum reipub. amantem, carpit. *An.* U. C. 710.

Indulgentia] Id est, obsequio. CELL. Mallem, *diligentia*. LAMB.

De militum commodis] *Commoda* proprie dicuntur in re militari dona et præmia, quæ militibus præter stipendium tribuuntur. GRÆV.

Novissime] Tiro scripsit in Pandectis, non recte dici *Novissime*: adjicitque, quod sua cœperit ætate id adverbium, ubi Flavius Caper de Latinitate, *Miror*, inquit, *id dixisse Tironem: cum Valerius Aetias libro secundo, Mater, cum* novissime *ægrotasset, inquit, vovisse fertur*. Idem 22. *Quod* novissime *nobiscum fœdus fecissent*. Hæc Carisius. MAN.

Integra sustinuimus] Non, nihil damni passi sumus, sed, rempub. in discrimen non adduximus, prælium vitavimus. Confirmant hanc sententiam ea, quæ sequuntur. Ep. 21. alio sensu dixit, *Omnia, ut integra servem*. IDEM.

Impetu] Pro, impetui: ut Virgilius Georg. IV. *Concubitu indulgent*. IDEM.

Finitate exiguus] Tirones enim multis partibus plures, quam veterani. MAN.

Africanus exercitus] Cui T. Sextus et Q. Corpificius præerant. CORRAD.

In discrimen] In discrimen Martis, sive prælium rem deducerem, nec dubitarem pugnare. CELLAR.

Propius] Propior erat Cæsaris Octaviani exercitus, quam Africanus. IDEM.

Ad alia consilia] Triumphi et Consulatus petitionem. CORRAD.

Vestro judicio] Testimonio adoptionis publicæ a Prætoribus ex more descripto, et illo *Cæsaris* nomine, et tot honoribus ornato. IDEM.

Adversissimam] Propter Asinium Pollionem, qui ibi habet exercitum. IDEM.

Bimestris] Aut, *Quinquemestris*, legendum; cum quinque menses, non duo, superessent ad exitum anni, ut dies huic epistolæ adscripta declarat: aut *Bimestris*, dixit, pro, Exigui temporis. MAN.

Ut exigeret cum eo] Frustra Lambinus *ut ageret cum eo*. Atqui hoc ipsum est *exigeret cum eo*. Senec. ep. 28. *Sic itaque me audi, tanquam mecum loquar; in secretum te meum admitto, et te adhibito mecum exigo*. Plin. lib. V. ep. 12. *Ex illis enim vel præcipue sentio, quantopere me diligas, cum sic exegeris mecum, ut solitus cum tuo filio*. Liv. XXII. cap. 49. *Hæc exigentes prius turba fugientium civium, deinde hostes oppressere*. J. F. GRONOV.

Expeditissimam] A verbo *Expedit*. MANUT.

CICERO FURNIO S. D. 25

ARG. Modeste reprehendit in Furnio præproperam adipiscendæ præturæ festinationem. *Anno* U. C. 710.

Furnio] Planci legato. Ad petendam præturam contendere cupiebat, cum nondum ipsius annus esset. MANUT.

Scientiaque omnium] *Sententiaque omnium*, placeret. IDEM.

Comitia] Prætorum. Nam consulum sequentis anni necessaria non erant: cum Plancus et Brutus jam antea designati essent a Cæsare Parthicum bellum cogitante. IDEM.

Consecuti sumus] Quam consecutus es. Conjunxit utriusque laudem, ut ostendat amorem suum: amicorum enim omnia communia. MAN.

Darent operam] Foris. *Non obierunt.* Non venerunt ad petendum. IDEM.

Nihil] Si manebis in provincia, et ad Comitia prætoria non venies. ID.

26 M. CICERO FURNIO S. D.

ARG. Scripserat Furnius, se ad comitia prætoria venturum. Dissuadet Cicero, comitiaque dilata significat. *Anno* U. C. 710.

Illud magis timui] Ut omitteretis Narbonenses, quod non fecisse vos lætor. J. F. GRONOV. Corradus et Quarterius de dimicatione interpretantur.

Cognovimus] Tua videlicet opera excitatum: id enim Furnius modeste significaverat. MAN.

In Sextilem] Indicta sint. *Cito te:* Venturum Romam. MANUTIUS.

Tam facile discas] *Docere causam* dicitur, qui pro se acturum patronum instruit: *discere*, qui defensurus est. Cicer. II. de Orat. *Nihil est negotii hujusmodi causam cognoscere. Recte igitur de causa discenda nihil præcipitur.* Et rursum, *Nisi forte existimatis a Manio Curio causam didicisse L. Crassum.* J. F. GRONOV.

Officio] Honestati, quam non nisi emendatissimi propositam habent. IDEM.

27 CICERO LEPIDO S.

ARG. Lepidum leviter objurgat, quod summis honoribus ornatus ab senatu, gratias non egerit: et ne pacem cum Antonio conciliare nitatur, admonet. *Anno* U. C. 710.

Ornatus summis honoribus] Supplicatione ei decreta, ut Phil. III. legimus, post etiam triumpho, ut Phil. XIII. et statua equestri inaurata: de qua, Phil. V. MAN.

In possessionem] Unde prælio Mutinensi dejectus erat Antonius. ID.

28 CICERO TREBONIO S.

ARG. Dolet se non fuisse participem conjurationis in Cæsarem, ut Antonium una oppressissent, qui nunc tantas turbas cieat: deinde suum libertatis recuperandæ studium declarat. *Anno* U. C. 710.

Trebonio] Viro consulari, Asiam regenti, post obitum Cæsaris. Ep. 16. lib. XII. et Plutarchus in Bruto. Unus fuit ex iis, qui de Cæsare necando conjuraverant. Occidit eum postea Dolabella. Ep. 12. lib. XII. Dio lib. XLVII. MAN.

Ad illas pulcherrimas epulas] Ad facinus illud egregium, cum Cæsarem idibus Mart. occidistis. IDEM.

Reliquiarum nihil haberemus] Non modo Cæsar, sed Antonius quoque interfectus esset. Simile principium ep. 4. lib. VI. *Vellem idibus Mart. me ad cœnam invitasses: reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent.* IDEM.

Seductus est] Philipp. XIII. *O Spartace, sceleratum Trebonium ausus es scribere? quo scelere, nisi quod te idibus Mart. a debita tibi peste seduxit?* Idem ex Dionis lib. XLIV. cognovimus. IDEM.

Fœdissimum discessum] Ex urbe in Galliam Cisalpinam. CORRADUS. Vide Philip. III. cap. 9. extremo.

Deque alia re] De præsidio Coss. designatorum. Ep. 6. lib. XI. CORR.

In Servio] Sulpicio. Vide Philip. IX.

Avunculus] M. Antonii. IDEM.

Puer egregius Cæsar] Modo adolescentem, modo puerum, quo magis laudet, Cæsarem appellat. Annum enim agebat XIX. ut Velleius Tacitusque litteris mandarunt. Ep. 7. lib. I. *Ne adolescentem vel puerum potius Cæsarem judices temere fecisse.* Et Ep. 25. lib. XII. *Puer egregius præsidium sibi primum et nobis, deinde summæ reip. comparavit.* Et epist. ad M. Brutum: *Cæsaris pueri mirifica indoles virtutis.* Et Phil. III. *C. Cæsar, adolescens, pene potius puer,* &c. Item Phil. IV. et alibi. MAN. Indignissime tulit Octavius, se *puerum* appellari, et inter præcipuos prætextus bellorum civilium hic fuit, teste Dione lib. XLVI. Hinc senatus decrevit, ne Octavius vocaretur *puer*, ut notavit Servius ad Virgil. Eclog. I. v. 44. Vide Casaub. ad Sueton. August. cap. 12. et Cic. Philip. XIII. cap. 11. Novendecim annorum erat Octavius, cum hoc bellum susciperat contra Antonium. GRÆV.

Veteranos] Cic. Philip. V. cap. 8. et 16. Sueton. Aug. cap. 10. Hæc legio *Evocatorum* fuit appellata, quod missi facti a militia rursus ad eam convocarentur. Dion. lib. XLV. ID.

Legionesque duæ] Martia et quarta. CORRAD. Vide Vell. Paterc. II. 61. Cic. Philip. V. 11. et XI. 8.

Contulissent] Relicto M. Antonio, Brundusium reverente. CORRAD.

CICERO AMPIO BALBO. 29

ARG. De studio suo erga Appium exulantem scribit, eumque bonam spem habere jubet. *Anno* U. C. 710.

Ampio Balbo] Sic Manutius, et Sigonius. Alii, *Appio Sal.* Quis tamen Appius ille fuerit, nesciunt interpretes.

GALBA CICERONI S. 30

ARG. Galba prælium exponit ad Mutinam factum, victoriamque de Antonio relatam. *Anno* U. C. 710.

Galba] Periti rerum Romanarum, Sulpiciæ gentis cognomen esse Galbam, non ignorant. Si quis testimonium quærit, Suetonium legat, qui nepotem huic fuisse ait Ser. Galbæ illius, temporum suorum eloquentissimi, proavum autem Galbæ imperatoris: quem utrumque Sulpicium fuisse, tum Suetonius ipse, tum alii testantur. Addit idem: Galbum hunc, ob repulsam consulatus, infensum Julio Cæsari, cujus legatus in Gallia fuerat, conspirasse in eum cum Cassio et Bruto. Quod Appianus lib. II. et Antonii confirmat epistola, ad Hirtium Octavianumque Cæsarem missa: cujus habes verba Phil. XIII. *cap.* 16. MANUT.

Cohortes prætorias] Erant grandes et edecumatæ, quæ circa Imperatorem erant, institutæ primo a P. Scipione. Vide Festum *Prætoria cohors.* Olim autem tantum unam habebat Imperator, sed per bella civilia auctæ sunt hæ cohortes, et unus plures habebat. Vide J. Lips. lib. II. de Milit. Rom. dial. 4. GRÆV.

Evocatorum] Sunt veterani, qui expletis stipendiis sponte in gratiam Consulum aut ducum militiam sumebant, et precibus, litteris, ac nunciis evocabantur, non in delectu scribebantur, ideo dicti sunt *evocati.* Vide Lips. I. de Milit. Rom. Dial VIII. IDEM. Vide paulo superius, pag. 350. col. 2. not. 10. ubi de veteranis.

Forum Gallorum] Id ipsum castellum, quod nunc vocatur *Castel Franco*, esse *Forum Gallorum*, vicum olim, quem celebrem reddiderint bella civilia, ostendit Cluverius lib. I. cap. 28. GRÆV.

Legionem ire] Martiam. CORRADUS.

Scuto rejecto] In humerum, ut ita pectore non munito intelligerent tirones me amicum et suarum partium

esse, et ab illis nihil mali metuere. J. F. Gronov.

Aquilæ] Legionum insignia, aquilæ: signa, manipulorum et centuriarum. Cellar. Vide Plinium. lib. III. cap. 3.

XII. Kal. Maii] Malim, XVI. *Kal.* ut postridie, quam gesta res est, scripserit Galba: quod verisimile videtur. Nam, si XII. Kal. id est quatriduo post prælium scripsisset: omnino aliquid de Pansæ vulneribus, ipsoque Bononiam delato, cognovisset, et Ciceroni significasset. Nam Hirtius postea, cum Antonii castra oppugnaret, occisus est. Man.

81 C. ASINIUS POLLIO CICERONI S. D.

Arg. Excusationem affert, quod studium erga remp. suum nondum declaraverit: seque libertatis recuperandæ percupidum ostendit. *Anno* U. C. 710.

C. Asinius Pollio] Cæsar, Parthicum bellum cogitans, et magistratus per triennium creavit, et provinciis rectores dedit, et aliis quidem alios, Hispaniis vero duabus duos, Lepidum citeriori, Asinium ulteriori. Asinius, vivo adhuc Cæsare, in provinciam ivit. Lepidus ad urbem mansit. Post Cæsaris necem, ubi Antonium, Lepidum, Octavianum conjunctos vidit, ad eorum partes cum duabus legionibus se contulit, primum fortunam secutus, deinde amicitia quoque permotus Antonii. Triumphasse eum de Parthinis, ex fastis Capitolinis intelligitur. Valuit eloquentia, orationesque scripsit multas: de quibus non semel Quintilianus. Ait idem, dictum esse omnium horarum hominem, quod seriis jocisque pariter accommodatus esset, *lib.* VI. In Livio deprehendisse Patavinitatem quandam, *lib.* I. et VIII. Tristem et jejunum in dicendo habitum esse, *lib.* X. Insectatum esse pluribus locis, etiam inimice, vitia orationis Tullianæ, idemque filium ejus fecisse, *lib.* XII. Vide et Senecam, ep. 16. lib. I. Suasoriarum. Primus bibliothecam de manubiis Romæ publicavit, et in ea M. Varronis imaginem viventis posuit. Plinius VII. 30. et XXXV. 2. Man.

Castulonensis] *Castulo* fuit Oretanorum urbs maxima, Bæticæ finis versus Orientem, sita ad Bætis ripas, hodie *Castona*, de qua vide Ludovici Nonii Hispan. antiq. cap. 64. et Sam. Bocharti, Geograph. sacræ partem II. lib. I. cap. 34. Græv.

Sermonibus] Antonii, aut Lepidi.

Quia utrobique] Non videtur hæc ratio esse commoda, sed potius contrarium suadere, sive præcedentia, sive subsequentia rejicias. Nam si utrobique erant inimici, consultius utrimque abesse. Lego, *qui*. Ut tantummodo exponat æstum, in quo fuerit. J. F. Gronov.

Eo] Ad Cæsaris exercitum.

Consules] Antonius, et Dolabella. Non enim Hirtius et Pansa significari possunt, qui tantum ante duos menses consulatum inierant, nec multo post ad eum Pansa litteras misit. Loquitur autem Asinius de toto tempore post idus Martias, id est post Cæsaris necem. Manut.

Invito illo] Præerat enim Lepidus Hispaniæ citeriori, et (ut scripsit Dio) Narbonensi Galliæ: quod etiam confirmatur ep. 33. Idem.

Contentiones] Hic erit sensus: Quam vehementer Lepidus et Antonius litteris a me contenderint. Quod sequentis epistolæ testimonio comprobatur. Sin autem, quod est in omnibus meis antiquis libris, *Conciones*, placet: vehementes litteras, quales conciones ad populum, vel ad milites sunt, interpretemur: quod tamen paulo durius videtur: nisi sit ferendum in Asinio: cujus orationem duram fuisse Tacitus auctor est. Idem.

Quæres, quanti æstimem?] Ita distinguendum. Mirabere forsan et rogabis: quanti æstimem illud ambulare et jocari cum Cicerone? J. F. Gronov.

C. ASINIUS POLLIO CICERONI. 32.

ARG. Balbi quæstoris sui flagitia expouit: deinde de suo in remp. studio addit. *Anno* U. C. 710.

Balbus] Gaditanus, filius fratris L. Cornelii Balbi, pro quo extat Ciceronis oratio. MAN.

Ad Calpen] Est mons præaltus Hispano littori freti Gaditani adjacens, cui opponitur in Africa *Abyla*, qui crediti sunt esse Herculis Columnæ. Vid. Pomp. Mel. II. 6. et Bocharti Geograph. sacræ Tom. 2, lib. I. cap. 34. GRÆV.

Bogudis] Regis Mauritaniæ Tingitanæ, quæ *Bogudiana* olim est dicta, quamdiu in ea rerum potiebatur Bogud. Illo autem pulso a Boccho, Tingitanæ Provinciæ nomen accepit. Extenditur a fluvio Mulucha, qui perperam Chylemath dicitur, usque ad Oceanum. Vid. Isaac. Voss. ad Pomp. Mel. I. 5. IDEM.

Quæ C. Cæsar] Fecit Balbus Gadibus, in qua urbe natus erat, eadem, quæ C. Cæsar Romæ fecerat. MAN. Cæsar Laberium, cum mimum suum egisset, annulo aureo donavit et quingentis sestertiis. Vide Sueton. Jul. cap. 39. IDEM.

In XIV.] Hoc est, in equestria subsellia theatri; hoc est, equestri dignitate donavit. Ordines quatuordecim subselliorum in theatro assignati erant equestri ordini, quæ et *equestria* dicebantur. IDEM.

Quartuorviratum] Qui summus in municipiis magistratus erat, ut Romæ consulatus. Erat autem municipium Gades. MAN.

Prorogavit] Cæsaris exemplo, qui sibi dictaturam prorogaverat. IDEM.

Biennii] Iturus contra Parthos Cæsar, magistratus in tres annos creavit. IDEM.

Senatus] Decuriones Gaditani. Is enim erat senatus in municipiis. ID.

Prætextam] Fabulæ genus, in qua, Romano argumento, prætextati viri, id est, magistratus, inducebantur. ID.

De quo itinere ad L. Lentulum sollicitandum] L. Cornelius Lentulus consul primo belli civilis anno Pompeium ex urbe fugientem secutus est, et cum eo post in Græciam transiit. Ad eum Balbus minor, ante quam ex Italia discederet, cum litteris, cum mandatis, cum promissione provinciæ, si Romam revertisset, a Cæsare missus est. Ep. 9. et 11. ad Atticum lib. VIII. et ad eundem ep. 6. lib. IX. IDEM.

Posuit] Hac de re tota fabulam edidit, sive jussit ut ageretur. CORR.

Depressus in ludum] Per vim et fraudem arenæ addictus, gladiator fieri coactus. Vide notas meas ad Sen. III. de Ira 8. GRON.

Auctore sese] Id est, auctorante sese (et forte ita scripserat Asinius) vel auctoramentum promittente. IDEM. Pro *auctore*, H. Stephanus edidit *auctorari*.

Defodit in ludo] Cujusmodi exemplum a Carthaginensibus editum, Cato senior prodidit. *Homines*, inquit, *defoderunt in terram dimidiatos, ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt*. Gellius. IDEM.

Nudis pedibus] Contra morem Romanum. Calceis enim in publico, domi soleis utebantur. IDEM.

Circulatorem quendam auctionum] Solitum circumeundo, et ab una ad aliam se convertendo, nescio quam operam auctionibus dare. J. F. GRON.

Hispali] In Hispania ulteriore, Bætica dicta, cui præerat Asinius, juridici conventus quatuor fuere, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, Hispalensis. Plinius lib. III. c. 1. MAN.

Singulæ quædam cohortes] Non tota simul legio, sed cohortes quædam, sejunctæ ab aliis cohortibus. IDEM.

Si quod jussistis, sed] Conjicio: *Quodcunque imperassetis facturum fuisse, sicut, quod non jussistis, feci*, nempe eo animo erga rempublicam. J. F. GRONOV.

33 POLLIO CICERONI S. P.

ARG. Deplorat acceptam prælio Mutinensi reip. calamitatem; seque communi incendio occurrere paratum ostendit. *Anno* U. C. 710.

Palparer] In prima Pollionis epistola; *Unas enim post Idus Martias demum a Pansa litteras accepi, in quibus hortatur me ut senatui scribam*, &c. Purgat se quod non Pansæ litteris paruerit, senatuique scripserit: consilium enim ejus non sapiens esse vult, reipublicæque inutile, et maxime contrarium rationibus ejus, qui se quæ polliceretur senatui, posse præstare, et ad exitum perducere vellet. Cum enim respublica suo exercitu in Italia indigeret, Lepidusque cum Antonio consentiret, si ipse Pollio tam aperte senatui scripsisset se in ejus fore potestate, auctoritatemque ejus velle defendere, non potuisset suas copias in Italiam per Lepidi provinciam trajicere: nec enim commeatus suppeditasset Lepidus ei, qui contrariis partibus palam auxilio veniret. Cum igitur quod Pansa suadebat, contrarium esse velit, docet se recte texisse consilium suum, bonaque mente semper Lepido ostendisse, se Antonii salutis, rationem habiturum, ut rempublicam juvare posset, et ut Lepidum falleret. VICT.

In contrariam partem] Dicerent, me in Italiam venisse, non ut Reip. sed ut Antonio opem ferrem. MANUTIUS.

Non major tamen, quam Planco] Mecum, inquit, agatur iniquissime, si propter amicitiam, quæ mihi cum Antonio fuit, durius quidquam hominines de me suspicentur: cum enndem Antonium haud minus, quam ego, dilexerit Plancus: cui tamen vos confidere cognovi, accersito simul cum Lepido in Italiam, ut Antonium bello persequerentur. Dolet, melius erga remp. animatum inimicum suum existimari. Inimicitias, aut certe simultatem, ut credam jam tunc fuisse inter Asinium et Plancum, adducor iis, quæ scripsit Plinius in præfatione librorum suorum ad Vespasianum. IDEM.

Ex Gallia Lepidi] Est ea Gallia, quam tum Lepidus tenebat. GRÆV.

L. Fabatum] *Fabatus* Rosciæ gentis cognomen Lanuvio municipio oriundæ. L. autem hic FABATUS descriptus est in argenteo quodam denario. URSINUS.

D. Carfulenum] Qui cohortem prætoriam Cæsaris Octavii, et Martiam legionem ad Pansam venientem deduxerat. CORRAD.

Quartam] Cum de cæsis Antonii legionibus mentio fiat; Quarta vero non Antonii, sed Hirtii fuerit, qui, ut in Phil. XIV. legitur, eduxit e suis castris contra Antonium et Quartam, et Septimam; et hic statim Hirtii Quarta nominetur, suspicari de mendo facile possum: et fortasse pro *Quarta* legendum, *Secunda*, non magna mutatione: nam IV. et II. non admodum differunt. Secundam autem cum Antonio fuisse, patet Galbæ ep. 30. et Phil. V. MAN.

Pontium Aliquam] Unum ex percussoribus Cæsaris, legatum hoc tempore D. Bruti: qui T. Munatium Plancum, Antonii ducem, paulo ante prælio vicerat: ut est in Phil. XIII. et apud Dionem lib. XLVI. Periit in eadem pugna cum Hirtio. Vide ad Brut ep. 15. IDEM.

Equitum] Numerus equitum desideratur in omnibus antiquis libris, præter unum minime recentem, in quo est, *Equitum* V. id est, quinque millia. Nam veteres numerorum notæ, ducta supra linea, millia significant. Eam vero lineam sæpe a librariis omissam esse, ignorat nemo. MAN.

Tres] Falsum. Vide epist. 34. et lib. XI. epist. 10. *Sub signis autem*, pro non passim, sed ordinatim. ID.

Septima] Fortasse aliter legendum: nam septima cum Hirtio fuit. Phil. 14. IDEM.

M. LEPIDUS IMP. ITER. PONT. MAX. M. T. C. S. P. D 34

ARG. Narrat, Antonio advenienre, quid egerit, et agit gratias Ciceroni, quod iniquis de se rumoribus non crediderit. *Anno* U. C. 710.

Iter.] Pro *iterum* scriptum esse credimus: conjungitur autem cum priore dictione *Imperator*. Nam quoties felici aliquo prælio facto Imperatores ab exercitu appellati essent, toties in memoriis titulisque notabant. Quod ex numismatibus, et lapidibus antiquis tam clarum et testatum est, ut non necesse sit id magis confirmare: nam ad sequentem dignitatem nullo modo pertinet. Non enim acceptum semel id sacerdotium aliquis nisi morte amittebat. VICT.

Ab confluente Rhodano] Ubi Lugdunum.

Argenteum] Argenteum amnem Plinius nominat in Gallia Narbonensi.

Habebat antea] M. Antonius. MANUTIUS.

Inermorum] Pro, *inermium*, antique. Ep. 12. lib. II. et ep. 14. ad M. Brutum. Sallustius in Jug. *Ab inermis pedibus auxilium petere.* Quadrigarius apud Gellium lib. XVII. cap. 2. IDEM.

Amplius equitum] Numerus ex vetustis omnibus libris excidit.

Contra nostram voluntatem] Immo ex ipsius voluntate: occulte enim favebat Antonio. Vide Dionem lib. XLVI. MAN.

Proinde diligenter] Æque diligenter. Nam *Proinde* interdum valet *perinde*. IDEM.

Et illa superiora] Cum ei statuam equestrem inauratam in Rostris ponendam censuit. Vide Phil. V. IDEM.

LEPIDUS IMP. ITER. PONT. MAX. SENAT. POP. PL. Q. R. S. D. 7

ARG. Recepti Antonii causam in suos milites confert, dissensionem civium inique ferentes. *Anno* U. C. 710.

Consuetudinem suam in conservandis civibus] Egregia tantæ proditionis excusatio. Sed alludit, quod refert Suetonius, Julium acie Pharsalica victorem, proclamasse, ut civibus parceretur, et cuique suorum, quem vellet, unum partis adversæ servare concessisse, cap. 75. J. F. GRON.

Coegit] Hoc et Dio, et Velleius, et alii prodiderunt. Vide ad hanc sententiam Planci verba, ep. 21. Hostis tamen Lepidus est judicatus. MAN.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER XI.

D. BRUTUS M. BRUTO, ET C. CASSIO S. 1

ARG. Decimus Brutus Albinus habitum cum Hirtio, designato consule, sermonem exponit: postulatam a se legationem liberam significat: suum consilium ostendit, vel migrandum ex Italia esse, vel postulandum publicum in urbe præsidium. *Anno* U. C. 709.

Provinciam] Galliam citeriorem, a Cæsare ipso, dum viveret, D. Bruto assignatam; mox, Cæsare mortuo, a senatu confirmatam, Suetonius in Au-

gusto, Appianus, Dio, alii. MANUTIUS.

Legationem liberam] Legationes liberæ privatarum rerum causa senatoribus dabantur: tum quod iis, non permittente senatu, abesse non licebat: tum etiam, ut essent honoratiores apud exteras nationes, addito legationis nomine. Ep. 18. ad Att. lib. II. et ep. 11. lib. XV. ad eundem et in orationibus in Rullum: pro Flacco. IDEM.

Aut aqua et igni interdicamur] Hæc est Gruteri lectio: sed Vict. Man. et Lamb. *aut aqua et igni nobis interdicatur*.

Præter Sex. Pompeium] Magni F. in Iberia. *Bassum Cæcilium* in Syria. CORRAD.

De Cæsare] De Cæsaris morte. IDEM.

Invidiam] Odium. Indignarentur, inquit, boni cives, vindices libertatis egere præsidio. MAN.

2 BRUTUS ET CASSIUS PRÆTT. M. ANTONIO COS.

ARG. Petunt ab Antonio, utrum putet ipsos in urbe, magna veteranorum militum frequentia, tutos fore. *Anno* U. C. 709.

In tua potestate] Percussores Cæsaris, data Antonio et Lepido fide, et ab eis vicissim accepta, de Capitolio, quo post Cæsaris necem populi metu confugerant, descenderunt, Cassiusque se Antonio, Brutus Lepido credidit. MAN.

Nostros necessarios] Qui, ut iis præsidio essent, in urbem convenerant. De M. Bruto vide *Phil.* X. 3.

Ara] Vide lib. IX. ep. 14.

Nec quidquam aliud libertate communi quæsisse] Genus loquendi sumptum a Græcis, pro, Nec quidquam aliud, præter libertatem. Sic et Horatius ep. XVI. lib. I. 20. *Neve putes alium sapiente bonoque beatum*. Et lib. II. ep. I. 240. *alius Lysippo*. MAN.

Denuntiatum esse] Ut in urbem frequentes convenirent. IDEM.

3 BRUTUS ET CASSIUS PRÆTT. ANTONIO COS. S. D.

ARG. Contumeliosis et minacibus litteris Antonii respondent. *Anno* U. C. 709.

Simillimas edicti tui] Quo idem supplicium minabatur optimis civibus, quod Cicero de sceleratissimis sumpsisset, ut in Philippica tertia legitur. CORRAD.

Edicto postulassemus] Licebat enim magistratibus de eo, quod ad officium eorum pertinet, edicere. Postulaverant autem, quia ultra decem dies essent ab urbe abfuturi, ut Consule ad Senatum referente legibus solverentur, quod nisi factum esset, ultra decem dies peregre esse non poterant. Phil. II. 13. J. F. GRON.

Nuntiis trans mare missis] Præsertim in Asiam ad Trebonium, et in Bithyniam ad Tullium Cimbrum. CORRAD.

Concordiæ ac libertatis causa] Ideo enim abesse cupiebant, ne qua in urbe seditio propter Cæsaris mortem concitaretur. Timebant autem potissimum veteranos. Ep. 2. MAN.

Judicium nostrum] Judicio enim nostro, non armorum tuorum timore, nihil novi cogitamus. IDEM.

Quam non diu regnarit] Regnavit, absoluta potestate, nullo Pompeianarum partium metu, post victos in Hispania Pompeii liberos, quinque tantum menses. Rediit enim Octobri mense: occisus est idibus Mart. quod Velleius lib. II. Fasti Capitolini, et aliorum testimonia docent. IDEM.

4 D. BRUTUS IMP. COS. DESIGN. CICERONI S. D.

ARG. Res a se gestas exponit, et, ut Cicero sua se sententia in supplicationibus decernendis adjuvet, rogat. *Anno* U.C. 709.

Inalpinos] Qui Alpibus inhabitant.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S. 5

Ag. Ecce sat se quod Bruti litteris non responderit: hortatur ad libertatem recuperandam: et suum studium ac officia pollicetur. *Anno* U. C. 709.

Quæ maxime optabam] Te scilicet Antonio provinciam nolle tradere. Manut.

Si enim iste] M. Antonius, qui Bruto provinciam conabatur eripere. Idem.

Ut principiis] Ut, quemadmodum rege, ita nos dominatu regio liberes. Idem.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S. 6

Arg. Commendaverat Brutus suam dignitatem. Respondet Cicero sibi eam etiam atque etiam curæ fore: idque jam in senatu declaratum. *Anno* U.C. 709.

In Senatu] Vide Philipp. III.

In concione] Philipp. IV.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S. 7

Arg. Suadet, ne in salute populi R. tuenda senatus auctoritatem expectet, sed, quod sibi rectum videatur, faciat. *Anno* U.C. 709.

Adhibuisset] Hic *adhibere* significat quod alibi plenius *in consilium adhibere*. Coegerat autem familiaris D. Bruti Lupus Ciceronis domi consilium amicorum Decimi, ut illorum sententias de re Bruti exquireret, in quod etiam Ciceronem adhibuerat, id est, admiserat et receperat. Vict.

Nondum liberi] Erant enim in senatu, qui Antonio faverent, in primisque Q. Fusius Calenus. Man.

Consulem] M. Antonium, quem reliquerunt, Octavium sequentes. Corradus.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S. 8

Arg. De legatis ad Antonium de pace missis, quæque sit omnium de Bruto expectatio ad libertatem recuperandam, perscribit. *Anno* U. C. 710.

Polla tua] Id est, Valeria Paulla, uxor tua. *Polla* autem et Paulla dicebant veteres ἀδιαφόρως, ut Caupo, Copo: Olla, Aula: Plostrum, Plaustrum, &c. Lamb.

Expectationem legatorum] L. Pisonis, L. Philippi et Servii Sulpicii, qui ad Antonium erant profecti. Corr. Vide *ep.* 4. *lib.* XII. et *Phil.* VI.

D. BRUTUS M. CICERONI S. D. 9

Arg. Prospiciat, rogat, ne, consulibus amissis, hostes reip. invalescant: et quid agendum videatur, monet. *Anno* U.C. 710.

Coss. sublatis] Hirtio et Pansa, in Mutinensi prælio. Corr.

Elabatur] Elapsus tamen est, itinere facto difficillimo. Vide ep. 17. 33. 34. lib. X. et hoc lib. ep. 10. Man.

Ventosissimum] Levissimum, atque in primis mobilem. Ep. ad M. Brutum: *Datum Lepido tempus est, in quo levitatem ejus, sæpe perspectam, majoribus in malis experiemur.* Id.

Pollione Asinio] Qui longius aberat, quam Lepidus; præerat enim Hispaniæ citeriori. Ep. 31. lib. X. Idem.

Puto] Propter amicitiam. Non dubito, quin ille tibi suum sensum patefaciat. Idem.

Recte facturum nunquam] Favebat Lepidus Antonii partibus: tum quod percussores Cæsaris oderat, tum eti-

am, quod ejus filio nupserat Antonii filia, ipseque Antonii consulis beneficio pontifex max. in locum Cæsaris creatus erat. Appianus, Dio, Plutarchus. IDEM.

Regii] *Regium* cognomento *Lepidum*, ante *Forum Lepidi* appellatum, unde etiam Ciceroni *Regium Lepidi* dicitur, est oppidum Galliæ Cispadanæ in via Æmilia, etiam nunc clarum, hodie *Reggio*. Vide pluribus de hoc oppido disputantem Ph. Cluver. Ital. antiq. lib. I. cap. 27. GRÆVIUS.

10 D. BRUTUS M. CICERONI S. D.

ARG. Queritur de quorundam malevolentia, et reip. periculum exponit. *Anno* U.C. 710.

Gratiorem me esse] Videtur excidisse particula, *Nec*, ut fuerit: *nec gratiorem;* hoc sensu: Nec arbitror, me tam gratum posse esse tibi, quam isti malevoli sunt in me perversi. J. F. GRONOV.

Exploratum habes (sint, an hæc temporis videantur dici causa) *malle me tuum judicium*] Sic videtur legendum. Quæ isti, qui mihi obtrectant, prætexunt, hæc sive revera ita se habeant, sive ab eis fingantur temporis causa: Tu dubitare non debes, quin ego placere tibi malim, quam istis omnibus. IDEM.

Vacivitas] Ad hanc lectionem *injiciat vacivitas* ducunt nos vestigia fere omnium librorum, qui aut *civitas* aut *novitas* præ se ferunt. Quem consensum librorum cur repudiemus non est. Plautus Curcul.

Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus.

Sic *ædes vacivæ*, et *aures vacivæ*. GRÆ.

Litteris commendari] Est litteris mandari, credi. Suspicionem autem de Octaviano significat: qui consulatum petiit, non adeptus patriæ bellum intulit. IDEM.

Ad Vada] Scilicet *Sabatia*, seu *Sabatorum*. Sabata erat oppidum maritimum in ora Genuensi præcipuum, non longe Savona distans, cui adjacent campi palustres, qui *Vada* dicuntur, et *Vada Sabatorum*, seu *Sabatia*, quæ describit Lucan. lib. I. *Quaque jacet littus dubium*, &c. Ibi etiam *portus* fuit *Vadorum Sabatiorum*, cujus meminit Plin. III. 5. Is hodie dicitur *Vadi*, sive contracte *Vai*, vulgo *Ve*. Vide Cluver. Ital. antiq. lib. I. cap. 8. IDEM.

Neque Cæsari imperari potest] Qui jus imperii nabeat ipse, et nullum sit imperium majus, quia consules non sunt. GRON.

Nec Cæsar exercitui suo] Quia non justo delectu scriptus est, sed tumultuarie collectus et sine disciplina. ID.

Homines interpellent] Videntur prohibuisse, ne pecunia in stipendium militum ex ærario decerneretur. Ep. 26. IDEM.

Ut meæ rei familiaris sit liberum quicquam] Ut rationes explicatas habeam, in ære alieno vacem. Vide lib. II. de Pecunia Vetere, c. 7. ID.

Septenum numerum] Nec *septenæ legiones*, nec *septenus numerus* hic prisci Quirites agnoscerent. Hittorp. *Septem nunc numerum legionum alo. Sane τὸ nunc* in nullo meo, in nullo Palatino, in nullo Gulielmiano post numerum ponitur. Legendum itaque censeo, *septem nunc numeros legionum. Numeri* sunt cohortes, uti sæpe apud Tacit. Sic et legendum in epistola Cassii in lib. XII. ep. 13. *Græcorum militum numeros, speciem exercitus effecit*, ubi vulgo, *Græcorum militum numero*. GRÆV.

Varronis] Corradus alludi putat ad Varronis librum περὶ πλούτου. Mantutius *Varonis* sive *baronis* mavult, ut Antonius notetur, qui thesauros Cæsaris rapuerat, et aliorum. CELLAR.

Dertona] Urbs Liguriæ fuit inter Genuam et Placentiam sita, Colonia Romanorum. In inscriptione antiqua dicitur *Julia Dertona*. Hodie *Tortona*. Vide Cluver. Ital. antiq. lib. I. c. 10. qui ibi hunc locum laudans, scripsit *Et castris Dertonæ*. GRÆV.

D. BRUTUS IMP. COS. DES. M. CICERO S. D. 11

ARG. Memor meritorum in se Ciceronis, iter Antonii ad Lepidum, dubiamque Planci fidem, et suum in remp. studium significat. *Anno* U. C. 710.

Galliæ] Cisalpinæ. Nam Transalpina ad Planci pertinebat imperium, excepta Narbonensi, quam Cæsar, cum ei finitima Hispania, Lepido regendam attribuerat. MANUTIUS.

Quæ istic opus erunt administrari] *Hæc opus sunt* Latine dici scio: *hæc opus sunt administrari*, quam Latine dicatur, videto. IDEM.

Finibus Statiellensium] Hoc est, in agro, seu, ut barbari loquuntur, ditione Statiellensium. *Aquæ Statiellæ*, seu *Aquæ Statiellonum* urbs Liguriæ, inter Dertonam, et Vada Sabatia, hodie vulgari vocabulo appellatur *Acqui*, et ab incolis *Aick*. Cives hujus urbis *Statiellenses*, tota vero gens *Statiellates*, posterioribus scriptoribus *Aquenses*. Vide Cluver. lib. I. de Ital. antiq. cap. 10. GRÆV.

M. CICERO D. BRUTO IMP. COS. DES. S. 12

ARG. Queritur, ab Antonio bellum renovatum, quod hominum opinione impediri a Bruto potuisset. *Anno* U. C. 710.

Alii facti sunt] Non iidem sunt, qui erant: mutati sunt. Plautus in Trin. *Verbis paucis quam cito alium fecisti me.* MAN.

Is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit] Idem X. 13. 19. 20. ID.

D. BRUTUS M. T. CICERONI S. D. 13

ARG. Excusat tarditatem in persequendo Antonio: et in quo statu res sit, exponit. *Anno* U. C. 710.

Convenissem] Conveniri noluit. Appianus libro tertio. MAN.

Impeditissimus] Quia cœnosus.

Pollentiam] Plin. lib. III. cap. 5. Oppidum Liguriæ supra Albam, haud procul Tanari ac Sturæ confluentibus, nunc exiguus vicus, vulgo *Polenza*. GRÆV.

Trebellius] Quem fraudatorem creditorum Cicero in Philippicis vocat. CORRAD.

M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. P. D. 14

ARG. Bruti litteris respondet de decemviris, de legionibus perducendis, de pecunia, de hominum admiratione ob renatum bellum, cujus exitus ne timeatur, Bruti partes et munus esse dicit. *Anno* U. C. 710.

Decemviris] Aut creatis, aut creandis, qui consulatus ab Antonio gesti rationem reposcerent. Appianus lib. III. et ep. 20. 21. et ad Att. ep. 19. lib. XV. MAN.

Adolescente] Octaviano. IDEM.

Frigeo] Languidiores factæ sunt actiones meæ. Ὄργανον instrumentum, quo utebar: quo dissoluto, quid agere possum? itaque plane jam frigeo. IDEM.

Σκιαμαχίαι] Umbratiles pugnæ.

De Bruto arcessendo] De M. Bruto, qui erat in Macedonia. CORRADUS.

Ex Africa] Vide ep. 24. lib. X.

Die tuo natali] Vide ep. ad M. Brutum, cujus initium, *Messallum*. MANUT.

Retexerunt superiora] Irrita faciunt, et vana. Cic. II. in Verr. *Omnia erant Metelli ejusmodi, ut totam illius præturam retexere videretur.* Hoc est, illius acta rescindere. Non male Hittorp. et Stewech. *Hi novi timores retexunt superiora.* GRÆV.

15 M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. P. D.

ARG. Laudat officium et diligentiam Bruti: cujus et collegæ concordiam omnibus gratam esse significat: et hortatur, ut secum jam ipse certet. *Anno* U. C. 710.

Planco collegæ mandasti] Jam se Planeus Bruto conjunxerat. Velleius lib. II. *Planeus dubia, id est, sua fide, diu quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adjutor D. Bruti, collegæ sui, mox ejusdem proditor.* MANUT.

Magistro brevitatis] Brevitatem in scribendo amabat Decimus. Ep. 24. 25. IDEM.

16 M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. P. D.

ARG. Commendat Lamiam in petitione Prætura. *Anno* U. C. 709.

Relegatus est] Vide ep. 29. lib. XII. et orationem pro Sextio, et pro domo. MANUT.

Magnificentissimo] Vocem hanc in editionibus Manutii et Lambini antecedit *urse*: quod idem valet ac *functus*, et facile abesse potest. Victorium sequimur.

Mitte ad Lupum nostrum] Pro, *significa Lupo nostro*. Modus loquendi Tullio familiaris. Ad. Att. ep. 10. lib. XIII. *Hodie Spintherem expecto: misit enim Brutus ad me.* Et ad Tironem, ep. 9. lib. XVI. *Curio misi, ut medico honos haberetur.* MANUTIUS.

17 M. T. C. D. BRUTO IMP. S. D.

ARG. Commendat iterum eundem Lamiam in petitione Prætura, scripta epistola brevi post superiorem. *Eodem anno* U. C. 709.

18 M. T. C. D. BRUTO IMP. COS. DES. S. D.

ARG. Reprehendit in Decimo nonnullam timoris significationem, Scripta post Hirtium et Pansam consules interfectos. *Anno* U. C. 710.

Galbæ] Vide lib. X. ep. 30.

Victoria] Mutinensi. MAN.

Gratulatione] Hoc est, gratiarum actione. Est proprium in hac re verbum, cum in supplicationibus Diis gratias agunt. GRÆV.

19 D. BRUTUS M. T. CICERONI S. P. D.

ARG. Reip. vicem timet: Vicetinos commendat. *Anno* U. C. 710.

Pauloque] L. Æmilio Paulo, qui consul fuerat cum C. Marcello. Ep. 12. lib. XV. Frater fuit M. Lepidi, eoque mox Triumviro proscriptus est. MAN.

Vicetini] *Vicetia* oppidum mediterraneum in Venetorum finibus, hodie *Vicenza*. Incolæ in monumentis antiquis modo *Vicetini*, modo *Vincentini* dicuntur. Vide Chiv. Ital. antiq. lib. I. cap. 18. GRÆV.

Vernorum] Vernis comparat Vicentinorum adversarios, ut homines nequam abjectosque significet. MAN.

Inertissimum] Blanditur, quod in his duobus optimis libris, Hittorpiano et Palatino legitur, *incertissimum*. Hoc est, infidum, inconstans. GRÆV.

Vervellis] Plin. lib. III. cap. 17. Oppidum Galliæ transpadanæ. ID.

20 D. BRUTUS IMP. COS. DES. M. T. CICERONI S. P. D.

ARG. Timere se ait Ciceronis causa, eumque monet, ut veteranorum animos sibi conciliet. *Anno* U. C. 710.

Sui similimus] Idem, qui solet esse. Accipiendum in malam partem. MANUT.

Tollendum] Ambiguum verbum. Nam et ad honorem, et ad necem pertinet. Velleius lib. II. *Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum et tollendum censebat; cum aliud diceret, aliud intelligi vellet.* Suetonius in Augusto: *Ut cognovit, Antonium post fugam a M. Lepido receptum, ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus: causam optimatium, sine cunctatione deseruit, ad prætextum mutatæ voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque jactassent, ne aut sibi, aut veteranis par gratia referretur.* IDEM.

In decemviris] Creatis. Ut quæ senatus legionibus exercitusque pollicitus erat, persolverent, distribuerentque. CORR. Ideo creatis, ut ab Antonio gesti consulatus rationem reposcerent: ep. 14. et 21. Appianus lib. III. MAN.

Prius ut Alpes transgrederer] Mendosus videtur epistolarum ordo. Nam si nondum Alpes transgressus est, conjungi Planco nondum potuit. At conjunctus videtur ep. 15. IDEM.

Eos] Veteranos. CORRAD.

Totam istam cantilenam] Totum hoc quod isti jactant, atque in te conferunt. *Cantilena* enim, et id, quod canitur, et id, quod crebris sermonibus usurpatur. MAN.

Ab utrisque nobis] Man. *ab utrisque nostrum.* Lamb. *ab utroque nostrum.*

Eporedia] Plin. lib. III. cap. 17. Colonia Romanorum in Transpadana Gallia, Sibyllinis libris a populo Romano condi jussa in faucibus Salassorum vallis, inter duo altissima juga in edito vertice, munimentum contra Salassos: hodie *Ivrea.* Alii vero scribunt *Eporædia.* Vid. Cluv. Ital. antiq. lib. I. cap. 13. GRÆV.

M. T. C. D. BRUTO IMP. S. P. D. 21

ARG. Respondet superiori epistolæ.

Res] Ex ambiguo dictum. CORR.

Hunc ipsam] Vel hæreditate acceptam, vel a C. Cæsare, cum viveret, donatam. Quod verisimilius videtur. Nam et Octaviani amicus erat: et veteranis favebat, ut ex epistola superiore intelligitur: et verbum, *Devoravit*, usurpatur Philip. XII. de veteranis. Fortasse igitur et hic Segulius ex veteranis Cæsaris militibus unus fuit. MANUT.

Recentem novam] Ita differunt *Recens* et *Novum*, ut *Vetus* et *Antiquum*. Potest enim recens aliquid esse, quod novum non sit. Ut recens hereditas, quæ alicui nuper obtigit, non tamen nova, cum aliæ possint hereditates eidem antea contigisse. *Novum* est enim, non quod nuper, sed quod nunc primum habemus: *recens* vero, non quod nunc primum, sed quod nuper. Et *novum* ad rem, *recens* ad tempus refertur. Propterea, ut simul utrumque significetur, conjunguntur. IDEM.

M. T. C. D. BRUTO IMP. S. P. D. 22

ARG. Commendat App. Claudium, ut ex hostium numero eximatur. *Anno* U. C. 710.

Caii F.] Distinguit ab aliis, qui eodem prænomine et nomine utebantur. MAN.

Conservatum velis] Ne hostis cum Antonio judicetur, quandoquidem eum secutus erat. MAN.

Propter patris restitutionem] Videtur pater ejus, cum exularet, ab Antonio consule in patriam restitutus. ID.

23 D. BRUTUS M. T. CICERONI S. P. D.

ARG. Ut bene de rep. speret, hortatur Ciceronem, cujus litteras expectat. *Anno* U. C. 710.

Essent aliena] Apud Lepidum. Si scilicet cum Antonio sentiret. CORRADUS.

Tribus] Cæsaris, Planci, et meo.

Propriis reip.] Fidis et certis in defensione causæ publicæ. Sed opinio eum fefellit. Mox enim Octavianus et Plancus accesserunt Antonio. *Proprium* eleganter constans, perpetuum. Terent. Andr. IV. 3. 1. *Nihilne esse proprium cuiquam?* Plaut. Mostell. I. 3. 68. *Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.* J. F. GRON.

Si frenum momorderis] Id est, si nostris invidis et malevolis, qui velut freno coercere te volunt, ostenderis te resistere et coerceri nolle. Ab equis contumacibus et refractariis desumpta translatio. Libertatem experiri. Sall. Jug. XXI. IDEM.

24 CICERO D. BRUTO S. P. D.

ARG. Respondet superiori epistolæ, qua timorem sibi exemptum dicit. Addit, quid agendum ei sit: et de pecunia decreta. *Anno* U. C. 710.

Vigiliam meam] Id est, curam meam. Translatio ab excubantibus militibus, qui succedunt per vigilias. MANUTIUS.

Multa enim Romæ] Multa dicuntur ejusmodi, ut in Italia diutius morandum tibi non esse videatur. MANUTIUS.

Servium] De quo, ep. 7. hujus libri. Alii, *Servilium*, Isaurici filium.

25 M. T. C. D. BRUTO S. P. D.

ARG. Expectari a se Bruti litteras ait: sibi nihil esse quod scriberet: in ipso et Planco spem omnem esse. *Anno* U. C. 710.

Intestinum urbis malum] Erant enim, qui Octavianum, interfectis Pansa et Hirtio consulibus, ad petitionem consulatus impellerent. Ep. 24. lib. X. et ep. 14. ad M. Brutum. MANUT.

Λακωνισμὸν *tuum*] Laconicam, qua tu soles uti, brevitatem. IDEM.

26 D. BRUTUS IMP. M. T. CICERONI S. P. D.

ARG. Sollicitus ob Antonii cum Lepido conjunctionem, legiones quam primum sibi et stipendium mitti postulat. *Anno* U. C. 710.

Maximo] Man. Lamb. *in maximo.*

Ista] Conjunctionem Lepidi cum M. Antonio. CORRAD.

Deliberent] Ironia cum stomacho. MANUTIUS.

Brutum] M. Brutum, qui erat in Macedonia. IDEM.

Magnum] Verissimum augurium. Nam, Novembri mense inita inter Lepidum, Antonium, Octavianum societate, et omnes, et omnia periere. *Velleius, Plutarchus, Appianus, Dio.* ID.

27 M. CICERO MATIO S.

ARG. Questus erat Matius, accusari se a Cicerone, tum quod in lege quadam Cæsaris suffragium tulisset, tum etiam quod ludos, Cæsari mortuo ab Octaviano datos, curasset. Cicero se ita purgat, ut alterum negari a se dicat, alterum defendi. *Anno* U. C. 709.

Formianum] Est villa Ciceronis, in medio oppidorum Formiæ et Caietæ in litore posita, unde etiam *Caieta* dicta est, et *villa Caietana*, in qua Cic. postea fuit cæsus. Etiam nunc hodie visuntur ejus reliquiæ et rudera, diciturque *la villa di Cicer.* CLUV.

Venisses] Manutius, *venissem*.

Trebulano] Trebulæ in agro Sabino fuerunt, ubi nunc est oppidum *Mons Leo* vocatum, cujus ad radices antiqui lapides, inscripta Trebularum mentione, aliquot extant: quibus etiam lapidibus intelligitur id, quod ait Servius in illo Virgilii versu, *Hereti munus omnis, oliviferæque Mutuscæ*. Plinius lib. III. cap. 12. *Trebulani, qui cognominantur Mutuscei*. MANUT.

Veni Brundusium] Post pugnam Pharsalicam Cicero, armorum odio et victoriæ desperatione, in Italiam rediit. Ad Attic. epist. 5. 6. lib. II. IDEM.

Φιλοσοφούμενα] Libros de Finibus, Tusculanas quæstiones, et alia, quæ scripsit afflicta repub. MAN.

Suffragium tulisse in illa lege] Opinor legem significari, quam Cæsar, ut scripsit ipse lib. III. de Bell. Civ. pro debitoribus tulit, ut arbitri darentur, quos fierent æstimationes possessionum et rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. Hoc eo magis existimo, quod ad hanc partem respondens Matius, *Res*, inquit, *mea familiaris lege Cæsaris diminuta est*. IDEM.

Ludorum] Epistola sequenti, CORRADUS.

MATIUS CICERONI S. 28

ARG. Respondet superiori Ciceronis, purgatque se adversus vituperatores. *Anno* U. C. 709.

Ut par erat, tuæ singulari bonitati et amicitiæ nostræ] Ita leg. et distinguendum est. Sic II. de Divin. *Casum autem prælii nemo nostrum erat, quin timeret, sed ita ut constantibus hominibus par erat, non aperte*. J. F. GRONOV.

Lege] Vide superiorem ep.

Ludos] Eos, ut opinor, de quibus Plinius lib. II. cap. 45. *Cometes apparuit ludis, quos faciebat Augustus Veneri genitrici, non multo post obitum patris Cæsaris*. Et Suetonius: *Ludis, quos primos consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit*. Et Dio lib. XLV. *Ludos fecit suis sumptibus, ob perfectam Veneris ædem*. MANUTIUS.

Cæsaris Victoria] Voverat enim Cæsar ædem Veneri genitrici, si Pompeium prælio Pharsalico devicisset. Appian. IDEM.

Cæsare] Sic emendavimus ex Ms. cum antea legeretur *Cæsari*. IDEM.

CICERO OPPIO S. 29

ARG. Profecturus in Græciam, res suas Oppio commendat, commemoratis ante beneficiis ab ipso acceptis. *Anno* U. C. 709.

Oppio] C. Oppio, Cæsaris amicissimo, quem secutus est in bello civili, fuitque legatus ejus in Africa. MANUT. et SIGON.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER XII.

1 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARGUMENTUM. Factum Dolabellæ, quo aram Cæsaris evertit, laudat: sublato rege, regnum superesse questus, C. Cassium hortatur, ut remp. cum Bruto omni perturbatione liberet. *Anno* U. C. 709.

Illud malum] Tumultus, a sceleratis et servis de Cæsaris sepultura et columna excitatus. CORRADUS. Vide Suet. Jul. cap. 85. et Philipp. I.

Compressa] Primus hanc lectionem immutavit Manutius, et supposuit *compressum*. Sed *compressa* sensum respicit, non præcedentem vocem. Compressa est turba, et seditio hominum perditorum, qui tectis et templis et bonis viris minabantur. Hoc enim erat illud malum, quod serpebat in dies et gliscebat. Sic in I. ad Fam. ep. 9. *Primum illa furia muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam Deam, quam tres sorores.* Ut bene restituit Victorius. GRÆV. Et ipse tamen Grævius *compressum* legi vult in emendandis, Tomo suo II. pag. 416. Posteriores cogitationes, an sapientiores? OLIVETUS.

Sordidissimo] Quod ab infirma plebe, atque a servis etiam impendebat. MANUT.

Tabulæ figuntur] Æreas tabulas in publico figebat Antonius, decretum aliquod Cæsaris, aut beneficium continentes: quasi scriptum id reperisset in Cæsaris commentariis. Phil. V. 4. et Att. XIV. 12. IDEM.

Immunitates dantur] Homines et populi stipendiarii et vectigales tributis liberantur. Phil. V. 4. J. F. GRONOVIUS.

Describuntur] Vel indicantur et colliguntur, Justin. XVI. 3. vel assignantur et ex ærario tribuuntur, ut fere et Manutius, sed exemplis utitur non convenientibus. Terent. Phorm. V. 8. 30. *Illud mihi argentum jube raptim rescribi Phormio.* Ph. *Quodque ego descripsi porro illis, quibus debui.* IDEM.

Æra refigere] Leges antiquare, abrogare. *Æra* sunt leges æneis tabulis incisæ, proprie ipsæ tabulæ, quibus leges inscriptæ. GRÆV.

2 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Invehitur in Antonii immoderatam potentiam, reique publicæ statum describit. *Anno* U. C. 709.

Orationem meam] Secundam in Antonium, quæ extat. MAN.

Homo amens] M. Antonius. ID.

Pisoni] L. Calpurnio Pisoni, C. Cæsaris socero. Vide Philipp. I. ID.

P. Servilio] Isaurici filio, qui consul fuerat cum C. Cæsare. IDEM.

A. d. XIII. Kalend. Oct.] Tota res ita se habet. Cum Cicero, post interitum Cæsaris, primum desperata repub. in Græciam abire cogitasset; deinde, allata spe quadam libertatis et otii, mutato consilio ad urbem revertisset; M. Antonius Consul Kalend, Sept. de supplicationibus relaturus, eum de more in senatum vocavit. Cicero misit, qui se excusarent, quod de via langueret. Ille iratus, fabros se missurum, et domum illius disturbaturum esse, audiente senatu, dixit. Venit Cicero postridie in senatum, id est, IV. Non. Sept. et locutus est, absente Antonio, de rep. liberius,

quam pericula minæque postulabant: eaque nunc extat oratio, Philippicarum prima. Tum Antonius, furore percitus, adesse eum jussit in senatu ad XIII. Kal. Oct. ipse interea totum illud spatium, quod est a quarto Non. Sep. ad XIII. Kal. Oct. commentatus est in Tiburtino Metelli, quæ contra Ciceronem diceret. Eo die in senatum, dissuadentibus amicis, Cicero non venit; sed mox accurate scripta oratione respondit, quæ inter Philippicas secunda legitur. IDEM.

Ad quam] Vict. Græv. *At quam.*

Tres esse consulares] L. Pisonem, qui primus; Ciceronem, qui secundus; P. Servilium, qui tertius in Antonium est invectus. MAN.

Nec est præterea] Hoc tamen effecimus, multi ut doleant tam malo exemplo, sed nihil ultra, quia nemo aliquid audet, et qui maxime potentes fovere vestram causam deberent, silent. J. F. GRON.

Tuus enim necessarius] Lepidus. Nam Lepidus et Cassius duas M. Bruti sorores habebant uxores. COR.

Affinitate nova] Antonii filia suo filio uxore data. IDEM.

Ludorum] Quia ludis Apollinaribus, quos prætor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo viderat L. Cassio tribuno pl. fratri C. Cassii, propterea ludos non amplius amabat. Vide ep. 2. ad Att. lib. XIV. MAN.

Alter] Hujus nomen ignoratur. IDEM.

Vestro anno] Anno vobis destinato: post biennium: nam hoc anno præturam gerebant Brutus et Cassius: et præturam consulatus, interposito biennio, sequebatur. IDEM.

L. Cotta] Aureliæ gentis, qui consul biennio ante Ciceronem fuerat. IDEM.

L. Cæsar] Avunculus M. Antonii. Ep. 5. ep. 14. lib. IX. IDEM.

Designatis] Consulibus, Hirtio et Pansa. IDEM.

Si ne] Manutius ex uno Ms. *Qui sive ad me referent, sive non.*

M. T. C. C. CASSIO S. P. D. 3

ARG. Itidem in Antonium ejusque socios invehitur. *Anno* U. C. 709.

Amicus] M. Antonius. MAN.

Nonas Octob.] Pighius in Fastis ad annum U. C. DCCIX. conjicit, *Nonas Octavius productus*, &c. GEBHAR.

Canutio] T. Canutio Trib. pleb.

Legato tuo] Erat enim Cassius Syriæ proconsul. *Viaticum:* De publico dari solitum. MAN.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D. 4

ARG. De Antonio, de senatu, de populo, de legatis ad Antonium, de Dolabella, et ipso Cassio scribit, quæ sentiebat. *Anno* U. C. 710.

Me ad cœnam invitasses] Ad cædem Cæsaris. Lib. X. ep. 28. CORR.

Philippo et Pisone] L. Marcio Philippo, vitrico Octaviani, et L. Calpurnio Pisone, qui socer C. Cæsaris fuerat. MAN.

Certas res denuntiarent] Ita legendum. Juberent eum abstinere Mutina, dimittere exercitum, &c. Ep. 24. J. F. GRON.

Intolerabilia postulata] Phil. VIII.

In re salutari populares] Multi enim in re perniciosa populares, ut duo Gracchi, P. Clodius, C. Cæsar. MANUTIUS.

De Bruto] M. Bruto. CORRAD.

Vituperabatur] Jocus est elegans in his verbis. Nam senatus ademptam Dolabellæ Syriam Cassio dederat, Dolabella vero ita in Syriam iverat, quasi Cassio legitime successurus. Qua de re non insulsi, nec infaceti homines, nimium cito Dolabellam Cassio succedere, cavillabantur: itaque recipiendum omnino non esse, quoniam legitimum tempus, quo Cassius decedere deberet, expectare noluisset. MAN.

Constabat] Ideo constabat, eum recipi non oportere, quia tam cito succederet. Jocus: non enim succedere Dolabellam Cassio senatus voluerat, sed potius ereptam Dolabellæ Syriam Cassio tradiderat. ID.

5 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. M. Brutum laudat, ut accendat ejus exemplo Cassium ad imitationem: de Mutinensi bello addit, et de statu Reipublicæ. *Anno* U. C. 710.

Brutus] M. Brutus. CORRAD.

A prima enim ora Græciæ] Quam tenebat Brutus. *Usque ad Ægyptum:* Quam partem Cassius in potestate reip. continebat. MAN.

Claternæ] Oppidum Lingonum in Gallia Cispadana, nunc *Quaderna*, juxta amnem ejusdem nominis. Corrupte scribitur *Cliterna*. Tenuia supersunt nunc vestigia. Quia Ambrosius lib. II. ep. 8. jam suo tempore in ruinis jacuisse testatur. GRÆV.

Forum Cornelium] Et hoc oppidum Lingonum est ad viam Flaminiam; sic dictum a L. Cornelio Sylla. Hodie *Imola*. IDEM.

Regium Lepidi] Oppidum Boiorum in Gallia Cispadana, quod et *Forum Regii* dicitur. Nunc *Reggio*. ID.

Galliam] Cisalpinam. CORRAD.

Sulpicii] In legatione ad Antonium vi morbi oppressi. Philipp. IX. IDEM.

6 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Strabonem oblique commendat: in Cassio et M. Bruto, si res ad Mutinam male geratur, spem omnem reip. sitam esse dicit. *Anno* U. C. 710.

In te et Bruto] M. Bruto. CORRADIUS.

Brutus Mutinæ] D. Brutus. ID.

7 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Sententiam a se in Senatu ex dignitate Cassii dictam, eandemque in concione defensam significat. *Anno* U. C. 710.

Nisi Pansa] Illa sententia captus, quæ dicta fuerat, et postea etiam in Senatu valuit, ut Coss. Dolabellæ persequendi causa Asiam et Syriam sortirentur. CORRAD.

Sententia] Mea, ut tu Syriam obtineres, et Dolabellam persequereris: Philipp. XI. IDEM.

Invita socru tua] Servilia, M. Bruti et tua uxoris matre. IDEM.

Offenderetur] Mea sententia, quæ provinciam illi eriperet, et tibi daret. IDEM.

8 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Renovatum a Lepido bellum esse conqueritur, et Cassium ad liberandam remp. hortatur. *An.* U. C. 710.

Confecto bello] Victoria Mutinensi.

9 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Eadem scribit, quæ epistola superiore: addit multum interesse Cassium venire in Italiam. *Anno* U. C. 710.

Consulatus tui] Et M. Bruti: eodem anno consules futuri erant. MAN.

10 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Et Lepidum hostem judicatum scribit, et omnino rem poscere, ut Cassius cum exercitu in Italiam veniat. *Anno* U. C. 710.

Sed maxime spe] Ms. Codex, *sed maxima spes:* quæ scriptura mihi præ aliis probatur. Potest et vulgata defendi commode. GRÆV.

Consilio atque auctoritate tua roboraremur] In nullis paulo antiquioribus libris *roboraremur* legi: et sane vacat, omnis enim periodi sensus ab extremo ejus verbo bis repetito pendet et regitur. Ut si hæc, inquit, ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua niteremur: sin quid forte titubatum (ut fit in bello) exercitu tuo niteremur. Ipse sententiam, structuramque verborum sine ea voce pulcherrime posse stare existimo. Quod autem inculcaverant verbum, etsi non malum est, non fortasse hic valde aptum, certe non necessarium. VICT.

C. CASSIUS PROCOS M. T. C. S. P. D. 11.

ARG. A quibus copias acceperit significat, seque et remp. commendat. *Anno* U. C. 710.

Procos.] Non quia consul fuisset, verum quia proconsulari imperio Syriæ præesset. Nondum tamen ei Syria a senatu decreta fuerat. Decreta est enim post mortem Trebonii, ut Philippica XI. ostendit. Trebonius autem, cum hanc epistolam scripsit Cassius, nondum perierat. MAN.

L. Murcum] L. Statium Murcum, qui tres legiones habebat. Phil. II. Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. Hunc postea Sex. Pompeius, Magni filius, cum ad eum, devictis Bruto et Cassio, se contulisset, virtutem ejus timens occidit. Dio lib. 48. IDEM.

Q. Crispum] Q. Marcium Crispum, ipsum quoque trium legionum ducem. Phil. II. Appianus, et Dio: quanquam Dio mendose *M. Crispum* vocat. IDEM.

Quæ Romæ gererentur] Contra Antonium et Dolabellam, et pro ipso Cassio, tradita illi Syria S. C. ID.

Q. Cæcilius Bassus] Qui præerat ei legioni, a Cæsare traditæ, cum de Parthico bello cogitaret. Phil. XI. Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. Appianus lib. IV. MAN.

Allienus] Legatus Dolabellæ. Phil. XI.

Taricheis] Tarichea, oppidum munitum Palestinæ in Galilæa juxta lacum Tiberiadis. Plin. V. 15.

CASSIUS PROCOS. M. CICERONI SUO S. D. 12.

ARG. Laudata Ciceronis benevolentia, commendat suam dignitatem suosque duces et milites: in Ciliciam contra Dolabellam proficisci in animo esse significat. *Anno* U. C. 710.

Moliri] Apparare. *Moliri* enim absolute ponitur interdum. Terentius in Heaut. *Dum moliuntur, dum comuuntur, annus est.* MAN.

Occiso] Smyrnæ: quæstione primum tormentis habita pecuniæ publicæ, deinde cervicibus fractis, abscisso capite: quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici Dolabella jussit. Phil. XI. Appianus lib. IV. Dio lib. XLVII. IDEM.

Misere] Turpiter et infeliciter. Miser, quia noluit id, quod debuit. ID.

Legionem] Al. *mihi legiones.* Nam etsi in superiore etiam epistola *legionem* scribit, historia tamen habet, legioni, quæ Bassum mortuo Sexto Julio secuta est, alteram provincialem fuisse additam: ut supra primam, hic ambas intelligat. CORRAD.

CASSIUS Q. M. CICERONI S. D. 13

ARG. Gratulatur de Mutinensi victoria, et res a se gestas exponit. *An.* U. C. 710.

Cassius] Non is, qui scripsit duas superiores epistolas: ut infra. MAN.

Q.] Quæstor, alterius Cassii, ut

opinor, ejus qui Cæsarem percussit. IDEM.

Tum instauratione] XII. Kal. Maii, quo die a toto pene populo in Capitolium est deductus, maximoque clamore et plausu in rostris collocatus. CORRAD.

Reip. tenebris] Cæsare dominante, luce libertatis extincta. MAN.

Nec inconvenientia] Ita legitur in quinque libris antiquis, quos nunc habeo, et in aliis præterea, quibus olim sum usus: nec vero aliter postulat sententia. Duo veteres libri habent, *Disconvenientia:* nec improbo. Nam et Horatius ep. 1. lib. I. dixit: *Æstuat, et vitæ disconvenit ordine toto.* Et ep. 14. *Non eadem miramur: eo disconvenit inter Meque et te.* Alii legunt, *Nec convenientia*, pro inconvenientia. Sua cuique sponsa, ut in proverbio est. IDEM.

Non minimum] Adverbii loco. IDEM.

Producendum] *Produci* dicuntur, qui evehuntur ad dignitates, commendantur. Senec. præf. Controv. lib. IV. *Nisi illum magnitudo patris non produceret*, sed *abjiceret.* Augustus apud Sueton. Claud. cap. 4. *Quid est quod dubitemus, quin per eosdem articulos et gradus producendus sit, per quos frater ejus productus fuit?* Vide ibi Casaub. GRÆV.

Me excipere] Suscipere in curam tuam, et mihi suffragari ad honores, quibus me dignum putabis. J. F. GRONOV.

Spem transitionis præbendo] Qui simulabat identidem sese jam dediturum et ad nos accessurum, et tamen, cum audiret me venire, ulterius semper recedebat. Lege, *recedendo.* GRON. Nihil quidem ausim contra tot veterum librorum consensum, qui hanc lectionem tuetur, nisi quod in Menteliano, omnia hæc verba omissa sint: tamen non abest, quin in animum inducam scripsisse Cassium, quod nonnullæ editiones præ se ferunt *deducendo*, scilicet ex portu et statione: aut *recedendo*, quod solebant facere pugnam detrectantes, aut ex prælio fugam molientes, ut Iones apud Justinum lib. II. cap. 12. quod proprie vocabant *inhibere remis.* Veteres enim ex prælio marino fugientes, non vertebant navem, ut puppibus quasi tergis inhærere victores possint; sed proram semper obversam habebant hosti, ac sic cessim remigabant ac retro, donec paulatim ex hostium conspectu se subducere possent, ut pridem Viri Doctissimi præceperunt. Dicit itaque Cassius Lucilium reducta classe sæpe spem transitionis fecisse, ejusque rei dedisse signa, sed semper (hoc enim est *neque unquam non*, pro quo vulgarius dicitur *et nunquam non*) simul ac propius illius classem venisset Cassius, recessisse, nec voluisse naves tradere. *Decedere* autem hoc sensu non accipitur. Novi *decedere* præfectos provinciis, præsidia de locis, quæ tenebant, homines *de via, sententia, jure, moribus*, sed classem decedere ponto in adventu hostium, Latinis, si recte memini, non dicitur. GRÆV.

Corycum] Non hic mons intelligitur, ut docti interpretes existimant, sed oppidum Ciliciæ Corycus, *quod portu saloque incingitur, angusto tergore continenti annexum*, ut Mela ait lib. I. 15. IDEM.

Turulius] Qui postea secutus Antonium contra Octavium, tandem contemptæ religionis, Valerio auctore, Æsculapio pœnas dedit. CORRAD.

Græcorum militum numero] Sc. coacto, tantam multitudinem paravit, ut sit instar justi exercitus. J. F. GRONOV.

πάλτῳ] Paltus, oppidum Syriæ, Plin.

Ternis tetradrachmis] Hoc est, duodecim drachmis, seu denariis, qui schellingis Batavorum respondent, venditur medimnus tritici. Nam apud Livium pro *trium fere denariorum in singulis tetradrachmis argenti est pondus*, legendum *quatuor fere denariorum*, ut recte animadvertit Budæus de Asse, et Gronovius de Sestertiis. GRÆV.

Crommyacride] Verba Græca La-

tine prolata. Nam Κραμμύου ἄκρα Cypri promontorium est, auctoribus Strabone et Ptolemæo: ἀκρίς autem diminutiva forma dictum. Cassius, cum Latine loqui vellet, ex duobus nominibus unum fecit, omissa una littera *u*. MAN. Integrum edidit Grævius *Crommyu-acride*.

LENTULUS CICERONI SUO S.P.D. 14

ARG. Exponit res a se gestas: Rhodios accusat: procurationem Asiæ petit: merita sua in remp. commemorat. *Anno* U. C. 710.

Lentulus] Filius Lentuli Spintheris, ad quem sunt libri primi epistolæ. Augur erat, ut lib. XXXIX. scripsit Dio. Quæstor in Asiam profectus erat cum Trebonio proconsule. Quo mortuo, proprætoris nomen assumpserat, quo majore auctoritate sociis imperare posset: nec tamen quæstoris officium intermiserat: itaque proquæstor vocabatur, ut inscriptio docet epistolæ sequentis. MAN.

Mei laboris] Quæsturæ. CORRAD.

Nos et remp. quam valde desperaverint] Quam insolentes erga nos fuerint, quod de rep. et bonis partibus actum putarent. Vide me ad Plin. XXII. 25. J. F. GRONOV.

Et quidem multo parcius scripsi. Mirari noli] Nonnulli hic plura verba inculcant, quæ tradunt in manuscripto codice se invenisse. De quorum fide non dubito: videndum tamen est, an novæ sint, et ab aliquo adpositæ, quod quidem ego facile credo, nam duriusculus in illis sermo est, neque satis concinnus. Existimarunt fortasse imperiti aliqui homines elegantem locutionem *mirari noli* sine illis mancam esse, ideoque quod deesse crediderunt, restituere. *Mirari* autem *noli* arbitror hic dictum, ut in epistola ad Sulpitium, *noli quærere*. Nihil tamen de hac re statuimus. Quid suspicaremur, solum enuntiare voluimus: multæ hujusmodi maculæ sunt in impressis libris, quorum major pars ab aliquo manuscripto fluxit. Accepi postea a doctis viris, qui summo studio has epistolas cum manuscriptis sex septemve exemplaribus contulerunt, in nullo eorum aliter atque in Mediceo legi. VICT. Supposititia illa servavit Lambinus. Sic enim edidit: *Et quidem multo parcius scripsi, quam revera furere eos inveni. Quod vero aliquid de his scripsi, mirari*, &c.

Moverunt] Vocem hanc omittunt Vict. et Grut. Agnoscunt Lamb. et Car. Steph. Sed Manutius, *nec* in me *ullæ*, et subaudit, *fuerunt*.

Fugientem] Ex acie Pharsalica.

Prædicasti] Philippica XI.

Illius facti] Cæsaris cædis, in qua hic Lentulus falso se Bruti et Cassii socium fuisse gloriabatur. CORRADIUS.

Πατρίδα] *Patriam meam magis amans.* Integrum senarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμάτων:

φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὲν μᾶλλον φιλῶ.

Quem dimidiatum, et parva quadam mutatione, Lentulus attulit, MAN.

Pergæ] *Perga* oppidum Pamphyliæ. Vide Plin. V. 27. et Mel. I. 14.

P. LENTULUS P. F. PROQUÆST. PROPR. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SEN. P. Q. R. S. P. D. 15

ARG. Res a se gestas publice memorat; in Rhodios invehitur: de Dolabella grata narrat. *An.* U. C. 710.

Proquæst. Propræt.] Quæstor fuit, vivo proconsule Trebonio: eo mortuo, proquæstoris, et proprætoris nomen assumpsit, præsidio comparato, ut provinciam ab injuria defendere posset. Infra. MAN.

Omnibus] Redundat, judice Grævio.

Divenditis] Manutius, *divexatis*.

Duum millium amphorum] Antiquissimus Grammaticus Julius Romanus admonuit, *Amphorum* dici, cum additur numerus; *Amphorarum*, per se: ut est apud Carisium. MAN.

Hæc] Non est, a quo verbo regatur: et subaudiri videtur, *faciunt*. ID.

Viros clarissimos] Lentulum, et Pompeium. Ep. 14. IDEM.

Maximos magistratus gerentes] Qui antea pari contumelia viros clarissimos affecerant, iidem nunc maximos magistratus cum gerant. MAN.

Neque vestra ex parte] Neque studio vestrarum partium. ID. Quidam legi volunt, *neque ulla ex parte*: et interpretantur, ne ulla quidem ex parte. Ego ex antiquæ scripturæ vestigiis repono, *neque nostræ partis*: subintellige, periculo, seu repete ἀπὸ κοινοῦ. LAMB. Sed præstat lectio Hittorpiani, Stewechiani, Gruter. Amstelod. et mei secundi, *neque nostra ex parte*. Hoc est, quod nostris partibus non erat proficuum. Alii dicerent *neque e re nostra*. GRÆV. Legendum *vestro*. Ut referatur ad τὸ *periculo*. Quod quodammodo ad vos quoque pertinebat. J. F. GRONOV.

Neque nostro præsentium] Cic. pro Planc. X. *Cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas præsentes preces non putas profuisse*. Lib. XI. ad Att. 15. *Solius enim mei peccatum corrigi non potest*. IDEM.

Voluerunt] Sic duo veteres libri: reliqui, *Noluerunt*. Sed Latini sermonis consuetudo postulat, *Voluerunt*. Non enim dicitur: *Neque nostro præsentium, neque imminenti Italiæ periculo mederi noluerunt*. Nam id esset, *mederi voluerunt*: cum ex geminata negatione fiat affirmatio. MAN. Ex omnibus tamen, quos consului multos, nemo, præter Carolum Stephan. et Quarter. Manutio morem gessit. OLIVET.

Demorati esse] Amstelodam. *Demorari esse*. Mallem, *detinuisse nos, et demorari, dum classis*. Non modo nos detinuisse, sed etiamnunc demorari. GRÆV.

Usque Sidam] Ultra non licuit. Nam provinciæ fines præterire leges vetabant. Sida vero in Pamphylia fuit: et Pamphylia ad imperium Asiæ pertinuit. MAN.

16 TREBONIUS CICERONI S.

ARG. Ciceroni patri gratulatur de filio, quem optimis studiis deditum Athenis offenderat. Versus mittit, in civem improbum a se conscriptos: et in libro de Cæsaris interitu sui petit rationem habeat. *Anno* U. C. 709.

Cratippus] Qui Philosophiam peripateticam eximia cum laude Athenis docebat. Ep. 21. lib. XVI. et lib. I. et III. de Officiis. MAN.

Cum magno nostro honore] Ergo non omnia Ciceronis dicta, sed ea tantum, quæ Trebonii cum honore dixerat, in eo libro continebantur. *Dicere dicta*, usitatum apud Ciceronem. IDEM.

Conclusi] Non simpliciter ipsa Ciceronis dicta posuerat; sed præfatus nonnulla in extremo dicta subjunxerat. Quod ep. 21. lib. XV. Cicero declarat his verbis: *Antequam ad me veniatur, risus omnis pene consumitur*. MAN.

Versiculis] Non poeticis, verum oratione soluta. Nam utrique versus dicuntur. IDEM.

Εὐδυβήμονίστερος] Rectiloquentior, hoc est, liberior in loquendo.

Ad tuos sermones] Dialogos: in quos includi volebat. MAN.

Me minimam partem et rei, et amoris tui ferre] Non patieris extremo loco me collocari inter eos, qui Cæsarem occiderunt, et qui a te diliguntur. Laudabis me neque minimum, neque vulgari cum indicio benevolentiæ tuæ. MAN.

17 CICERO CORNIFICIO COLLEGÆ S. D.

ARG. Cornificio Africæ præfecto de Syriaco tumultu, et urbano otio, seu negotiorum cessatione scribit. Librum de optimo genere dicendi

commendat, et suum ipsi studium confirmat. *Anno* U. C. 708.

Collegæ] In auguratu. MAN.

Tumultuosiora] De Q. Cæcilio Basso, et Sect. Julio inter se dissidentibus, et bello ex ea re excitato. Nisi famam de bello Parthico intelligere malimus. CORRAD.

Tibi] Prætori Africæ.

De optimo genere dicendi] Quem librum, *Orator* inscripsit. Ep. 18. lib. VI. et ep. 20. lib. XV. MAN.

Ut doctum hominem] Scripsit et Cornificius de arte Rhetorica, ut auctor est Quintilianus lib. III. IDEM.

Tribuam] Manut. et Lamb. *tribuere*.

CICERO CORNIFICIO COLLEGÆ S. D. 18

ARG. Infrequentiam litterarum excusat, Cornificii prudentiam laudat, gravitatemque: præsentem reip. casum accusat cum Cæsaris excusatione. *Anno* U. C. 708.

Facere] In agendis causis: cum ad extrema primum respondeatis. MANUT.

Cæcilius Bassus] Totam historiam vide apud Dionem lib. XLVII. ID.

Ludis] Quos Cæsar dedit victor ex Hispania reversus. Suetonius. MAN.

T. Plancum] Bursam, Ciceronis inimicum, lege de vi stante rep. damnatum, a Cæsare restitutum. Ep. 2. lib. VII. IDEM.

Laberii et Publii poemata] Mimos. Vide Macrobium lib. II. Sat. IDEM. Vide et Vossium de Poet. Sat. cap. 1. et. 2.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D. 19

ARG. Gratulatur de provincia Syria, Cornificio a Cæsare tributa. Si bellum sit Parthicum, ut Bibuli exemplo se mœnibus includat, per jocum monet. *Anno* U. C. 709.

Bellum, quod est in Syria] A Cæcilio Basso commotum. CORRADUS.

Tenuit] Antiochiæ. Vide ad Atticum lib. VI. ep. 8. extrema.

CICERO CORNIFICIO. 20

ARG. Jocatur, quod Sinuessanæ villæ hospitio uti noluerat. Hæc epistola scripta videtur, quo tempore Cornificius per hæc loca in Africam proficisceretur, ut superioribus præponenda sit. CORRAD.

πάντα] Omnia de omnibus.

Ut es] Quæ tua consuetudo est. MA.

Nec tua ignavia etiam inertiam afferet] Scientiam auget exercitatio, negligentia minuit. Non agendo enim efficitur, ut male agere discamus. Quapropter ignavia parit inertiam, id est agendi inscientiam. IDEM.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D. 21

ARG. Amicum senatorem, ejusque negotia et dignitatem commendat. *Anno* U. C. 709.

Legatione libera] Senatoribus ad sua negotia proficiscentibus concedi solita. Ep. 1. lib. XI. et ad Att. 18. lib. II. MANUT.

Quod idem acceperam] Duas rationes affert, quibus impulsus senatoribus qui in suam provinciam venerant, etiam non rogantibus dederit lictores: et quod ipse cum senator esset, et in aliorum provincias se contulisset, acceperit lictores cum falcibus a præfectis; et quod hoc summi viri facere sint soliti. Mentelianus liber legit, *quod id acceperam et cognoveram a summis viris factitatum*. Quod et ipsum pervulgatæ lectioni præferendum. GRÆV.

22 M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

ARG. Narrat de statu reip. post Cæsaris interitum; et ne provinciam sine senatus-consulto tradat, hortatur. *Anno* U. C. 709.

Collega] In auguratu.

Τυραννοκτόνοι] Tyrannicidæ.

Similem] In tuenda libertate. MANUTIUS.

Censui] Vide Philip. III.

Retinendæ] Ne C. Calvisius in Africam iret, ei traditam ab Antonio, sine Senatus-consulto.

In Sempronio] Infra ep. 25. MAN.

Cherippo] Ep. 30. hujus libri. Hic olim cum Q. Cicerone in Asia fuerat. CORRAD.

Excuses] Quod ei non rescripsi. MANUT.

23 M. T. CICERO P. CORNIFICIO S. D

ARG. Respondet ad ea, quæ Stratorius nuntiaverat de provincia: deinde reip. formam describit. *Anno* U. C. 709.

Acciderunt] Dio, lib. XLVIII. prodidit, T. Sextium, Numidiæ rectorem, impetu in Africam facto, Adrumetum cepisse, et aliquanto post Cornificium prælio victum occidisse. MAN.

Crimen] Dicebat Antonius comprehendisse se domi suæ quos ad se occidendum Octavianus misisset. ID.

Factum] Vere missos ab Octaviano credunt, qui Antonium domi suæ interficerent. Quod Suetonius quoque confirmat in Augusto. IDEM.

Macedonicis] Ex Macedonia profectis. Ibi enim Cæsar eas collocarat, ducturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat. IDEM.

Canutium] Tribunum plebis. *Apud eos*, id est, Ciceronem et similes patriæ defensores. CELLAR.

24 M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

ARG. Ut omni cura in remp. incumbat, hortatur. De legatis scribit ad Antonium missis. Pinarium commendat. *Anno* U. C. 710.

Legati] Missi ad Antonium a senatu, ut Mutinæ obsidionem omitteret. Ep. 8. lib. XI. ep. 4. hujus lib. MANUT.

Dionysii nostri] Opinor esse, qui nominatur ep. 15. lib. IV. ad Att. ID.

25 M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

ARG. Ex litteris Cornificii S. C. factum esse significat: ut in remp. incumbat, hortatur: Lucceio se nulla in re defuturum pollicetur. *Anno* U. C. 710.

Liberalibus] XVI. Kal. Apr. qui dies Baccho dicatus erat. MAN.

Altero vicesimo die] Die vicesimo secundo. Nam, *alter*, secundum obtinet locum.

Quinquatribus] XIV. Kal. Aprilis Minervæ festus dies. Ovid. Fast. III. 809.

Una dies media est, et fiunt sacra Minervæ,
Nominaque a junctis quinque diebus habent.

Non invita Minerva] Feliciter. Jocatur autem in nomine *Minervæ*. MANUT.

Minerva nostra] Nullus est (ut existimo) qui nesciat Ciceronem antequam Roma exiret expulsus a Clodio, simulacrum Minervæ, quod domi suæ longo tempore religiosissime coluerat, in Capitolium detulisse, ibique dedicasse, cum in basi inscripsisset *Minervæ custodi urbis*. Vide Dion. lib. XLV. VICTOR.

Cum offensione summa Minotauri] Quod valde doluit Calvisio, qui tuam provinciam sibi desponderat, et ejus

individuo sodali Statilio Tauro. Sed priusquam eos nominet, junctim ambos vocat Minotaurum, id est portentum, quod Pasiphae Minois uxor edidisse ferebatur, et confecisse in Labyrintho Theseus, significans, hos duos non minus malum et portentum esse in rep. quam Minotaurus in Creta insula. J. F. GRONOV.

Obtinendis] Ab iisdem, qui obtinerent. Supra ep. 22. MAN.

Absens obtinebat] Per legatos: cum ipse (Calvisius) ad urbem esset cum imperio. Revertit autem in urbem, deposito imperio. Vide ep. 30. ID.

Honestissimoque convicio] Ad Att. I. 14. *Cato advolat, convicium Pisoni Consuli mirificum facit, si id est convicium, vox plena gravitatis.* J. F. GRONOV.

Rapiebar] Post Cæsaris necem, vexata ab Antonio consule rep. Ep. 1. lib. X. Phil. 1. Off. libro primo. *Rapiebar*, summam voluntatem discedendi ex Italia demonstrat. Discessit autem ea mente, ut adesset Kal. Jan. quo die novi consules, Hirtius et Pansa senatum habituri erant. MANUTIUS.

Etesiæ] Venti euntibus in Græciam secundi, in Italiam adversi. Vide epist. 15. lib. II. IDEM.

Tribules tuos] Municipia, quæ civitate donata fuerant, suffragiorum causa, certæ tribui singula adscribebantur. De Regio, supra, VII. 19. CELLAR.

Elicere vellet ad cædis causam] Nam, a. d. XIII. Kal. Oct. ideo Ciceronem Antonius adesse jussit in senatu, ut ab eo cædis initium faceret. Quod Cicero suspicatus, in senatum non ivit. Hoc dilucide narratur Phil. V. et ep. 2. h. l. MAN.

Terentius] Andr. I. sce. II. 18.

P. Lucceium] Quis non videt initium esse alterius epistolæ? cum infra de Pansa mortuo, supra de vivo fiat mentio. De eodem Luceio ep. 39. MAN. Illud quidem affirmare possumus in pervetere libro hanc epistolam, et sequentes ita conjunctas, atque adeo confusas fuisse, ut nullius principium appareret. Unde liberum unicuique fuit, ad suum arbitrium eas describere et dividere. CORRAD.

CICERO CORNIFICIO S. D. 26

ARG. Heredes Q. Turii de bonis in Africa relictis, commendat. *Anno* U. C. 709.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO S. P. D. 27

ARG. Aufidii, Equitis Romani, Africana negotia commendat. *Anno* U. C. 709.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO S. P. D. 28

ARG. Quod Cornificius in eos, qui Lilybæo minati fuerant, non animadverterat, leviter reprehendit: contra laudat ejus in remp. studium; addit de pecunia et republica. *Anno* U. C. 710.

Lilybæo] Tria Siciliæ promontoria, Pelorus in Italiam spectans, Pachynum in Græciam, Lilybæum in Africam. MANUT.

Ne nimis liber in ulciscendo] Amstelodam. meus secund. Stewech. Pal. pr. *ne minus liber in ulciscendo viderere.* Et sic in sequentibus Amstelodam. Hittorp. Stewech. Pal. sex. Mentel. meus secundus, *Metuisti igitur ne gravis civis, ne minus fortis, ne minus te dignus viderere.* Quæ lectio omnino melior est vulgata. Sententia est, se metuisse, ne si pœnas sumpsisset de iis qui Lilybæo insidiati sint, fecisset hoc magis alterius, cui obnoxius erat, causa, quam reipublicæ, neve aliter fecisset quam gravem civem, et virum fortem deceret, quodque se esset indignum. Quid est ni-

mis se dignus? GRÆVIUS. Mihi vero Græviana emendatio præ vulgata sordet. OLIVET.

A patre] Q. Cornificius, pater, Ciceronis in Consulatu competitor fuit. ASCONIUS, *in Tog. cand.*

Appellaretur] Sic unus omnino vetus liber, et recte. Quanquam et, *Appellaret*, sententiam habet, sed, ut arbitror, minus aptam. Potius enim pro alicujus dignitate senatus appellatur, quam appellat. MAN.

Absentibus] Mutinam profectis ad D. Brutum obsidione liberandum. IDEM.

Tibi ex S. C. imperandum] Quoniam tibi S. C. imperium est datum, potes mutuam sumere pecuniam, nempe ut milites alere possis. IDEM.

Quibusdam] Si hæc epistola scripta est ante prælium Mutinense, notat eos, qui Antonii causam in senatu defendebant, ut Calenum, et alios: si post, Lepidum, et eos qui Octavianum, cæsis Hirtio et Pansa, in spem consulatus impulerant. MAN.

29 M. T. CICERO Q. CORNIFICIO S. P. D.

ARG. Lamiæ negotia commendat: eum suspectum Cornificio excusat. *Anno* U. C. 710.

Familiam] Servos. MANUT.

Semproniano] Supra, epist. 19. et 25.

30 M. T. CICERO CORNIFICIO S. P. D.

ARG. Silentium litterarum, præter litigantium commendationes, excusat: de renovato bello scribit: et de angustiis pecuniæ publicæ. *Anno* U. C. 710.

Renovatum bellum] Lepidi scelere, qui Antonium recepit. MAN.

Tributo] Quod impositum populo non erat post devictam ab Æmilio Paulo Macedoniam. Libro secundo Off. MAN.

Attio] Si est idem, de quo in ep. 24. *Attico* legi malim, quam *Attio:* ut ab Attico et cognomen, et nomen acceperit. Quod etiam Corrado placuit. IDEM.

Magistris] Cum bona alicujus in auctione venirent, ut inde aut hæredes aut creditores caperent partes, de eorum sententia legebatur, qui præesset illi auctioni. Is dicebatur *magister*. GRÆV.

Venuleio, Latino, Horatio] Legatis C. Calvisii, per quos Africam provinciam absens obtinebat. Ep. 25. MANUTIUS.

Laudo] Quod lictores illis ademeris. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER XIII.

1 M. T. CICERO C. MEMMIO S. P D.

ARGUMENTUM. C. Memmius, qui tribunus pl. Lucullos triumphaturos vexaverat, (*Plutarch.* in *Luc.*) et prætor ab Cæsare rationem gesti consulatus repetierat, (*Sueton.* cap. 23.) damnatus lege de ambitu, (*ad Att. IV. epist. ult.*) exulabat Athenis, sed antequam Cicero in provinciam

iturus adveniret, discesserat Mitylenas. Ab hoc ergo per litteras petit, ut in gratiam cum Patrone Epicureo redeat, eique locum concedat, ubi Epicurus habitaverat. *Anno* U. C. 702.

De suis commodis et præmiis] Quænam hæc sint commoda et præmia, divinare non licet: nisi si, quod inter Epicureos excelleret, commoda sibi aliqua et præmia postulavit: qua de re lite orta, Romam venit, et patrono in primis Cicerone, quæ voluit, et senatu consecutus est. MAN.

Phædro] Epicureo, quem cum Attico frequenter audivi. CORRAD.

Philonem] Academicum. IDEM.

Ædificationis tuæ consilium] Areopagitæ, decreto facto, Memmio concesserant, ut ædes Epicuri veteres, quas Cicero ut in contemptionem adduceret, *parietinas* vocavit, commodi sui gratia exædificare posset. MANUT.

Gentem illam] Græcam. CORRAD.

Testamentorum jus] Tuenda enim testamentorum jura sunt. Hoc dicit, quia suos hortos Epicurus, in quibus habitare ac docere solitus erat, amico suo Metrodoro moriens testamento reliquerat, eo jure, ut post ejus obitum ad alios Epicuræ sectæ principes possessio perveniret. Laertius. MAN.

Phædri obtestationem] Obtestatus erat Phædrus, cum viveret, ne hortos Epicuri negligerent, neve occupari a quoquam sinerent. IDEM.

Non quo sit ex istis] Hoc dicit, ut Attico petenti auctoritatem augeat; non quod is revera Epicureus non esset. Ep. 19. lib. V. ad eum, et lib. I. de Leg. IDEM.

Ὑπομνματισμόν] Ad rei memoriam litteris mandatum. IDEM.

CICERO MEMMIO S. 2

ARG. Petit, ut Evandro statuario de sacrarii habitatione accommodet. *Anno* U. C. 702.

Sacrario] Parte ædium urbanarum exulis C. Memmii. Nam *sacraria* non modo in sacris ædibus, verum in profanis etiam esse poterant, loca quædam consecrata, vel ubi sacræ res custodirentur, vel ubi sacra gentilitia fierent. MAN.

Subitum est] Nimis angusta præfinita dies facit, ut subitum sit incommodum ob temporis brevitatem. IDEM.

Kal. Quint.] Præfinita Evandro die, qua e sacrario migraret. Kalendæ Quintiles in Urbe primus erat locationum dies. Ad Q. Fr. ep. 3. lib. II. *Post Kal. Quint. in tuam domum commigrabis*, hoc est, finito locationis tempore demigrantibus iis, quibus eas locaveras. IDEM.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. D. 4

ARG. Cum Cæsar, victor civilium bellorum, agrum militibus divisurus esset, eique negotio præfecisset Q. Valerium, huic Volaterranos commendat, ne illorum ager divisioni subjiciatur. *Anno* U. C. 708.

Beneficio] Quod legem a tribunis pl. promulgatam, de agris eorum dividendis, perferri consul non sum passus. Infra. MAN.

Primo] Quibusdam libris deest. Grævio videtur glossema. CELLARIUS.

In lege Agraria] Quam de agro Campano et Stellate dividundo tulit. MANUT.

M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ, LEG. PROPRÆT. S. P. D. 5

ARG. Ne ager C. Curtii dividatur, rationibus et argumentis rogat. *Anno* U. C. 708.

Cæsar] Senatores bellum civile abstulerat, in quorum locum legit ex sua secta, etiam peregrinis adscitis. *Suet.* CELLAR.

Tueri vix potest] Nemo enim senator esse poterat, nisi DCCC. millia possideret. Suetonius in Augusto. MAN.

6 M. T. C. Q. VALERIO, Q. F. ORCÆ. PROCOS. S. P. D.

ARG. Cuspii amicos generatim omnes commendat, nominatim L. Julium et P. Cornelium. *Anno* U. C. 708.

Procos.] Supra proprætor est dictus: sed tunc præpositus erat a Cæsare agris dividundis: nunc Africam administrat, et proconsul vocatur, licet consulatum non gesserit. MAN.

Societatis] Publicanorum, qui Africæ vectigalia exigebant. MAN.

Notam] Inter Ciceronem et Valerium in Africam proficiscentem convenerat, ut, quibus litteris ei Cicero aliquem vere atque ex intimo animi sui sensu, non ex aliorum voluntate, commendaret, signum quoddam apponeret, ut graves commendationes a levibus distinguerentur. IDEM.

Exprompseris] Man. *expresseris.*

7 M. T. CICERO CLUVIO S. P. D.

ARG. Petit a Cluvio, ne municipii Atellani vectigalis ager dividatur, sed causam integram Cæsari reservet. *Anno* U. C. 708.

Galliam] Cisalpinam. MAN.

Vectigali] Qui vectigal Atellanis pendit. Quamvis enim in Campania est Atella, tamen agrum etiam alibi potuit possidere: sicut de Arpinatibus ex hujus libri ep. II. confirmatur. CELLAR.

Non judicium] Non arbitrium. ID.

8 M. T. CICERO M. RUTILIO S. P. D.

ARG. Rutilium rogat, ut in agrorum divisione Albini prædia ne attingat. *Anno* U. C. 708.

P. Sextium] Qui tribunus pl. Ciceronem ab exilio reduxit. MAN.

Prædia in æstimationem accepit] Hoc est, Liberii prædia pro debito accepit æstimata tanti, quanti erant ante bellum civile. Vide superius lib. IX. ep. 16. et 18. et lib. V. ep. 20. Sic enim Cæsar satisfieri volebat creditoribus ab iis, qui non erant solvendo. Vide Suet. Jul. cap. 44. GRÆVIUS.

9 M. T. CICERO CRASSIPEDI S. P. D.

ARG. Crassipedi, Bithyniæ quæstori, Bithynicam publicanorum societatem, in primisque Cn. Pupium commendat. *Anno* U. C. 702.

Socios] Publicanos. CORRAD.

Ex cæteris societatibus] Cum essent multæ publicanorum societates, ex omnibus Bithynica constabat. MANUTIUS.

Men.] Cives Romani a tribu ostendi soliti, quæ quidem tribus plerumque in antiquis et lapidibus et libris prima tantum syllaba scripta legitur. Hinc *Men.* est Menenia tribu. Vide lib. VIII. ep. 8. GRÆV.

In operis] Hoc est, inter ministros societatis, qui ejus res gerebant. *Opera*, ministri, mercenarii. CELLAR.

10 CICERO BRUTO S.

ARG. M. Bruto, quem Cæsar, in Africanum bellum profecturus, Cisalpinæ Galliæ præfecerat, *lib. VI. ep.* 6. M. Terentium Varronem, quæstorem sorte datum, diligentissime commendat. *Anno* U. C. 707.

M. Varro] Manutio ille doctissimus Romanorum est, qui de re rustica, et pluribus aliis scripsit. At ille piratico bello Pompeii classibus præfuerat (*Plin.* III. 11. VII. 30.) et ejusdem legatus in Hispania ulteriore, exercitum et provinciam rexerat (*supra, lib.* IX. ep. 13.) ut dubites, nunc demum Bruti juniores quæstorem fieri voluisse. Præterea eo in-

genio et doctrina fuit, ut doctissimo Bruto ignotus esse non potuerit, aut cui amicitiæ fores primum Tullius aperiret. Alium ergo vel hujus, vel mutati prænominis commendari crediderim. CELLAR.

Liberorum necessitudini] Epist. 26. et in Divinatione, et in Orat. pro Plancio. MAN.

In forum venit] Cum prætexta deposita, virilem induit, et in virorum numerum est transcriptus, pro quo in lib. XV. ep. 16. dicitur *forum attigere*. Vide et superius lib. V. ep. 8.

Ut se corroboravit] Ut ad virilem ætatem accessit. Sic in Orat. pro Cælio: *Cum is jam se corroboravisset, ac vi inter viros esset*. In eadem, *Non modo hæc ætas, sed etiam corroborata*, id est, non modo adolescentes, sed etiam viri. Et supra ejusdem orationis initio, eos, qui non, ut Cælii accusator, adolescentes essent, sed viri, *robustiores* appellavit. Alibi etiam in hanc sententiam eodem verbo usus est. Inde *Robusta ætas*. MAN.

In hoc studio nostro] Philosophiæ. CORRAD. Eloquentiæ. MAN.

In utrisque subselliis] In publicis, privatisque causis, id est, in majoribus, et minoribus. Sunt enim subselliorum, si habetur hominum ratio, tria genera: si causarum, duo. Nam et judices, et patroni, et accusatores in subselliis considebant: causæ vero vel de publicis rebus erant, vel de privatis. MAN. Imo *in utrisque subselliis* est, et patronus fuit, et judex. GRÆVIUS.

Petitioni] Honorum. An etiam gesserit, incertum, quia nunc tandem quæsturam gerit, qui primus gradus honorum erat. CELLAR.

His temporibus] Post cladem Pharsalicam. Brundusii autem Cicero Cæsarem, saltem reconciliationem ejus, expectabat. Supra, lib. XI. ep. 27. IDEM.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D 11

ARG. Commendat Bruto vectigalia, quæ Arpinates in Gallia habebant; et legatos, qui ad ea exigenda proficiscebantur. *Anno* U. C. 707.

Nec alius ullus] In aliis enim municipiis vel dictator creari solebat, ut Lanuvii; (orat. pro Milone) vel consul, ut Tusculi, &c. MANUT.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D. 12

ARG. Q. Fufidium, Arpinatis municipii legatum, qui tribunus militum in Cilicia fuerat, diligenter commendat. *Anno* U. C. 707.

Comminuam] Man. *deminuam*.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D. 13

ARG. L. Castronium, Lucensem municipem, commendat. *Anno* U. C. 707.

M. T. CICERO BRUTO S. P. D. 14

ARG. Petit ut exactionem ejus pecuniæ, quam L. Straboni P. Cornelius debet, suo studio et diligentia curet. *Anno* U. C. 708.

Volcatio] Prætore urbano.

M. T. CICERO C. CÆSARI IMP. S. P. D. 15

ARG. Præcilium adolescentem, patre natum Cæsaris amicissimo, commendat. Cæsare VI. Cos. sine collega. *Anno* U. C. 708.

Hem, hic ille est] Insignis ad movendum locus: tum quia sensus Præcilii et studium erga Cæsarem declaratur: tum etiam, quia Cicero,

qua sibi re offensum Cæsarem putat, in ea dat operam, ut illum sibi, erroris confessione, reconciliet. *Hem*, particula non delentis, sed indicantis potius: ut Phil. V. *Hem causam, cur lex tam egregia ferretur, ut eos judices*, &c. Terentius in And. *Obsecro te, quamprimum hoc me libera miseram metu. D. hem libero.* In And. *Hem tibi, rescivit omnem rem.* Et alibi. Similiter Plautus in Asin. *Hem nunc, si velis da, commoda homini amico.* Et in Capt. *Hem mihi jam otium est.* Et alibi. MANUT.

Ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν] *Sed meum nunquam animum in pectoribus persuaserunt.* Odyss. ά. 258.

Nostros proceres] Pompeianos. *Proceres* vocat cum ironia: qui defendi a se remp. gloriarentur. MAN.

Ἄλκιμος ἴσσ'] *Fortis esto, ut aliquis te et posterorum laudet.* Odyss. ά. 302.

Ὡς νεφέλη] *Sic nebula occultavit atra.* Id est, ita non vidi, quod utilius mihi fuit: ita mihi quasi nebula quædam videndi facultatem ademit. Od. ά. 314. IDEM.

Etiamnum gloria] *Etiamnum*, non placet: videtur enim abundare, cum jam dictum sit, *etiam*. Veterum librorum varietas dubitationem mihi quidem non parvam affert. Placuit olim, *Inani gloria:* placet idem nunc, ita si docti viri probant. Non enim is sum, qui meas opiniones mordicus retineam. IDEM.

Μὴ μὰν ἀσπουδί γε, &c.] *Ne ignaviter, et sine gloria peream, sed magno aliquo edito facinore, quod a posteris audiatur.* Iliad X. 304.

Μισῶ σοφιστήν] Vide Ennianum carmen Ep. 6. lib. VII. Odi igitur istos Pompeianos sapientes, qui sibi non sunt sapientes, cum tecum adhuc pugnent. CORRAD.

Ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω] *Simul a fronte et a tergo.* Præterita simul et sequentia inspicere: quod qui facit, errare non potest. Facit autem is, aiebat Præcilius, qui cum Cæsare, opibus, honoribus, gloria florentissimo, non contendit. MAN.

Αἰὲν ἀριστεύειν] *Semper egregie se gerere, et aliis antecellere.* Iliad. ά. 208.

Genere novo] Ob interpositos Græcos versus. IDEM.

16 M. T. CICERO C. CÆSARI IMP. S. P. D.

ARG. Apollonium P. Crassi libertum, Cæsari in Hispania contra Pompeii filios bellum gerenti, commendat. *Anno* U. C. 708.

Ex eo] Forte, *de eo*. J. F. GRONOVIUS.

17 M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D.

ARG. Manium Curium Servio Sulpicio, Achaiæ præsidi, commendat. *Vide lib.* VII. *epist.* 29. *Anno* U. C. 707.

Patris] Quæ urbs est in Peloponneso.

Post mea] Manutius conjiciebat: *Quam maximus potest, mea*, &c.

18 CICERO SERVIO S.

ARG. Gratias agit, quod optima in Atticum voluntate sit, quem dum commendari dicit necesse non esse, eo ipso valde commendat, quo Servius ei neque in Epiroticis, neque in aliis rebus desit. *Anno* U. C. 707.

Quod] Si enim id mea causa fecisses, gratias ipse agere deberem: cum vero ipsius causa feceris, ad eum pertinere gratiarum actio videtur. Quanquam ne ille quidem gratias debet agere: non enim ab eo rogatus, aut admonitus, sed ultro ipse nec opinanti voluntatem ei tuam tantam per litteras detulisti. Itaque gratiarum actio nulla æquare potest officium tuum. MAN.

Epiroticis] Possessiones in Epiro Atticus habuit, ut epistolæ ad eum

scriptæ, et Nepos in vita demonstrat. Epirus autem hoc tempore ad imperium Sulpicii, Achaiam regentis, pertinuit: antea Macedoniæ provinciæ pars fuit: ut ostendit oratio in Pisonem. IDEM.

M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D. 19

ARG. Rogat, ut Lysonem, quem antea commendaverat, in fidem et necessitudinem recipiat. *An.* U. C. 707.

Quas Cæsar ad te dedit] Potest eas litteras Cæsar in Hispania scripsisse: sed verisimilius est, in Urbe: cum dicat Cicero, *Et nostro, reliquorumque hospitum studio.* Quod si ita est, ivit Sulpicius in Achaiam, antequam in Hispaniam; (ep. 4. lib. IV.) mansit usque ad exitum belli. Nam, ut diximus jam, Cæsar et Sulpicius, hic ex Achaia, ille missis ex Hispania litteris, in obitu filiæ consolati sunt. MAN.

C. Memmius Gemellus] Potest esse is Memmius, ad quem supra leguntur Ciceronis epistolæ. Nam et prænomen idem est, et exulavit uterque. IDEM.

Patrensis civis] Amissa Romana civitate. Nam duarum civitatum civis esse nemo poterat. IDEM.

CICERO SERVIO S. 20

ARG. Asclaponem medicum commendat. *Anno* U. C. 707.

Medico] Medicinam Romæ ingenui homines, ut artem illiberalem, non colebant. MAN.

Meorum] Tironis, quem ex Cilicia decedens ægrum Patris reliquit, ep. 1. 6. 9. lib. XVI. IDEM.

M. T. C. SER. SULPICIO S. P. D. 21

ARG. M. Æmilii rem familiarem, et imprimis libertum ejus Hammonium commendat. *Anno* U. C. 707.

In omni genere officii diligendus] Non delector mutatione: facio tamen libenter, ut in locis mendum redolentibus testificer sententiam meam. *In omni genere officii diligendus*, ferri potest, et eo magis, quod omnes libri veteres consentiunt; veruntamen, quia *Diligens*, et *Diligendus*, non admodum diversa sunt; scripsi olim, nihil tamen affirmans, magis mihi placere *Diligens*, quam *Diligendus*: ut mentio fiat in officio diligentiæ potius quam amoris, ex consuetudine Ciceronis: quam si quis contemnit, eum a me dissentire nec miror, nec moleste fero. Ciceronis hæc sunt, pro Plancio: *In omni officio diligentissimus.* Pro Cælio: *Viro omnis officii diligentissimo.* Pro Cluentio: *In omnibus officiis retinendis diligentior esse nemo potest.* MAN. Edidit Grævius, *et omni*, &c. deleto *in*.

CICERO SERVIO S. 22

ARG. T. Manlium suo et Varronis nomine commendat. *Anno* U. C. 707.

Thespiis] Urbs Bœotiæ, sub Helicone, ad sinum Crisseum, Musis sacra. GRÆV.

CICERO SERVIO S. 23

ARG. Cossinium Anchialum libertum commendat. *Anno* U. C. 707.

CICERO SERVIO S. 24

ARG. Gratias agit, quod sua commendatione Lysoni offensionem remiserit: deinde rogat, ut eum omnibus officiis complectatur. *An.* U. C. 707.

25 CICERO SERVIO S.

ARG. Hagesaretum breviter, sed accurate commendat. *An.* U. C. 707.

26 CICERO SERVIO S.

ARG. Mescinii Rufi Achaica negotia commendat. *Anno* U. C. 707.

Eli] Nonnullis visum est rectius hic *Elide* legi, quam *Eli*, adeo ut in posteriorum editionum codicibus ita fere scriptum sit: quod miror, cum frequenter hujus urbis nomen in obliquis casibus parem syllabarum numerum cum recto habeat. Plinius lib. XVI. (edit. Hard. Tom. II. pag. 7.) *Sunt qui fœminam Ilicem vocent, atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur, ut in carpentariis præcipue fabricis, ut circa Elim et Lacedæmonem.* Eadem ignorantia decepti ita emendarunt hunc locum in III. de Natura Deorum, *Venus prima Cælo et Die nata, cujus Elide delubrum vidimus:* cum in veteribus exemplaribus ibi etiam *Eli* legatur. VICT.

Disceptatore] Rei, quæ in controversiam vocatur, moderatore. In Partitionibus hoc verbum Cicero ipse interpretatur: *Aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est rei sententiæque moderator.* Eo usus est Asinius, cujus hæc recitat Quintil. lib. IX. cap. ult. *Si, Cæsar, ex omnibus mortalibus, qui sint ac fuerint, posset huic causæ disceptator legi, non quisquam te potius optandus nobis fuit.* MANUT.

27 CICERO SERVIO S.

ARG. Gratias agit, quod Avianum commendatione sua liberaliter tractasset: eumque commendat iterum. *Anno* U. C. 707.

De eadem re alio modo] Est formula Jurisconsultis antiquis usitata in præscribendis actionibus, cum ostenderent ejusdem rei consequendæ vias complures esse, et actiones varias posse institui. Ideo Cicero ad S. Sulpicium, Jurisconsultum primarium, scribens, ait, *ut soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo.* BRISS.

Cum tuo Servio] Ep. 3. lib. IV.

28 CICERO SERVIO S.

ARG. Agit gratias quod Mescinio commendatio sua profuerit, rogatque ut pergat ei bene facere. Deinde commendat Lacedæmonios. *Anno* U. C. 707.

Studia] Philosophiæ. MAN.

Amplius eo nomine non peti] Est solemnis formula Jurisconsultorum, ad quam etiam Cicero alludit in Bruto: *Mihi quoque, inquit Brutus, et expectanda sunt ea quæ Attico polliceris, et fortasse ego a te hujus voluntarius procurator petam, quod ipse, cui debes, se incommode exacturum negat. At vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum.* GRÆV.

Illud quod supra scripsi, id tibi confirmo] *Id*, non abundat, sed additum confirmationis gratia: ut epistola quinquagesima septima: *Illud, quod tecum et coram, et per litteras diligentissime egi, id et nunc etiam atque etiam rogo.* Et lib. VII. ep. 26. *Lex sumptuaria, quæ videtur* λιτότητα *attulisse, ea mihi fraudi fuit.* Et pro Cælio: *Illud tempus ætatis, quod ipsum sua sponte infirmum, aliorum libidine infestum est, id hoc loco defendo.* Plautus in Pseud. *Tibicinam illam, tuus quam gnatus deperit, eam circumducam lepide.* MAN.

M. T. CICERO L. PLANCO S. D. 28

ARG. Capitonem pro Antistii hereditate diligentissime commendat. *Anno* U. C. 707.

Planco] Cum Cæsare in Africa contra Scipionem et Jubam regem pugnante. Hic est, ad quem sunt epistolæ lib. X. MAN.

Patre] Ep. 4. lib. X.

Patuit] Manutius, *paruit*.

Cum signaretur] Pompeii jussu.

Ex parte dimidia, et tertia] Tota hereditas nomine assis avocatur, partes autem hereditatis partibus assis. Dividitur in unciam, sextantem, quadrantem, trientem, quincuncem, semissem, septuncem, bessem, dodrantem, dextantem, deuncem. Pars igitur hereditatis dimidia, et tertia, si ab assis partibus vocetur, erit semis, et triens, vel, unico vocabulo, dextans. Quanquam neque dextantem, neque deuncem, neque quincuncem, septuncem, bessem, pro partibus hereditatis usurpari a veteribus video: sed tantum hæc, unciam, sextantem, quadrantem, trientem, semissem, dodrantem, assem. MANUT.

Publica potest esse] Antistii bona, ut Pompeiani, publica esse, victore Cæsare, debebant. Partem Capitoni relictam Cicero conservare conatur, adjutore Planco. Reliquum sextantem, ait, posse Cæsarem capere, nulla cujusquam querela, fortasse quod ii, quibus sexta hæreditatis pars legata fuerat, Pompeianarum partium fuissent: Cum Capito abstinuisset omnino ab armis, Cæsaremque potius quam Pompeium dilexisset. ID.

In me ipso experiri] Quanti Cæsarem fecerit Capito, in me ipso sum expertus. Quod enim fuerim moderatior, ac temperatior in civili bello, quam quisquam Pompeianus; id auctore Capitone potissimum feci. ID.

Munitus] Hunc locum vacare mendo, persuaderi mihi vix potest. ID.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 30

ARG. L. Manlium in fraterna hereditate commendat. *An.* U. C. 707.

Sosis] Est Siculum Manlii nomen, quod solum habuit antequam civitate donaretur. Qui enim peregrini Romanam civitatem assequebantur, eorum assumebant et prænomina, et nomina, quorum opera et beneficio cives Romani facti erant, vetere nomine conservato. MAN.

Fuit Catinensis] Esse desiit, posteaquam in municipium Neapolitanum adscriptus est Civis enim duarum civitatum esse nemo potest. ID.

Erat enim] Rationem affert, quo modo Catinensis cum fuerit, civis Romanus factus sit. Quo tempore, inquit, sociis et Latinis data civitas est, (datam esse lege Julia, ostendit Cicero, in oratione pro Balbo) adscriptus jam erat Manlius in municipium Neapolitanum: ita cum reliquis Neapolitanis civitatem est adeptus. IDEM.

Est hodie in bonis] Argumentum, cur nullam sit habiturus de ea hereditate controversiam: quia nemo prohibuit, quo minus eam adiret: cum facilius esset excludere, quam de possessione dejicere. *Esse in bonis, esse in possessione bonorum, bona possidere,* et idem sunt, et æque Tulliana. ID.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 31

ARG. Flavium, Pisonis generi sui pernecessarium, commendat. *An.* U. C. 707.

M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D. 32

ARG. Hospites suos Archagathum et Philonem commendat. *Anno* U. C. 707.

Hulcina] *Hulcua*, quæ et *Acua* et

Halæsa scribitur; urbs Siliciæ est ad fluvium *Halæsum*, in colle octo stadiis a mari remoto. Hodie non nisi rudera et vestigia quædam ejus urbis supersunt, de qua vide Diodor. Sic. lib. XIV. GRÆV.

Archagathum, et Philonem] M. Clodium Archagathum, C. Clodium Philonem. Horum cognomina Græca sunt, prænomina vero et nomina Romana. Primum enim Siculi cum essent, civitatis Romanæ jus adepti, simul appellationem susceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. MAN.

33 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Nasonis libertos et negotia commendat. *Anno* U. C. 707.

Ordinis] Equestris forsan: sed Manutius *conditionis*, aut *sortis* interpretatur.

34 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Lysonem Lilybætanum commendat. *Anno* U. C. 707.

35 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Philoxenum, hospitem et familiarem suum commendat. *Anno* U. C. 707.

Meo beneficio] Me rogante. MAN.

In Novocomenses retulit] In eos, quos Novumcomum deductos in primo consulatu civitate donavit. Ii fuere quinque millia, et Græci maxime illustres quingenti. Philoxenus autem Græcus, quia Siculus. Suetonius et Strabo. Postea vero dictator idem Cæsar transpadanos omnes, ut ait Dio, civitate donavit. IDEM.

Aviano] De quo infra, 75, et 79.

36 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Demetrium Megam in jure civitatis commendat. *An.* U. C. 707.

Tabulam] Æneam. MANUT.

Revelli] Ne valeret. IDEM.

37 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Commendat Hippiam in liberatione bonorum. *An.* U. C. 707.

Calactinum] Calacta est oppidum Siciliæ ultra Alæsam. In secunda Verrina *Calatini* male scribi pro *Calactini*, docet Cluv. de Sicil. antiq. II. 3. GRÆV.

Publice possidentur] Legem apud Calactinos fuisse crediderim, quæ vetaret, ne quidquam publice, nisi publico nomine possideretur. Hippiæ autem bona alieno nomine, puta cujuspiam absentis, vel pupilli, publice possidebantur. MAN.

38 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Bruttii negotia procuratoresque commendat. *Anno* U. C. 707.

39 M. T. C. ACILIO PROC. S. P. D.

ARG. Titurnium Rufum commendat. *Anno* U. C. 707.

40 M. T. C. Q. ANCHARIO Q. F. PROC. S. P. D.

ARG. Aurelios fratres proconsuli Macedoniæ commendat. *Anno incerto.*

Quod scio multas] Potest legi *quas*

scio: potest et τὸ *plurimum* deleri. Potest et *quod* accipi supervacuum, ut in *quod nisi, quod si, quod utinam.* J. F. GRON.

M. T. C. L. CULLEOLO S. P. D. 41

ARG. Gratias agit et suo et Pompeii nomine pro Culleoli erga Lucceium benignitate: eundemque denuo commendat. *Anno incerto.*

M. T. C. L. CULLEOLO PROC. S. P. D. 42

ARG. Eundem Lucceium commendat Culleolo. *Anno incerto.*

Bulliones] Sic omnes libri veteres, pro *Bylliones:* interdum tamen Græca littera *Y* servatur, ut in *Pyrrhus, Phryges:* quod Cicero, contra veterem consuetudinem, probat in libro de perfecto oratore. Populi sunt supra Epidamnum, a Byllide, sive Bullide urbe, quæ est in Illyrico. Dicuntur Bullienses, *in Pison.* 40. ubi F. Ursinus rescribebat *Bullidenses,* ex Bullide, seu Byllide, quæ memoratur *Phil.* XI. 11.

M. T. C. QUINTIO GALLO S. P. D. 43

ARG. Oppium Gallo commendat, Egnatii negotia procurantem. *Anno incerto.*

Gallo] Victorius, *Gallio.*

Philomeli] Philomelium oppidum magnæ Phrygiæ. Sup. lib. III. ep. 8.

Litterarum aliquid] Aut nondum ingressus fuit provinciam, ad quam se parabat: aut e provincia litteras jubetur mittere, quæ polliceantur quod Oppius petiturus erat. CELLARIUS.

CICERO GALLO S. 44

ARG. Eundem Oppium eidem Gallo commendat, una cum Egnatii negotiis. *Anno incerto.*

M. T. C. APULEIO PROQUÆSTORI S. P. D. 45

ARG. Egnatii servum et negotia Apuleio, proquæstori Asiæ, commendat. *Anno incerto.*

M. T. C. APULEIO PROQUÆSTORI S. P. D. 46

ARG. Nostium coheredem commendat. *Anno incerto.*

M. T. CICERO SILIO S. P. D. 47

ARG. Egnatium, communem amicum, commendat. *Anno* U. C. 702.

Illa nostra scilicet ceciderunt] Abierunt illa tempora, cum et dignitate, et honoribus, et hominum amplissimorum amicitiis in rep. florebamus. Consolemur igitur nos, non exquisita aliqua ratione, sed quo modo solet vulgus: cujus hæc fere in adversis rebus est sententia: *Quid, si hoc melius?* MAN.

M. T. C. C. SEXTILIO RUFO, QUÆST. S. P. D. 48

ARG. Ciliciæ quæstori omnes Cyprios, et in primis Paphios commendat. *Anno* U. C. 698.

A me] Tunc procos. in Cilicia, quam qui obtinebat, Cyprum etiam obtinebat. Ep. 6. lib. I. CORRAD.

49 CICERO CURIO PROCOS. S. P. D.

ARG. Q. Pompeium ita proconsuli Curio (cujus est lib. VII. epist. 29.) commendat, ut quasi propter familiaritatem postulet. *Anno incerto.*

50 M. T. CICERO AUCTO PROCOS. S. D.

ARG. M. Curium commendat, ut ab omni incommodo, detrimento et molestia integrum conservet. *Anno* U. C. 709.

Auctoi] Al. *Aristo.* Etsi neutrum nomen memini me apud scriptores frequenter legere, facile tamen adducor, ut credam hunc Servii Sulpitii in Achaia successorem fuisse. CORRADUS.

Brundusii fuimus] Post victum Pompeium. Sic enim existimo. ID.

Ex mea amicitia] H. Stephanus non male legit, *ex eu amicitia.* GRÆV.

51 M. T. CICERO P. CÆSIO S. D.

ARG. P. Messienum commendat Cæsio. *Anno incerto.*

52 CICERO REGI S. D.

ARG. Hospitem suum, Licinium Aristotelem, commendat. *Anno incerto.*

Regi] Cognomen gentis Marciæ: ut e Sallustio, Valerio, Suetonio constat, addito etiam testimonio Ciceronis ep. 14. ad Att. lib. I. et Plutarchi in vita Ciceronis. Absurde nonnulli putant hunc esse Dejotarum regem: cum tamen, *Dejotaro regi,* non sit in titulo, sed tantum *Regi.* Præterea inepta familiaritas illa esset in iis verbis, quæ infra: *Fac igitur, mi Rex,* &c. MAN.

Aristotelem] Græcus genere, Romano nomine, forsan et civitate, donatus: Melitensis, a Melita insula. CELLAR.

Liberavi] Venia impetrata. MAN.

Melius] His verbis adducor, ut suspicer, in causa Pompeii Regem fuisse. IDEM.

53 CICERO THERMO PROPR. S. D.

ARG. Curvum in omnibus rebus, præcipue in Hellespontiis negotiis commendat. *Anno* U. C. 702.

Pariana civitas] Parion civitas in Hellesponto. Plinius, &c. MAN.

Διοικησιν] Jurisdictionem.

54 M. T. CICERO THERMO PROPR. S. D.

ARG. Gratias agit, quod liberaliter tractasset Marcilium: deinde petit, ne socrus ejus rea fiat. *Anno* U. C. 703.

In longa apparatione] In suo munere multorum mensium. Nam Laodiceam primum venit prid. Kal. Sex. eodem rediit ineunte mense Februario, ut conjicere licet ex ep. 21. ad Att. lib. V. mansit usque ad Idus Maii, ut ex eadem constat. Ad eum igitur, cum esset iterum Laodiceæ, Marcilius adolescens venit. Ex quo de anno epistolæ conjecturam fecimus. MAN.

Apparitione] Omnes, qui apparebant, id est, præibant magistratibus, *apparitores* dicebantur: et *apparitio* munus ipsum, *Apparitores* autem erant scribæ, interpretes, accensi, præcones, lictores, viatores, statores, et hujus generis alii. Quos omnes ut libertos fuisse putem, multis adducor exemplis. IDEM.

M. T. CICERO THERMO PROPR. S. D. 55

ARG. Anneium commendat, legatum suum, præcipue in causa Sardiana. *Anno* U. C. 702.

Ephesi] Quo veni ad XI. Kal. Sext. in Ciliciam proficiscens. CORR.

Sardianis] Sardes Lydiæ civitas, de qua Plinius, libro V. editionis Hard. novissimæ Tom. I. pag. 277.

M. T. C. THERMO PROPR. S. D. 56

ARG. Negotia Cluvii Puteolani commendat. *Anno* U. C. 702.

Mylasii] Victorius Græcam declinationem secutus, scripsit *Mylaseis*, et *Alabandeis*. *Mylasa* et *Alabanda* sunt Cariæ urbes in Asia minore. Vide Plin. lib. V. c. 28. et 29. VICT.

Ecdici] *Ecdicus* Justiniano defensor civitatis appellatur, vindex reipublicæ, qui in primis publicas pecunias curabant et persequebantur. Aliter dicitur Syndicus. Plin. lib. X. ep. 111. *Ecdicus nomine Amisenorum civitatis petebat apud me a Julio Pisone denariorum circiter 40. millia donata ei publice ante annos viginti, et Bule, et Ecclesia consentiente.* Dicebantur et *cognitores*. Glossæ; *Cognitor*, ἐκδικος. De quo Gronov. lib. IV. de Pec. vet. c. 3. GRÆV.

ὑποθήκας] *Hypotheca* proprie est pignus quodvis, quod debiti causa creditori obligatur: sed strictius Latinis hypotheca dicitur, quod non traditur in manus creditori, sed subjicitur ejus potestati et juri, possessione penes debitorem remanente: contra pignus possidendum traditur creditori. Hinc *dare hypothecas* est res immobiles creditori obligare, ut multis docet Cl. Salmas. de modo Usurarum, cap. 12. IDEM.

Hæ commissæ sunt] Hoc est, possessiones, quoniam ad diem solutum debitum non est, venerunt in potestatem creditoris, ut illas possit vendere. *Hypothecæ* enim *committi* dicuntur, quæ cessante solutione debiti, creditoris fiunt. Sic *merces commissæ* dicebantur, quas apud publicanum non professi erant, et hanc ob causam amittebantur. Vide Salmasium de modo Usurarum, cap. 14. IDEM.

De hypothecis decedat] Hoc est, possessiones oppigneratas quoniam non solvit, creditori vendendas tradat. IDEM.

Heracleotæ et Bargyletæ] Heraclea et Bargylos civitates sunt Cariæ. ID.

Caunii præterea debent] *Caunus* est Cariæ oppidum, valetudine habitantium infame, ut Mela ait lib. I. c. 16. IDEM.

CICERO THERMO PROPR. S. 57

ARG. Petit, ut Anneium, legatum suum, remittat, ejusque causam Sardianam commendat. *An.* U.C. 708.

Bellum] Parthicum. *Att.* VI. 3. et 4.

M. T. C. TITIO L. F. RUFO, PRÆT. URBANO S. 58

ARG. Ex provincia Custidium, municipem suum commendat. *An.* U. C. 703.

M. T. C. C. CURTIO PEDUCÆANO, PRÆT. S. D. 59

ARG. Commendat M. Fabium Curtio prætori. *Anno* U. C. 703.

Servabis edictum et institutum tuum] Nihil facies aliter atque edixisti, et adhuc solitus es. Solebant autem Prætores et in urbe publice proponere, et provinciales, antequam in provinciam venirent, præmittere edictum de summis capitibus jurisdictionis. Superius VI. 9. ad Att. V. 21. *Posnumne contra meum edictum?* Erat C. Curtius Peducæanus Prætor peregrinus, cum C. Titius Ruffus Prætor urbanus esset. GRON.

60 M. T. C. MUNATIO C. F. S. D.

ARG. Commendat Livineium Reguli libertum. *Anno incerto.*

Temporibus] Cum exularet. Vide ep. 17. ad Att. lib. III. MANUT.

61 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

ARG. Commendat Pinnium Bithyniæ proprætori in exigenda pecunia, quam ei Nicæenses debebant. *Anno* U. C. 702.

Studioso] Nota dictum simpliciter.

62 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

ARG. De Atilio gratias agit: suum fratrem commendat. *Anno* U. C. 702.

Venissem] In provinciam. MAN.

Te in meo ære esse] Meum esse. Ducta similitudine a nummorum possessione. Ep. 14. lib. XV. *Multi sunt anni, cum ille in ære meo est.* IDEM.

Lamiæ] L. Lamiæ, de quo vide ep. 16. lib. XI. et ep. 29. lib. XII. ID.

Imprudentia prosequor] Quia tibi alios quoque commendo, ut Q. fratrem. MAN.

Sarciam] Remunerabor officia tua. IDEM.

63 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. P. D.

ARG. C. Lænium diligentissime commendat. *Anno* U. C. 702.

64 M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D.

ARG. Ti. Nerone suo honorifice tractato, gratias agit Silio, eumque magis et vehementius commendat. *Anno* U. C. 702.

Nero meus] Non vulgarem benevolentiæ significationem habet pronomen *meus*. Hic est T. Claudius Nero, cujus uxorem Liviam Drusillam Augustus postea prægnantem abduxit. Matrimonium Tulliæ, Ciceronis filiæ, hoc ipso tempore videtur expetisse: nec recusavit Cicero, sed, quos homines ea de re ad uxorem et filiam miserat, ii Romam venerunt factis cum Dolabella sponsalibus, ep. 6. lib. VI. ad Att. Quæstor fuit C. Cæsaris Alexandrino bello: pontifex in locum P. Scipionis substitutus: Colonias Narbonam et Arelate duxit: occiso Cæsare, de præmiis tyrannicidarum referendum censuit: præturam gessit: Antonios in dissensione civili secutus est: postremo pace facta, in urbem reversus, uxorem suam Liviam, ante jam Tiberium, qui postea imperator fuit, enixam, petenti Augusto concessit: nec multo post e vita cessit. *Nero* Sabinum vocabulum est, pro, fortis ac strenuus: ut ait Suetonius. MAN.

Nobilitate] Nerones Claudii, et Pulchri, patricii; Marcelli vero plebeii. Sed nobilitas non a genere patricio, (multi enim patricii nullos gessere, aut male gessere magistratus: itaque nobiles non fuere) sed a parentum aut majorum virtute sumitur, unde plebeii multi nobiles. IDEM.

Magnum theatrum] Plus ex ista provincia petit Tiberius, quam ex nostra, magisque in illa conspicietur, quam hic, ubi assecutus est sane quæ potest adolescens. Vel, valde conspectum te facit et illustri loco ponit hæc provincia: vel, quam celsus et potens es, cum adolescens summo genere natus, ingenio florentissimo, sanctis et priscis moribus in tua provincia peregrinatur, et per te producitur atque ostentatur, digna ipso gloria, apud avitos familiæ clientes: ut 12. 29. J. F. GRON.

M. T. C. P. SILIO, PROPR. S. D. 65

Arg. Hisponem commendat, ut pactiones cum civitatibus pro publicanis conficiat. *Anno* U. C. 702.

Opera in scriptura] Negotia publicanorum curat. Eodem sensu dixit ep. 9. *Est in operis societatis. Scriptura* vero est ratio tota publicanorum, qui vel decumas, vel portoria, vel pascua redimunt. Man.

Pactiones] Pro pecunia publicanis debita. Nam inter sociorum civitates et publicanos Romanos controversia fere semper oriebatur in exactione vectigalium. Idem.

M. T. C. P. SERVILIO, PROPR. S. D. 66

Arg. Cæcinam in colligendis Asiaticæ negotiationis reliquiis commendat. *Anno* U. C. 707.

Hujus fortuna] Exulabat, quia Pompeianas partes secutus erat, et Cæsari præterea, scripto libro, maledixerat. Ep. 7. lib. VI. Man.

Collegæ tui] Cæsaris, qui secundum consulatum cum Servilio gessit. Idem.

In reliquiis] Veram lectionem ostendunt libri veteres. In Palat. sex. et in Mentel. et in meo secundo scribitur recte: *In reliquis veteris negotiationis colligendis. Reliqua* enim, ut notum, sunt quæ rationibus subductis debita solvenda remanent, ut et pensiones, ac vectigalia ad diem non soluta. Cic. XVI. ad Att. ep. 2. 3. In Pandect. *Reliqua vectigalis, reliqua conductionis;* et *reliquari* ac *reliquatores* de iis qui non ad diem solvunt vectigal, pensionem. Grævius.

M. T. C. P. SERVILIO, PROPR. S. D. 67

Arg. Commendat Andronem Laodicensem. *Anno* U. C. 707.

Τρεῖς διοικήσεις] Tres jurisdictiones Eæ fuere, Laodicea, Cibyra, Apamæa. Man.

M. T. C. P. SERVILIO ISAURICO, PROC. COLLEGÆ S. D. 68

Arg. Lætatur felici navigationis cursu: ut de provinciæ statu scribat, petit: officia sua promittit. *Anno* U. C. 707.

Collegæ] In auguratu. Quanquam enim pontifex maximus fuit, tamen etiam augur. *Philipp.* II. 33. Cellarius.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. D. 69

Arg. C. Curtium, ut in fidem recipiatur, commendat. *An.* U. C. 707.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. P. D. 70

Arg. Balbi libertum Menandrum commendat. *Anno* U. C. 707.

Frugi] *Frugi* et *nequam*, opponuntur. Est autem propria laus in servo, et in liberto: sed transfertur etiam ad ingenuos: et in rege quoque Dejotaro frugalitatem Cicero laudavit. Nam in oratione pro illo habita, *Omnes*, inquit, *sunt in illo regiæ virtutes, sed præcipue singularis et admiranda frugalitas.* Man.

M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. D. 71

Arg. Commendat T. Agusium, velerem amicum. *Anno* U. C. 707.

72 M. T. C. P. SERVILIO, COLLEGÆ S. D.

ARG. Cærelliæ negotia et procuratores commendat. *Anno* U. C. 707.

Cærelliæ] Hæc mulier, Philosophiæ dedita, valde Ciceronem observavit, ejusque scripta libenter legit. Ep. 21. ad Att. lib. XIII. *Mirifice Cærellia, studio videlicet Philosophiæ flagrans, describit a tuis: istos ipsos de finibus habet.* Dio lib. XLVI. Caleni verba recitat, lascivam, ac libidinosam eum Cærellia consuetudinem Ciceroni exprobrantis. MAN.

Interpretabere] Judicabis, an eam, quam ego arbitror, facultatem habeas ex eo S. C. Cærelliæ commodandi. IDEM.

73 M. T. C. Q. PHILIPPO, PROCOS. S. D.

ARG. Salvum ex provincia revertisse gratulatur: Egnatii et Oppii causa gratias agit; et ut Antipatri filios sibi condonet, rogat. *Anno incerto.*

Procos.] Suspicor hoc verbum abundare, et additum ab aliquo, qui putavit, cum in sequentis epistolæ inscriptione *Proconsul Philippus* vocetur, multo magis in hac, quæ ordine antecedit, vocari debere: cum perversus (ut jam diximus) ordo sit, et illam, quæ sequitur, huic omnino præponendam esse constet. Quo modo enim proconsul appellari potest, cum in urbem, deposito imperio, redierit? In urbe enim potius Philippum esse, quam ad urbem, facile credo: cum dicat Cicero: *Quod si Romæ te vidissem, coram gratias egissem:* et quia qui ad urbem morabantur, triumphum expetebant: cujus rei nulla fit mentio in epistola: nec vero triumphavit unquam hic Q. Philippus. MAN.

Quod si Romæ: te vidissem] Ita Victorius. Sed Manut. et Lamb. *Quod si Romæ te vidissem, coram gratias*, &c. Grævius vero ex Mss. *Quod si Romæ fuissem, te vidissem*, &c.

74 M. T. C. Q. PHILIPPO, PROC. S. D.

ARG. Oppium præsentem, et Egnatii absentis negotia commendat. *An. incerto.*

75 M. T. C. T. TITIO T. F. LEGATO S. D.

ARG. Avianum Flaccum commendat Titio legato. *Anno* U. C. 701.

76 M. T. C. QUATUORVIRIS ET DECURIONIBUS S. D.

ARG. Petit C. Valgio emptæ possessionis in agro Fregellano immunitatem. *Eod. an.*

Quatuorviris et decurionibus] Fregellanis. Fregellæ, colonia fuit deducta, ut ostendit Velleius, anno urbis 424. Quatuorviri igitur non modo municipiis, verum coloniis quoque præerant, item ut consules Romæ: quanquam et duumviri in plerisque coloniis, atque adeo in nonnullis municipiis fuere. Quod lib. I. de antiq. Ital. jure Carolus Sigon. egregie docuit. MAN.

Hippianum] Hippii filium naturalem, adoptatum autem a C. Valgio, a quo prænomen et nomen accepit. IDEM.

77 M. T. C. P. SULPICIO IMP. S. D.

ARG. Officio suo in supplicatione decernenda narrato, commendat M. Bolanum, et servum fugitivum restitui curet, amanter rogat. *Anno* U. C. 708.

P. Sulpicio] Bernardinus Rutilius,

qui opiniones quasdam suas in Familiares, ut vocant, Ciceronis epistolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur, *P. Vatinio,* adductus in hanc sententiam ea ratione, quia Cicero de servo suo Dionysio scribit in hac epistola: de quo item Vatinius ad Ciceronem in duabus 9. 10. lib. V. et ad eum Cicero ep. 11. ibidem. Sensit idem postea Corradus in suis scholiis. Mihi non satis neque Rutilii, neque Corradi sententia, quam alii postea secuti sunt, probatur. Nam, ut illud omittam, quod hæc hujus epistolæ verba: *Salvo jure nostræ veteris amicitiæ:* et quæ sunt infra: *Pro tuo perpetuo in me studio:* non videntur in Vatinium convenire, cujus erga Ciceronem perpetuum certe studium non fuerat, inimicitiis, oratione adversus eum notissimis, interruptum: ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis non est: valde me movet ea ratio, quod post supplicationem decretam scribit Cicero de servo suo ad Sulpicium: at Vatinio decreta supplicatio videtur Octobri mense, ut ex ep. 10. lib. V. non dubiam facere conjecturam licet. Scripsit enim Vatinius Nonis Dec. eam epistolam cum de supplicatione decreta jam e Ciceronis litteris cognovisset. Ante Novembrem autem alteram ejusdem epistolam acceperat Cicero, datam v. id. Quint. in qua de fuga servi Dionysii se audivisse significavit. Quod cum ita sit; cui verisimile videatur, hanc epistolam, Sulpicio inscriptam, in qua de supplicatione decreta fit mentio, ad Vatinium de Dionysii fuga, multo ante supplicationem ei cognita, ut ignota de re missam esse? Ad hanc rationem accedit altera, ipsa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam cum Cicero supplicationem decretam Sulpicio significat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatinius autem in epistola sua de supplicatione sibi decreta respondens, verbum de Bolano nullum facit. Consensum omitto veterum librorum, quibus in omnibus perspicue scriptum video, ne una quidem littera veritatem obscurante, *P. Sulpicio.* MANUT. Placet conjectura Rutilii et Corradi. Vatinium enim tum Illyrico, Sulpicium Achaiæ præfuisse, præter adducta loca ostendunt libri IV. epistolæ 5. et 6. J. F. GRONOV.

Nostræ veteris amicitiæ] Hoc convenire in Vatinium negat Manutius, ut et *pro tuo perpetuo in me studio.* Sed sic etiam loquebantur, qui amici olim, dein inimici fuissent, post reconciliatam gratiam, quasi medio odiorum tempore memoriæ exempto. ID.

Naronæ] In Dalmatia.

M. T. C. ALLIENO PROC. S. D. 78

ARG. Petit ut Democritum in suam fidem recipiat. *Anno* U. C. 707.

M. T. C. ALLIENO PROC. S. P. D. 79

ARG. Caium et Marcum Avianos, fratres, commendat. *Anno* U. C. 707.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER XIV.

1 TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ SUÆ, CICERONI SUO S. D.

ARGUMENTUM. Ab exule scripta, querula; deinde de spe restitutionis, utcunque exigua: de familia, de pestilentia, Plancii officiis, Pisonis humanitate, et aliis agit. Terentiæ uni, ex sensu, inscribi debuit hæc epistola. *Anno* U. C. 695.

Terentiæ] Hæc quater nupsit, Ciceroni, Sallustio historico, Messalæ Corvino, Vibio Rufo. Dio lib. LVII. et D. Hieronymus lib. I. adversus Jovinianum. Vixit annos 103. Plin. lib. VII. cap. 48. MAN.

Cum primum] Hoc tempore annum agebat ætatis suæ Cicero filius octavum. Natus enim erat Cotta et Torquato coss. ut ex ep. I. lib. I. ad Atticum licet intelligere. IDEM.

De familia] De servis, quos postea liberavit, veritus ne cum cæteris bonis publicarentur. Ep. 4. MAN.

Plancius] Cn. Plancius, quæstor in Macedonia: pro quo extat oratio. Vide et eam post reditum in senatu habitam. IDEM.

Hispo] Hic nonnulli veteres libri habent, *Ipso:* alii, *Ipse:* quinque nostri, *Hispo.* Ex hac varietate legendum fortasse, *Piso,* vel potius, *Ipse:* ut de eodem accipiatur: cujus nomen omitti potuit, cum Terentiæ litteris, L. Pisonem, Ciceronis inimicum, ejus anni consulem, ad Macedoniam regendam propediem iturum significantibus, responderet. Nominare, qui consul adhuc erat, non audebat. IDEM.

Pisonis] C. Calpurnii Pisonis L. filii, Frugi, Ciceronis generi. IDEM.

Voluí esse quam conjunctissimos] Discordiæ igitur aliquid inter Q. fratrem, et Terentiam extiterat. IDEM.

Vicum venditurum] Ut mihi pecuniam suppeditare possis. IDEM. Hanc elegantiam reddidi Tullio, et hic eandem vindicant Palatinus primus, Vaticani excerpta, Victorii editio. Plebeii magistelli fecerunt, *vendituram.* GEBHARD. De similibus elegantiis, vide Gellium, I. 7.

Efficere] Id quod effici opus est, ut ego in hac misera fortuna non egeam. IDEM.

Brevis expectatio est] Fore arbitror ut brevi litteras vestras accipiam. MANUTIUS.

2 TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, TULLIOLÆ, ET CICERONI SUIS S. D.

ARG. Brevitatem litterarum excusat: Pisonis generi officia laudat: dolet Terentiæ vicem: rogat ne suam dotem projiciat, et ut valetudini suæ consulat. *Anno* U. C. 695.

Timidi] Quod e patria discedere maluerit, quam armis decertare. MANUTIUS.

A Vestæ] A templo Vestæ. Quidam legunt *a Vesta,* id est, a lare et foco. LAMB.

Ad Tabulam Valeriam] Locus in foro fuit, quo tribuni plebis convenire soliti sunt. In Vatinium, c. 9. MANUTIUS.

De area] Eversa enim domo, area supererat: quæ postea reverso in patriam Ciceroni restituta est, et superficies æstimata. IDEM.

Si conficitur negotium] Si restituor.

Reliquias tuas] Quæ tibi facultates reliquæ sunt, amissis meis. IDEM.

TULLIUS TERENTIÆ, ET TULLIOLÆ, ET CICER. SUIS S. D. 3

ARG. Sua culpa factum dolet, ut in tantas miserias inciderint. Dein ad capita epistolæ uxoris respondet ita, ut nimium præ se dolorem ferat, eique pene succumbat. *Anno* U. C. 695.

Legatione] Nam si legationem, a Cæsare, Galliæ proconsule, delatam, accepisset; Clodii tribuni plebis furorem vitasset. Diem enim ei dicere, qui reipublicæ causa abesset, non licebat. MAN.

TULLIUS TERENTIÆ, ET TULLIOLÆ, ET CICER. SUIS S.P.D. 4

ARG. Respondet ad varia Terentiæ non solum dolenter, sed etiam molliore, quam virum decebat animo. *Anno* U.C. 695.

Quod utinam] *Quod* pro *Sed:* ut ep. 14. lib. VIII. *Quod non dubito, quin te quoque hæc deliberatio sit perturbatura.* Et Philipp. X. *Quod qui ab illo adducit exercitum, et respectum pulcherrimum, et præsidium firmissimum adimit reipublicæ.* Et in Verr. lib. I. *Quod vos oblitos non arbitror, quæ multitudo se ipsum accusat, qui Clodianis armis cesserit.* Infra; *Peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum ornamentis amisimus.* MAN.

Quibus ego servivi] Man. et Lamb. ediderunt, *quos ego servavi.*

Præ mea] Iidem, *pro mea.*

Legis improbissimæ] Ne Cicero intra quingenta passuum millia hospitio acciperetur. CORR.

Afflictum] Janus Gulielmius ad Plauti Cistellariam; act. II. sc. 1. testatur se in vetustissimis membranis reperisse, *O me perditum! me efflictum!* Quod verum est, bis apud Ciceronem legitur verbum *effligere:* nam vide lib. IX. ad Att. ep. ult.

Matrimonio] Dixi jam, hoc tempore uxorem C. Pisonis Tulliolam fuisse. Ejus doti et famæ, se absente, Cicero timebat. MAN.

Cæterorum servorum ea causa est] Veritus Cicero amissionem servorum cum tota re, manumisit eos hac conditione, ut, si per legem Clodiam bonis omnibus privandus esset, ii suo beneficio liberti essent, si modo id obtineri posset; sin autem lex servos non adimeret, et, ut ad veterem dominum pertinerent, concederet; servirent, ut antea præterquam paucissimi, quos ob fidem et diligentiam omnino liberatos vellet. Dixit autem, *cæterorum servorum*, cum de suis loqueretur. Nam ex Terentiæ servis neminem manumiserat: (neque enim poterat) tantum iis, eam facturam esse, ut quisque esset meritus, promiserat. Hic locus in omnibus libris impressis mendose legebatur. Nos eum distinctione tantum restituimus. IDEM.

M. T. C. TERENTIÆ ET TULL. SUIS S. P. D. 5

ARG. Reditum ex provincia significat: Terentiæ diligentiam in scribendo laudat: quæ fieri velit de Preciana auctione, mandat. *An.* U.C. 703.

Sive nos ipsos] Erant enim cum ipso, filius, frater, fratris filius. MAN.

Ad arma rem spectare] Cæsare et Pompeio dissidentibus. CORRAD.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D. 6

ARG. Excusat infrequentiam litterarum. Voluntatem suam in ære alieno dissolvendo significat. Adjungit de Terentiæ meritis in Tulliolam. Pollicem servum expectat. *Anno* U. C. 705.

Quod nostra] Quam intelligat *nostram* non plane perspicio, nisi Tul-

liam significet, quod puto. De rebus autem domesticis, cum uxore, suisque loquens, non mirum est rem tantum indicasse, quod etiam supra facit, cum dicit, *quomodo satisfiat ei:* nec tamen nomen ponit, cui satisfieri cupiebat. Cum enim ad suos scribat, qui et manum ejus agnoscerent, et res quas innueret, optime callerent, non necesse fuit apertius scribi. VICT.

7 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARG. Sollicitudinem deposuisse significat cum causa illius. Ut forti animo sit, et valetudinem curet, hortatur. *Anno* U. C. 704.

Omnes molestias] Manifesto scripta epistola cum jam navem conscendisset, in Pompeiana castra navigans. VICTOR.

χολὴν ἄκρατον] *Bilem puram*, ex qua oriebantur molestiæ et sollicitudines. MANUT.

Cicero] Filius. Nam et is ad bellum cum patre profectus est: eumque Pompeius alæ equitum alteri præfecit. Off. lib. 2. IDEM.

8 M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARG. Hortatur, ut valetudinem curet, et si quid novi, pergat scribere. Ante Pharsalicam pugnam. Cum esset in castris Pompeii. *Anno* U. C. 705.

9 M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARG. Significat dolorem suum ex Dolabellæ generi et Tulliæ valetudine. Post pugnam Pharsalicam. Cum in Italiam rediisset. *Anno* U.C. 705.

10 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARG. Ut cum Attico, ad quem scripserat consilium suum, agat. *An.* U.C. 706.

11 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARG. Tulliam ad se venisse dicit: sibi autem in animo esse filium ad Cæsarem mittere. *Anno* U. C. 706.

Venit ad me] Post Victoriam Cæsaris in Pharsalia scripta, cum decessisset a Pompeianis, et Brundusii esset. Quod multis conjecturis intelligi potest: et quantum ego suspicor, post illam quæ sequitur, data: ea enim scripta esse videtur, cum paucos dies in Italia fuisset: gratulata enim erat illi Terentia de reditu in Italiam, et salute ipsius e tot tantisque periculis. Cui illa epistola Cicero respondit. Tulliam ad eum, cum Brundusii esset, venisse, multi auctores tradunt, et ipse quoque ostendit: quod causa inimicitiarum ac divortii illi cum uxore fuit: neque enim viaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poscere videbatur. Omne autem illud tempus Cicero ibi mansit quod in Alexandria et Asia Cæsar consumpsit, quod longum fuisse ex historia illarum rerum intelligitur, et a Plutarcho etiam aperte narratur. VICTOR.

Ciceronem ad Cæsarem mittere] Qui peteret, ut ei, quod Pompeium in bello secutus esset, ignosceret. Ep. 17. 18. ad Atticum lib. II. MANUT.

12 M. T. C. TERENTIÆ S. P. D.

ARG. Scripta epistola ante superiorem post Pharsalicam pugnam, qua gratulationi Terentiæ, quod liberatus periculis in Italiam redierit, respondet. *Anno* U. C. 705.

M. T. C. TERENTIÆ S. P. D. 13

ARG. Permittit uxori, ut de nuntio remittendo consilium capiat ex tempore. Cæsare dictatore iterum. *Anno* U. C. 707.

De nuntio remittendo] Divortio faciendo inter Tulliam et Dolabellam. II. Att. 20. et 23. J. F. GRON.

Quæ sit istius vis hoc tempore] Quantum possit et valeat cum maxime Dolabella. IDEM.

Quæ concitatio multitudinis] Cum legem ferret de tabulis novis, et mercedibus ædium. Dio lib. XLII. IDEM.

Quies tamen] Manutius ait in uno libro inventum, *quiesces*. Forte, *si metuendus iratus, quiesces*. Si putes nobis metuendum fore Dolabellam irritatum divortio, melius non remitti nuntium. Dein breviter, *Tamen ab illo fortasse nascetur*. Scilicet causa divortii. Ipse luxuriosus et perditus offensus moribus longe diversis uxoris nuncium illi remittet. IDEM.

Hactenus J. F. Gronovius. Videtur enim proprius ad veri speciem accedere, quam Manutius, cæterique interpretes, qui omnia hæc de nuntio Terentiæ ipsi remittendo dicta volunt. OLIVET.

TULLIUS TERENTIÆ, ET PATER TULLIOLÆ, DUABUS ANIMIS SUIS: ET CICERO MATRI OPTIMÆ, SUAVISS. SORORI S. P. D. 14

ARG. Cum Cæsar Rubiconem transisset, et Pompeius fugisset cum senatu ex urbe, monet suas, ut cum amicis consultent, maneantne Cæsare adventante, an discedant ex urbe. *Anno* U. C. 704.

Intercludamur] Manutius et Lambinus ediderunt, *intercludamini*.

Ut] Fortasse, *ubi*. Lambinus non *videndum*, sed *verendum* legit, idque, ut prædicat, libris omnibus invitis.

Labienus] T. Atius Labienus, qui multos annos Cæsaris legatus in Gallia fuerat, egregiamque in re militari virtutem ostenderat, orto civili bello ad Pompeii partes transiit. Vide infra, ep. 12. lib. XVI. et ep. 13. lib. VII. ad Att. MAN.

Ab urbe discedit] Non contulit se ad Pompeium, sed ab urbe discessit: in quo non probare Cæsaris, generi sui, consilia visus est. Nam si probaret, eum in urbe expectaret. IDEM.

Minturnis] Oppidum Auruncorum paulum supra Liris fluvii ostia in Latio, cujus tantum rudera supersunt. GRÆV.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D. 15

ARG. Consilium de filio ad Cæsarem mittendo mutatum significat. *Anno* U. C. 706.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D. 16

ARG. De litteris; de Volumnia; de suo dolore. *Anno* U. C. 705.

M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. D. 17

ARG. Nihil esse ait quod scribat. Quomodo ipse sit, ex Lepta et Trebatio posse cognosci. Constat scriptam fuisse cum Brundusii esset. *An.* U. C. 705.

TULLIUS TERENTIÆ SUÆ, SUAVISS. FILIÆ TULLIOLÆ, CICERO MATRI, ET SORORI, S. P. D. 18

ARG. Ejusdem argumenti est, cujus erat ep. 14. quippe permittit suis, quid faciendum videatur, adventante ad urbem Cæsare. *Anno* U. C. 704.

Regio] Campana et maritima ora, cui præerat. Ep. 16. lib. XVI. MANUTIUS.

In nostris] Carolus Stephanus, aliique ediderunt, *in nostris prædiis*. Vox tamen ultima non minus eleganter omittitur.

Isto loco] Ista dignitate.

19 M. T. C. TERENTIÆ S. D.

ARG. Dolorem ex valetudine filiæ, quæ cum patre Brundusii post Pharsalicam cladem erat, significat: addit de proprioris accessus impedimentis. *Anno* U. C. 705.

20 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARG. Recreatus litteris Cæsaris, non dubitat proprius accedere. Parari ergo omnia in Tusculano jubet. *Anno* U. C. 706.

Ut sint] Man. et Lamb. *fac ut sint*, Etiam infra, *sit in balneo non est, fac ut sit*. Potest impune *fac* abesse, vel scribi.

23 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARG. Se a Cæsare litteras satis liberales accepisse nuntiat: de quibus in orat. pro Ligario: *Cæsar ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem, qui fuissem*. *Anno* U. C. 706.

24 M. T. C. TERENTIÆ SUÆ S. P. D.

ARG. De Cæsaris ex Ægypto et Asia adventu se nihil certi habere significat. *Anno* U. C. 706.

Adventu] Ex Ægypto. MANUTIUS.

De litteris] Cæsaris, Philotimo ad Ciceronem datis. Philotimum Cicero, mutato mittendi filii consilio, ad Cæsarem miserat. Ep. 24. ad Att. lib. XI. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER XV.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCONSUL, S. P. D. COSS. PRÆTT.
1 TRIBB. PL. SENATUI.

ARGUMENTUM. De bello Parthico quæ cognoverat, ad senatum perscribit ex provincia. *An.* U. C. 702.

Proconsule] Syriæ.

Commageni] *Commagene* Syriæ pars ad Euphratem et Taurum montem sita, posterioribus temporibus *Euphratensis* dicta, et *Augusteuphratensis*, quam Seleucidis Romani, cum Syriam occupassent, reliquisse videntur, ejus Reges dicti Antiochi Commageni. Isti, cujus hic Cicero meminit, Lucullus captis Tygranocertis, uxorem captivam restituit, et Cn. Pompeius Seleuciam Mesopotamiæ castellum donavit: *Strabo, lib.* XVI. Huic bellum intulit Ventidius Antonii legatus, cupiditate ejus pecuniæ incensus, quam possidebat. Sed cum egregie se tueretur, clam Antonius cum eo de pace egit, ut honeste posset recedere. Ad quam sanciendam

ei tradidit Antonius Alexandrum interficiendum, qui ad Romanos transfugerat, *Dio lib.* XLIX. Ejus filius Antiochus Commagenus accusatus capitis et damnatus est, quod legatum fratris, cum quo exercebat inimicitias, Romam missum perfide interfecit. *Dio lib.* LII. Tiberius in provinciæ formam redegit Commagenen, cum mortuus esset Antiochus ejus rex, qui forte filius fuit damnati. *Tacit.* II. *Ann. c.* 56. Sed Caligula Seleucidis restituit regnum Commagenæ adjectis Ciliciæ maritimis, et quidem Antiocho, Antiochi hujus filio, qui videtur fuisse pronepos hujus Antiochi, cujus hic Cicero meminit. Fuit tota vita clarus et vetustis opibus ingens, et inservientium Regum ditissimus et felicissimus. *Tacit.* II. *Hist. cap.* 81. Tandem fuit sub Vespasiano accusatus, et Lacedæmonem relegatus, et Commagene iterum in provinciæ formam redacta. *Josephus lib.* VII. *cap.* 27. *bell. Jud. Suet. Vespas. cap.* 8. RUPERTUS.

In Ciciliam] Erat enim in Asia: cujus tres diœceses administrabat. ep. 67. lib. XIII. De hoc itinere ep. 20. ad Att. lib. V. MAN.

Lycaoniæ] Regio Asiæ inter Galatiam, Cappadociam, Pamphiliam et Ciliciam, cujus caput Iconium. GRÆ.

Cappadociæ] Cappadocia Asiæ regio magna inter Armeniam minorem, Ciliciam, Pamphyliam, Galatiam et Pontum Euxinum. IDEM.

Tarcondimoto] Partis Gallogræciæ, vel Ciliciæ secundum Dionem, tetrarcha. CORRAD.

Pacorum] Dux esse videbatur, quia regis filius: re vera autem copias Osaces ducebat: quem postea C. Cassius prælio victum occidit. Pacorus autem hoc tempore nondum ex ephebis excesserat. Dio lib. XL. Eum post aliquot annos cum omnibus copiis cæsum a Ventidio, qui de Parthis primus triumphavit, idem Dio lib. XLIX. Justinus lib. XLII. et alii prodiderunt. MAN.

Tybæ] Hujus trans Euphratem sive pagi, sive urbis, præter Ciceronem nemo veterum meminit. GRÆV.

Ab Iamblicho phylarcho Arabum] Fuit *Iamblichus phylarchus* Emesenorum in Syria ad Euphratem. Strabo lib. XVI. Ἀρέθουσα καὶ ἡ Σαμψικεράμου, &c. *Et Arethusa Sampsicerami, et Iamblichi ejus filii, qui phylarchi populi Emessenorum fuerunt.* Illam vero regionem tenebant Arabes, ut ibidem docet Strabo. Arabum autem gens fuit in ἔθνη divisa, ipsi φύλας vocant. Unde suos dynastas vocarunt *phylarchos.* Sicut etiam Saraceni suos duces sic vocabant. Vide Strabon. d. l. Joseph. antiq. Jud. lib. I. cap. 13. Suidam in φυλάρχης, et Is. Casaubon. ad laudatum locum Strabonis. ID.

Consuetudinem] *Mansuetudinem* habet vetus liber manuscriptus, aliquanto (ut videtur) meliore sententia. URSIN. Non meliore, sed eadem.

M. TULLIUS M. F. CICERO PROCOS. S. P. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. SENATUI. 2

ARG. Exponit, audito Parthorum adventu, quid egerit pro tuenda provincia, sociisque in fide continendis: adjungit de rege Ariobarzane ab insidiis liberato. *Anno* U. C. 702.

Cybistra] Vide ad Attic. V. 20.

Artuasdes] Cujus soror Pacoro, regis Parthorum filio, nupta erat; filia vero Dejotari regis filio pacta. MAN.

Euseben et Philorhomæum] Id est, *pium et amicum Romanis.* Græcis nominibus ad Latinam consuetudinem transductis. Unde in vett. nummis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Quidam codices, *Philonicum.* Cl. PUTEANUS. Extant apud me duo antiqua numismata ex argento, quorum alterum habet imaginem *Ariobarzanis* circumscripto titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. Alterum Ariarathi cum litteris, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ ΕΥΣΕΒΟΥΣ. Ex quibus inscriptionibus intelligimus, *Ariobarzanem* quidem ap-

pellatum fuisse *Philorhomæum*, Ariarathem vero *Euseben*. Cicero tamen utrumque titulum soli tribuit Ariobarzani: nisi forte aliquod mendum sit in his verbis, et nomen Ariarathes desit, cum scriptum antea fuisset, *Ut ego reges Ariarathem et Ariobarzanem Euseben et Philorhomæum*, &c. Incidi postea in argenteum nummum Ariobarzanis hujus, quem hic describit Cicero, in cujus una parte Ariobarzanis ipsius imago, in altera inscriptio incisa est, ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. URSINUS.

In consilio meo] Præsentibus qui majoris apud eum dignitatis erant, quæstore Mescinio, legatis quatuor, &c. MANUT.

3 M. CICERO M. CATONI S. D.

ARG. De rumore belli Parthici scribit, et quare publice non scripserit excusat. *Anno* U. C. 702.

4 M. T. C. IMP. M. CATONI S. D.

ARG. Res a se provincia gestas, narrat ordine, et, ut earum causa supplicatio sibi, favente Catone, a Senatu decernatur, petit. *Anno* U. C. 703.

Evocatorum] Vide ad ep. 6. lib. III.

Præstanti magnitudine] Ita Lambinus ex Memmianis libris. Cum vero Medicæus habeat, *præsentia magnitudine*, Victorius emendabat *præsenti magnitudine*. OLIVET. Postquam omnia diu consideravi, in eam discessi sententiam, *magnitudine* esse interpretationem *τῶ præsentia*, quæ margini illita postea in ipsum contextum irrepsit. GRÆV.

Athenaidis] Reginæ, matris Regis impotenti dominatione. CELLAR.

Sacerdos] Comanorum sacerdos Archelaus, a Pompeio Magno, ut scribit Appianus, Mithridate devicto, præfectus: post quem sacerdos fuit Nicomedes, a Cæsare, post superatum Pompeium, præpositus. Ejus sacerdotis potestas, quæ fuerit, ostendit Hirtius de bello Alexandrino, his verbis: *Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos ejus deæ, majestate, imperio, et potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur*. Videndus et Strabo lib. XII. MANUT.

Et toto iis, qui] Cum et in vulgatis libris et in manuscriptis legeretur *et toto iis*, Ranconetus conjectura ductus, legendum putabat, *extorta iis qui*, &c. Sed Victorius melius, *et omnino iis qui*, &c. Alii, *et sociis, qui*, &c. LAMB. Et quod summam rem continet, iis quoque, qui ipso in regno quærebant mutationem, paratus et succinctus. Lib. V. Att. 20. *Est totum, quid Kal. Martiis futurum sit*. III. ad Quint. ep. 1. *Totum in eo est, tectorium ut continuum sit. Totum hi, qui aliquid novi*, per appositionem, quam dicunt Grammatici. J. F. GRON.

Epiphaneæ] *Epiphanea* est oppidum Ciliciæ, aliud ab illo quod ad Orontem in Syria fuit. GRÆV.

Utriusque provinciæ] Syriæ et Ciliciæ. Est enim terminus inter utramque, et utrique communis, aquarum divortio divisus. Ep. 10. lib. II. MAN.

Tullius] Plerique alii, *Tulleius*.

Repugnantibus] Videtur legendum *repugnantes*: veruntamen nihil muto. Subintelligi enim potest, hostibus, vel aliquid tale. LAMBIN.

Aras Alexandri] Vulgo *Issus*: quo de oppido Strabo, lib. XIV. Curtius, lib. III.

Eleutherocilicum] Liberorum Cilicum, qui suis legibus utebantur. Ep. 2. lib. V. ad Attic. IDEM.

Tibarani] Ignota geographis gens: nimium enim negotii fuisset, latronum Amani montis nomina persequi. Latrocinia enim exercebant ejus montis incolæ. Tibarenos et Plutarchus in Lucullo nominat, et Plinius lib. VI. cap. 4. ubi Themiscyræ regionis gentes persequitur. MAN.

Defendenda] Inter Milonis patronos Catonem Pedianus nominat, eumque ait studuisse in petitione consulatus Miloni, et reo adfuisse, nec dissimulasse, bene actum esse cum republica morte P. Clodii. IDEM.

Provinciam] Orat. in Pison. cap. 2.

Nunc] Ut, si quam antea, pulsus in exilium, dignitatis jacturam fecisset, honore novo ita sarciret, ut de pristino statu detractum nihil, additum potius aliquid ad gloriam videretur. Causam hanc attigit ep. 6. lib. VI. ad Att. his verbis: *Amicorum litteræ me ad triumphum vocant, rem a nobis, ut ego arbitror, propter hanc παλιγγενεσίαν nostram, non negligendam,* IDEM.

Justiores] Man. *Illustriores.*

In ipsam aciem] Otio et desidiæ, forum, rempublicam aciem opponit. *Aciem* autem pro summa contentione posuit, non quasi tertium quiddam, a duobus proxime dictis, id est a foro et a republica diversum, sed quod et foro, et reipublicæ jungatur: quasi dixerit, in majores et fori, et reipublicæ contentiones. Qua similitudine lib. I. de Orat. *forensem aciem* appellavit. MAN.

Negari] Negavit tamen. Ep. seq. et lib. VIII. ep. 11. et ad Att. ep. 1. 2. lib. VII. IDEM.

M. CATO M. T. C. IMP. S. P. D. 5

ARG. Excusat se, quod supplicationem non decreverit: et tamen decretam gaudet: sequo honorificentius dicit sensisse, quam eos, qui supplicationem decreverant. *An.* U. C. 703.

Administrare] Sæpe ponitur absolute subintellecto rem, ut id quod administratur. Primus immutavit hanc scripturam P. Victorius, sed perperam. GRÆV.

Gaudeo] Si tu mavis, ea, quæ pro republica fecisti, non rationi et continentiæ tuæ, sed diis immortalibus tribui; supplicationem decretam gaudeo. MANUT.

Prærogativam] Quia prærogativæ tribus vel centuriæ tantus erat suspectus et reverentia apud jure vocatos in comitiis, factum, ut vox ipsa *prærogativæ* acciperetur pro secundo omine, certo signo, indicioque et pignore, ac quasi arrhabone futuræ rei optatæ vel secundæ. Cic. act. 1. in Verr. *Qui quam sit isti amicus attendite: dedit enim prærogativam suæ voluntatis ejusmodi, ut isti pro prærogativis eam reddidisse videatur.* Liv. lib. III. *Icilius ubi audivit tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iisdem tribunis plebis sequerentur.* Et lib. XXI. *In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem, qua extemplo juvenis Annibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque adsensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur.* GRONOV. lib. IV. Observ. cap. 1.

M. T. C. M. CATONI S. P. D. 6

ARG. Quantam ex Catonis laudatione voluptatem ceperit, cum ipsius laude eximia exponit, petitque, si favere noluerit in adipiscendo triumpho, saltem, si adipiscatur, gaudeat. *Anno* U. C. 703.

Lætus sum] Tuscul. IV. 31.

Ad illud sincerum ac subtile judicium] Quasi non sincere, nec subtiliter judicent, qui aliter sentiunt. Pronomen, *illud*, non commune, sed singulare quiddam hic designat: ut ep. 9. lib. VIII. *Si ad illam summam veritatem legitimum jus exegeris.* Et pro Marcello: *Illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna.* Et alibi. MANUT.

Honore] Triumpho: nam supplicationem senatus jam decreverat. MANUTIUS.

7 M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

ARG. C. Marcello, Marci patrueli, de consulatu gratulatur, postquam audivit designatum esse. *An.* U. C. 702.

Consulem] Cum L. Æmilio Paulo.

8 M. T. C. PROC. C. MARCELLO COLLEGÆ S. P. D.

ARG. C. Marcello auguri de filii Caii consulatu gratulatur, petitque ut se absentem defendat. *A.* U. C. 702.

Collegæ] In Auguratu. *Div.* II. 35.

9 M. T. C. PROCOS. M. MARCELLO COS. S. P. D.

ARG. M. Marcello gratulatur de fratre patruele consule facto: petitque, ut sibi quam primum, annuo imperio finito, successor mittatur. *Anno* U. C. 702.

Tuo facto] Quod opera, gratia, studio tuo factum sit, ut consul crearetur C. Marcellus patruelis frater tuus. MANUT.

Vel me tui similem esse audio, vel te mei] Comparari solitum Ciceroni M. Marcellum, et judicari simillimum, hic locus, et alter in Bruto declarat. Interroganti enim Ciceroni, Quid de Marcello judicas, quem sæpe audisti? respondet Brutus: *Quid censes, nisi id, quod habiturus es similem tui?* Et infra: *Itaque cum eum ante tui similem in dicendo viderim; tum vero nunc, a doctissimo viro Cratippo instructum omni copia, multo videbam similiorem.* IDEM.

10 M. T. C. IMP. C. MARCELLO C. F. COS. DESIGN. S. P. D.

ARG. Commendat studiose suam existimationem consuli C. Marcello in supplicatione decernenda. *Anno* U. C. 703.

Marcellinorum] Eorum etiam, qui ex familia vestra in alias adoptione transierunt. MAN.

11 M. T. C. IMP. C. MARCELLO COS. DESIGN. S. P. D.

ARG. Supplicatione sibi decreta, gratias agit consuli, et propediem ad urbem se fore significat. *Anno* U. C. 703.

Parentibus] Etiam matre. Supra ep. 8.

12 M. T. C. IMP. L. PAULO COS. DESIGN. S. P. D.

ARG. Gratulatur Paulo de consulatu, et ne sibi provincia prorogetur, rogat. *Anno* U. C. 702.

Familiæ] Æmilia gens, patricia.

Illum diem] Comitiorum. CORR.

Navare] In petitione consulatus. ID.

13 M. T. C. IMP. L. PAULO COS. S. P. D.

ARG. A consule petit, ut supplicationes sibi decernat. *Anno* U. C. 703.

Reditum meum] Ab exilio. MAN.

Gerendarum] In provincia. IDEM.

14 M. T. C. IMP. C. CASSIO PROQUÆST. S. P. D.

ARG. Facturum se Fabii causa, quæ rogaverat Cassius, pollicetur: quem dolet non vidisse ad urbem e provincia redeuntem. Rogat, operam det, ne sibi temporis aliquid accedat ad annum provinciæ. *An.* U. C. 703.

Convenire potuisses] In Cilicia, cum ad urbem redires. CELLAR.

Pro opportunitate temporis] Hoc videtur dicere, quia parabatur in eum accusatio, fortasse de repetundis. Nam avaritiæ nomine male audiit Cassius. Quod et Plutarchus in Bruti vita narrat: et Cælii quoque testimonio cognoscitur, ep. 10. lib. VIII. MANUT.

Victoria] Parthos enim Cassius fudit, fugavitque post adventum Ciceronis in provinciam. Id ostendit ep. 10. lib. II. IDEM.

Onera tuorum] Quæ sunt hæc onera? opinor vel propinquus aliquis Cassii, vel amicus, qui cum eo fuisset in provincia, pecuniæ contra leges captæ, aut ereptæ accusabatur: qui si damnatus esset, manifestum præjudicium fuisset in Cassium. MAN.

Si tanta sunt] *Tanta*, minuit hic potius, quam auget magnitudinem: ut ep. 8. lib. VIII. *Si aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut vos, aut successores, parvis additis copiis, sustinere possint.* IDEM.

Curio... Furnius] Tribuni plebis.

Cum Bruto tuo] M. Bruto: cujus soror uxor erat Cassii. IDEM.

M. T. C. CASSIO S. P. D. 16

ARG. Consilium suum de non renovando civili bello demonstrat: Cæsaris clementiam laudat; Italiæ gemitus ostendit: Cassii sententiam de futuris exquirit. Cæsare iterum et Servilio Coss. *Anno* U. C. 707.

Uterque nostrum] Uterque enim, victo in Pharsalia Pompeio, ab armis discessit, verum prior Cicero: propterea subjungit: *Ejus consilii princeps ego fuisse videor.* MAN.

Plus fortasse] Efficere ipse debeo, ne te pœniteat consilii tui, non a te expectare, ut ea scribas ad me, quibus in sententia confirmer. Hoc præponit, quia dicturus erat, quod in extremo posuit: *Velim scribas ad me, quid videas, quid expectandum, quid agendum nobis existimes.* Hanc enim ob causam scripsisse videtur has litteras. MANUT.

Judicium] Ut arma deponeremus. Judicare enim ex una pugna potuimus, persequi nos belli civilis extrema non debere. IDEM.

Africa] Pompeiani, qui se post Pharsalicum prælium in Africam contulerant. Metonymia: nam ab eo, quod continet, significatur id, quod continetur. IDEM.

Quam cognovit Asia] Quam cognoverunt ii, qui post Pharsalicam pugnam se in Asiam, et in Achaiam receperunt. IDEM.

Legato, ac deprecatore] Non expectasset Cæsar, ut Pompeiani legatos ad eum, qui deprecarentur, mitterent: sed ipse ad eos, quæ est ejus humanitas et clementia, ultro ivisset, atque ut pace facta reconciliarentur, deprecatus esset. MANUT. Cæsarem hic legatum fingit Manutius, quod nullo modo procedit. Forte, *Te, ut opinor, ipso allegato ac deprecatore.* Te apud Cæsarem pro iis interveniente. J. F. GRON.

Interpositus annus] Inter pugnam Pharsalicam, et id tempus, quo Cæsar, consumptis (ut ait Appianus) in Alexandrino bello novem mensibus, Pharnacem devicit. MAN.

Alios] Pompeianorum, bellum in Africa renovantium, duo genera ponit: quorum alii, anno post Pharsaliæ cladem interposito, in spem victoriæ venerant: alii, licet victoriam non sperarent, pugnare tamen statuerant, ita animati, ut etiam si contigisset, ut vinderentur, non laborarent. IDEM.

Nescio quem istum Pharnacem] Quem nemo tanti roboris putavit, ut Asiæ terrorem inferret. Mithridatis filius fuit: quo Cæsar mox unica pugna superato, scripsit ad amicos: *Veni, vidi, vici.* IDEM.

Consilio pari] Discedendi ab armis.

Casu dissimili] Hoc explanatur sequentibus verbis: quorum sententia, collecta breviter hæc est: Tu te ad Cæsarem ipsum contulisti, ut cum eo esses: ego me Brundusium, ut eum expectarem. IDEM.

Consiliis interesses] Cæsaris. Cassius enim cum classe in Hellesponto Cæsari occurrens, non solum ei se tradidit, verum etiam apud eum mansit. Dio lib. 42. IDEM.

Festinavi] Cujus eum consilii graviter pœnituit, ad Att. ep. 6. et 9. lib. XI. IDEM.

Miserrimis querelis] Propter scelera et seditiones M. Antonii, magistri equitum, et L. Trebelli, atque P. Dolabellæ tribuni plebis. CORR.

Auctor] Cæsar. IDEM.

Primis illis] Quibus suadebas, ut omnino ab armis abstinerem. MANUTIUS.

Luceria] Oppidum Apuliæ infra Teanum, ad fluvium Cerbalum.

16 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Jocatur in opiniones Epicureas, et in ipsum Cassium, Epicureæ philosophiæ studiosum. *Anno* U. C. 708.

Schedulam] Ita vulgo: sed Victorius ex Mss. mavult *scidulam*. Vid. *Attic.* I. 20. *Syllabam* legit Lamb. item ex Mss.

Κατ' εἰδώλων φαντασίας] Quod Græce φαντασίας, Latine *visum* dici posse, ait Cicero Acad. I. Hic igitur interpretamur, *per spectrorum visa*. Putabant igitur Epicurei, si quis aliquam rem cogitaret, ejus rei spectrum et imaginem ad cogitantis animum advolare. De qua opinione dubitat Cicero, et in eo jocatur. MAN.

Amici novi] Epicurei, quorum dogmata Cassius ante biennium probare cœperat. IDEM.

Διανοητικὰς φαντασίας] Mentis, vel intelligentiæ visa. IDEM.

Spectris Catianis] Cogitationibus illis, quæ spectra Catius vocabat, Epicurus et Democritus εἴδωλα. IDEM.

Catius] Hic scripsit quatuor libros de rerum natura, et de summo bono, de quo Quintilianus, X. 1. ita scribit: *In Epicureis levis quidem, sed non injucundus tamen auctor est Catius.* CORRADUS.

Gargettius] Epicurus, a patria.

Etiam] Lege, *et jam:* admonente Thoma Wopkensio, Lect. Tullian. I. 5.

Quod vel iis ipsa occurrunt] Affert rationem, quare difficilius credat nos de aliquo cogitare occursu simulacrorum, quam eorumdem incursu videre quippiam (videre autem nos διὰ τῆς τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως censebant Democritus et Epicurus: quod in epistola ad Atticum etiam ostendit Cicero, in qua disputat de fenestrarum angustiis.) Quod si, inquit, his spectris oculos feriri posse concesserim (vix autem hoc concedit, ut spectra cum sint tam εὐπαθῆ, oculos ferire possint) sed si concesserim, inquit, videbor aliqua ratione facere, quod saltem oculis spectra occurrunt, ut possint τῇ ἐμπτώσει, et occursu visionem conficere et excitare. Quomodo autem animus et διάνοια feriri possint, non video. VICTOR.

Hæresi] Hoc est, secta philosophorum. *Hæresis* enim apud Græcos et Latinos in bonam partem accipiebant olim, ut et *secta*, etiam apud primos Christianos. Fortasse autem Stoica fuit aut Academica secta, quam deseruit. GRÆV.

Vi, hominibus armatis] Est formula solemnis in interdicto prætorio UNDE VI. quo aliquis in possessionem suam, de qua vi et armatis hominibus erat deturbatus, restituebatur. De qua vide lib VII. ep. 13. IDEM.

In hoc anno] Quod addi solebat in omnibus interdictis. MAN.

Forum attigisti] Virilem togam induisti. Vide superius ad lib. V. ep. 11.

17 M. T. C. C. CASSIO S. P. D.

ARG. Queritur de importunis tabellariis, narrat de P. Syllæ morte, bello Hispaniensi, Pansæ profectione in provinciam: Cassii consilium pro-

bat Brundusinæ mansionis; litteras mutuas poscit. *Anno* U. C. 708.

Alteràs habebis has breves] Nos putamus punctis male distinctas esse has dictiones: ut longe diversum sensum præ se ferant a vero, nisi fallimur: non enim *alteras habebis*, intelligimus, quod alias longiores pleniores que nunc polliceatur, ideoque æquiore animo velit ferre illum harum brevitatem: nam id paulo post large promittit verbis illis, *sed expecta πάντα περὶ πάντων*. Sed ignosci sibi vult, quod hæ non solum breves sint, sed alias etiam ante brèves acceperit, ut hæ sint jam secundæ litteræ ad eum scriptæ breves. VICTOR.

πάντα] Omnia de omnibus: longissimas litteras de omnibus rebus. MA.

D. Syllam] Stephanus Pighius monuit in fastis suis ad annum urbis conditæ DCCII. legendum hic et infra. *D. Sylanum*. GEBHARD.

Πρόσωπον πόλεως] Specimen civitatis. Ironia. Vel, amisimus hominem, unde scire posses quam corrupta civitate utamur.

Refrixisset] Vide lib. IX. ep. 10.

Adversarium] In emendis Pompeianorum bonis. MAN.

Ἀδίστοτοι] Sine auctore.

Profectus] In provinciam Galliam.

Nuper] Epicureus factus.

Τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν] Honestum propter se expetendum.

Miseriis levavit] Valebat enim apud Cæsarem auctoritate. IDEM.

Hominem præbuit] Humanissime se gessit: afflictis opem tulit. Sic Terent. in Heaut. *Homo sum: humani nihil a me alienum puto*. IDEM.

Ἀκεκόπτουδος] Minime curiosus, inanium rerum studio vacans, rumusculos cujusque rei non captans. IDEM.

M. T. C. C. CASSIO S. P. D. 18

ARG. Epistolæ brevitatem excusat: tristitiam temporum accusat; nihil ex Hispania afferri significat. *Anno* U. C. 708.

φλύαρον] Garrulum. Si garrulum habuisset auctorem: si is essem, qui nugis fabulisque scribendis delectarer.

Σπουδάζειν] Serio agere, graves res tractare. MAN.

Tua quidem] Manutius putabat legendum olim, teste Lambino, *Tua quidem, in culina: mea, in palæstra est*. Quam tamen conjecturam ipse probare non potuit, sed hanc cujusdam amici sui, *Tua quidem, in culina: mea, in molestia est*. Guilielmius pro *in molestia est*, putabat, *in molestra est*. Videndus Festus. GEBHARD. Ad gravem quæstionem ne nihil dicat, ridicule respondet. *In culina*, quia voluptatem sequens Epicuri: *in palæstra*, quia mihi placent, qui virtutem et laborem præferunt. J. F. GRONOV.

Pudet enim servire] Aliquid agere publice, quia qui partem reip. tractat, is se componere ad nutum unius necesse habet. IDEM.

Facio me alias res agere] Fingo me rerum aliarum satagere. IDEM.

Platonis] Videtur alludere ad id, quod refert ep. 9. l. 1. *Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ reipublicæ fuisse, quod cum offendisset populum Atheniensem prope jam desipientem senectute, &c.* Ne Plato me arguat, quod tali tempore attingere velim rempublicam. IDEM.

De Hispania] De bello Cæsaris adversus Pompeii filios. CELLAR.

C. CASSIUS M. T. CICERONI S. P. D. 19

ARG. Respondet duabus Ciceronis epistolis, quæ ante proximam superiorem leguntur. Epicureos laudat a virtutis studio. Cupere videtur ut Cæsar in Hispania vincat, jam cognita ejus clementia. *Anno* U. C. 708.

Spectra Catiana] Vide ep. 16.

Regeram] Contra objiciam. Tu Catium notasti ut rusticum et indoctum: ego contra, tot rusticos tibi

Stoicos nominabo, ut Catius, cum iis collatus, urbanissimus esse videatur. *Regerere*, est ei, qui aliquid reprehendat, aliquid contra objicere. Plinius lib. 13. cap. 15. *Confines ei Mauri: quibus plurima arbor cedri, et mensarum insania: quas feminæ viris contra margaritas regerunt.* MANUTIUS.

Ea] Honores, provinciæ.

Τὸ καλὸν] Supra, ep. 17.

Ἡδονὴν *vero et* ἀταραξίαν] *Voluptatem, et statum mentis perturbatione carentem.* In his enim duobus felicitatem locabat Epicurus: quod Plutarchi, Laertii, et aliorum testimoniis probatur. IDEM.

Τῷ καλῷ] Honesto, pulchro.

Amafinii] Vide Tuscul. IV. 3.

Οὐκ ἔστιν ἡδέως] *Non potest jucunde vivi, nisi honeste et juste vivatur.*

Φιλήδονοι] *Amatores voluptatis.*

Φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι] *Amatores honesti, et justi.*

Sylla] Cujus mortem Cicero significaverat, ep. 17. *Judicium:* Quasi præstantis viri. Ironia. MAN.

Bona] Ne erraret in delectu, omnia bona sumpsit. Ludit in ambigua bonorum significatione. Nam Philosophi de summo bono disputabant: Sylla vero Pompeianorum bona omnia, cum in auctione venderentur, coemit. IDEM.

Habet damnatos, quos pro illo nobis restituat] Arguta in primis et festiva sententia. Lege Pompeia damnatos restituerat Cæsar: ut legimus apud eum lib. III. de bel. civ. hoc latenter Cassius notat: cum tamen de iis loquatur, quos Cæsar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Syllæ mortuo suffecturus esset. Jocus est in verbo, *Restituat*, ambigua significatione, ad majorem Cæsaris contumeliam. IDEM.

Filium] P. Syllæ, qui patrem imitatur: itaque sectore non carebimus. Ep. 3. lib. III. ad Q. fr. IDEM. Antonium, quem secundum heredem in testamento scripserat, Flor. IV. 4. *Sectorem Pompeianorum bonorum.* Philipp. II. 26. J. F. GRON.

Cnæus] Pompeii Magni filius.

Ἀντιμυκτηρίσαι] *Vicissim deridere*, sed rustice gladio. Nam urbani homines facetiis et salsis dictis, non gladio, derident. MAN.

20 M. T. C. TREBONIO S. P. D.

ARG. Librum, quem Oratorem inscripsit, mittit: Sabinorum probitatem laudat: crebriores litteras postulat. Missa in Asiam post Cæsaris necem. *Anno* U. C. 709.

Natio] A Sabinis, qui tetrici, severi, durique, et continentes etiam a scriptoribus appellantur. CORRAD.

Candidatorum] Qui magistratum petentes, populo se, quæsita interdum fictis cognominibus gratia, commendant. MAN.

A Curibus] Numæ regis patria, Sabinorum olim urbe nobili. MANUTIUS.

Olim] Vocem hanc omitti vellet Manutius, et legi *aliquantulum.*

Istic est] In vobis reipublicæ liberatoribus, te Cassio, Marco et Decimo Brutis: quibus provincias senatus decreverat. Nam in urbe, dominantibus Antonio et Dolabella consulibus, respublica non esse videbatur. IDEM.

21 M. T. C. TREBONIO S. P. D.

ARG. Rogat, ut sui absentis desiderium epistolis crebris et longis leniat: de Calvo oratore jam mortuo quid sentiat, exponit. *An.* U. C. 706.

Librum] De quo infra.

Discedis a nobis] In provinciam Asiam proficiscens. Ep. 16. lib. XII. MANUT.

Fecisti] Temporibus Clodianis. ID.

Mecum] Adversus inimicos meos simultates suscepisti. J. F. GRON.

In armis] Civili bello.

Liber iste] Quem scripserat Trebonius de dictis Ciceronis. MAN.

Sic] Asserit Manutius, conjunctionem hanc, *sic*, minuendi vim habere; ut sensus ille sit: sive dicta mea faceta sunt: sive facetiarum per se minus habent. Lubentius ego legerem, *secus*. QUARTERIUS.

Futurum satis] Malim, *facturum satis:* ut subaudiatur, *me*. Alioqui, *Quo tamen ipso*, unde regatur, non erit. Nam, *futurum*, nullo modo eum auferendi casu conjungi potest. MANUTIUS.

Calvo] De quo in Bruto, cap. 81.

Acute movebatur] Quod est ingenii. Sic Acad. lib. I. *Zeno, cum valde subtiliter disseret, et peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam.* IDEM.

Genus quoddam] Dicendi.

Quo valebat tamen] Qua tamen parte valebat, id est, ingenio, consequebatur id quod optimum putabat: quam puto fuisse exilitatem orationis. Nam Calvus Atticum se oratorem videri volebat: et nimia quadam religione orationem attenuans, dum verebatur, ne quasi vitiosum sanguinem colligeret, verum etiam deperdebat. Hoc enim de illo Cicero scripsit in Bruto. IDEM.

EPISTOLARUM AD FAMILIARES.

LIBER XVI.

M. T. C. ET CICERO MEUS, ET FRATER, ET FRATRIS FILIUS, TIRONI S. P. D. 1

ARGUMENTUM. Suum desiderium Tironi, quem Patris ægrotum reliquerat, cum ex provincia domum iret, significat. *Anno* U. C. 703.

Ad honorem nostrum] Ad triumphum, quem sperabat; sed, eum ne discordiæ civiles impedirent, verebatur: id quod evenit. MAN.

Marionem] Servum.

Patris] *Patræ*, oppidum Achaiæ.

Leucade] *Leucas*, oppidum in peninsula cognomine Ionii maris.

TULLIUS TIRONI SUO S. P. D. 2

ARG. Sollicitudinem suam significat, suumque ad Alyziam accessum: valetudinem ut curet, rogat. *Anno* U. C. 703.

Alyziam] Qui est Acarnaniæ locus, a mari distans quindecim stadiis, ut ait Strabo lib. 10. MANUT.

TULL. ET CICERO TIRONI SUO, ET Q. PATER, ET Q. FIL. S. D. 3

ARG. Rogat, ut omni cura valetudini serviat. *Anno* U. C. 703.

M. T. C. ET Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S. P. 4

ARG. Tota cohortatio est ad curandam valetudinem. *An.* U. C. 703.

Καυστόμαχος] Stomacho laborans.

Lysanem] De quo XIII. 19.

TULLIUS, ET CICERO, ET Q. Q. TIRONI HUMANISSIMO
5 ET OPTIMO S. P. D.

ARG. Rogant Tironem, ut valetudinem curet. *Anno* U. C. 703.

Q. Q.] Quintus pater, Quintus fil.

Thyrei] Locus inter Alyziam et Leucadem. Nam Patris Alyziam, inde Thyreum, Thyreo Leucadem Cicero venit: unde proficiscens hanc epistolam scripsit. MAN.

Deportares] Grævius, *deportaret.*

Curio] De quo XIII. 50.

Acastus] Servus Ciceronis est.

6 M. TULLIUS CICERO PATER ET FIL ET Q. Q. TIRONI S. D.

ARG. Rogat, ne quid omittat, quod ad recuperandam valetudinem spectet. *Anno* U. C. 703.

Actio] Ad hoc Acarnaniæ promontorium Antonius ab Augusto maritima pugna victus. MANUTIUS. Virgilius, *Actia bella*, Æneid. VIII. 675.

7 M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARG. Adversis ventis se teneri scribit: ut valetudinem curet, nec nisi confirmatus naviget, hortatur. *Anno* U. C. 703.

Corcyræ] Insula maris Ionii.

Buthroti] *Buthrotum* Epiri urbs est.

Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus] Iste locus corruptus est, si recte perpendatur. Cicero, qui Patris reliquerat Tironem ægrum, in Italiam navigaverat, sed Corcyræ ventis adversis retinebatur. Hinc dicit se non mirari nihil sibi litterarum afferri a Tirone, quia istis ventis, qui tunc flabant, commode Corcyra Patras possit curri, non vero Patris Corcyram. Quid vero est, *qui si essent, nos Corcyræ non sederemus.* Atqui erant ii venti, qui Patras propellebant naves Corcyra solventes; propter illos sedebat in illa insula invitissimus. Legendum censeo, ut huic loco sententia constet, *qui nisi essent, nos Corcyræ non sederemus.* Ultimæ litteræ præcedentis voculæ *qui* videntur primam syllabam τοῦ *nisi* imbibisse. Si hi venti non essent, nos Corcyræ non moraremur. GRÆVIUS.

Nov.] Si attendimus, quod ep. 9. scriptum est: cogemur credere, *Dec.* non *Nov.* legere. MAN.

8 Q. CICERO TIRONI S.

ARG. Q. Cicero, quanta sibi Tironis valetudo sit, amantissimis verbis ostendit. *Anno* U. C. 704.

Ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ] *Tuta quidem, sed diuturniora:* id est, te quidem non ægrotare periculose, sed morbum fore diuturniorem. MAN.

Ψύχος δὲ] *Frigus autem tenui cuti inimicissimum.* Senarius Euripidis; sed amissæ tragœdiæ. IDEM.

9 TULLIUS ET CICERO S. D. TIRONI SUO.

ARG. Navigationis descriptio, et ad curandam valetudinem plenior cohortatio. *Anno* U. C. 703.

Ad Cassiopen] De quo loco Plinius IV. 12. et Strabo, lib. I.

Hydruntem] *Hydrus*, seu Hydruntum, hodie *Otranto.* Est Calabriæ oppidum, Brundusio distans centum quinquaginta stadia, Strabone teste. GRÆVIUS.

Cn. Plancii] Pro quo extat Oratio.

Symphoniam] Videtur Tironem in-

itasse ad symphoniam audiendam: ex quo, insueto aeri diutius, quam ferre valetudo poterat, expositus, pejus se habere coeperat. CELLARIUS.

Ut medico honos] De pecunia intellige, non de honore: unde *Honorarium*, præmium honoris causa datum. MAN.

Curaturum] Romæ tantum pecuniæ, quantum mihi expensum tulisset. CORRAD.

M. T. C. TIRONI S. P. D. 10

ARG. Tironem ad se venire cupit, sed viam timet, ne valetudini noceat. Ejus operam in studiis laudat et exigit. *Anno* U. C. 708.

Pompeius] Nisi *Pomponius* legatur, hæc epistola, ante quam in Ciliciam Cicero proficisceretur, scripta fuerit necesse est. Nam a Ciceronis reditu ex Cilicia ad Pompeii discessum ex Italia, nec Tiro in Italia fuit, nec Pompeius animo ita tranquillo, ut Ciceronis scripta audire cupierit: vel certe alius Pompeius significabitur. CORRAD. *Pomponius* item placet Manutio, et Cellario.

Operas] Quas præbere consuesti.

Nostra] Quæ ad me pertinent, quæ me esse facturum tibi promisi. Manumissio significatur. Ep. 14. MA.

Fides ἐνόμων quod haberet] Inde dicta, quia fiat id, quod dictum est. *Off.* I. 7.

TULLIUS ET CICERO, TERENTIA ET TULLIA, Q. FR. ET Q. FIL. TIRONI S. P. D. 11

ARG. Rogat ut valetudinis unice rationem habeat. De suo ad urbem adventu; de turbato statu reipublicæ, et de triumpho ac Campana præfectura significat. *Anno* U. C. 704.

Ex desiderio] Mei.

Adhuc impudens] Forte, *ad hoc*, id est, eousque impudens, ut parere Senatui recusaret jubenti exercitum et provinciam deponere. J. F GRON.

Nulla vi expulsi] Sed vim interpretabantur S. C. quo removebantur a rep. Cæsar B. Civ. 5. GRONOVIUS.

Comparatur] Veteres absolute *comparare*, intellecto ex proximis quid comparetur, amant uti. Liv. XXXVIII. 12. Vide ibi Not. Gronov.

Nos Capuam] Ad Attic. VII. 11.

M. T. C. TIRONI SUO S. P. D. 12

ARG. Deplorat statum reipublicæ, initia belli civilis exponit; Tironem, ut valetudinis rationem rediturus habeat, admonet. *Anno* U. C. 704.

Improbis] Admonuimus olim Mediceum codicem, et alium item bonum *improbis* habere, tertio multitudinis casu: et paulo post eadem ratione *his*. Animadvertimus postea optimos auctores ita locutos esse. Quare veterem omnino lectionem recipiendam censemus. Citatur testimonium Accii Meleagro, a Nonio Marcello in Vastities, *Quæ vastitudo hæc, aut unde invasit mihi?* Item Terentii Varronis e IV. libro de vita populi Romani 1413. *Tanta porro invasit cupiditas honorum plerisque, ut vel cœlum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, exoptent.* Aliis etiam in locis apud eundem, nisi memoria me decipit, veteres scriptores ita locuti esse reperiuntur, et (ut arbitror) exempla passim occurrerent, nisi omnia quæ contra certas quasdam ipsorum regulas facerent, a recentioribus Grammaticis temere deleta essent. VICT.

Hispaniam] Pompeii provinciam. Quod Cicero, vitandi belli civilis causa, censuit. epist. 6. lib. VI. MANUTIUS.

Trinundinum] Lex, ad populum ferenda, promulgabatur prius, ut per trium nundinarum spatium populo pateret; quo posset, lege satis considerata, quid sentiret, suffragiis ostendere. Eadem, opinor, in magistratibus creandis ratio fuit, promulgatis per tres nundinas eorum nominibus, qui petebant: ut populus, de quibus suffragium laturus esset, tanto ante nosset. Atque hic *Trinundinum*, pro Trinundini spatio dictum puto. IDEM.

T. Labienus] Ep. 14. lib. XIV.

Varroni] De quo Cæsar, *B. civ.* III. 19.

13 M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARG. Cohortatio ad valetudinem curandam. *Anno* U. C. 704.

14 M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARG. Sollicitudinem suam, ægrotante Tirone, significat, et valetudinem ut curet, hortatur. *An.* U. C. 704.

Ummium] Alii *Mumium*, alii *Numium*, vel etiam aliter. Unde conjicit Manutius, *Manium*, quod erat prænomen Curii; de quo supra epist. 4.

Humanitatemque] Non dubito, quin *humanitatem* hic Cicero, non pro facilitate quadam et benevolentia erga homines, sed pro eruditione posuerit. Vide Gellium lib. XIII. cap. 16. MANUT.

Dies promissorum] Manumissionem significari puto, ut etiam ep. 10. *Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, Fides* ἴτυμον *quod haberet.* Et ep. 15. *Ego te omni cura liberabo.* IDEM.

Repræsentabo] Non expectabo, sed antevertam. Nisi leg. *quæ.* Statim præstabo, nec opperiar diem. J. F. GRONOV.

15 M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARG. Suam de Tironis valetudine sollicitudinem significat. *Anno* U. C. 704.

Ægypta.] Nomen servi, ad Att. ep. 15. lib. IX. Misit ad Tironem Cicero quinque servos suos, ut et benevolentiam in eum ostenderet, et de ejus valetudine certior fieri posset: Marionem primum, epist. 1. deinde Menandrum epist. 13. postremo Hermiam et coquum, epist. 15. Acastum autem non misit, sed cum eo reliquit, epist. 5. MANUTIUS.

16 Q. C. M. CICERONI FRATRI S. P. D.

ARG. Quintus fratri de Tirone manumisso, et gratias agit, et gratulatur. *Anno* U. C. 704.

Statii] A Q. Cicerone manumissi. Vide ep. 18. et 19. libri II. ad Atticum, et ep. 2. lib. I. ad Quintum Fr.

17 M. T. C. TIRONI S. P. D.

ARG. Tironem modeste reprehendit, quod adverbio *fideliter* non recte usus fuerat, et ut valetudini serviat, admonet. *Anno* U. C. 701.

Tuas quoque] Ita ut meæ referuntur. Fuit enim hæc ipsius Tironis opera: quod et Nepos in Attici vita ostendit: et Cicero ipse ep. 4. lib. XVI. ad Att. negat quidem eas a se in volumina referri, a Tirone tamen ait aliquot servari. *Mearum epistolarum nulla est* συναγωγή, &c. MANUTIUS.

Κανὼν] Regula. Utrum hoc ad judicium Tironis, qui scripta Ciceronis examinare, atque interdum etiam

corrigere solitus esset, an ad diligentiam pertinet, qui summam in iis custodiendis ordinandisque curam poneret? ad judicium potius, ut opinor: quod indicant ea, quæ sequuntur. Miratur enim Cicero, parum apte translato verbo Tironem usum esse, quem ipse judicem suis in scriptis habere consuevisset. IDEM.

Ἄκυρον] Improprium, alieno loco positum.

Ἀφωμίλησα] Ernestus, praeunte Lambino, interpretatur, *me a colloquio separavi*. Joan. Fr. Gronovio legendum videtur, ἀνωμιλήσας cui adstipulatur Quarterius, et sic interpretatur: Cujus ego Demetrii, comitumque ejus consuetudine sum usus: nosti homines. Ἀνωμιλεῖν est consuetudine alicujus uti, versari cum aliquo.

TULLIUS TIRONI S. P. D. 18

ARG. Liberto Tironi respondet, patroni nomina ne invidiam ferant, deprecanti. De valetudine gratulatur, cui ut indulgeat, monet. Admiscet alia. *Anno* U. C. 708.

Non sic oportet] Inscribi epistolas meas.

Si placet] Quandoquidem tibi placet, omittamus hanc inscriptionem, ut vitetur invidia, quam tibi forte concitaret.

Ut est] Pro *ut ut*, quomodocunque Terent. Phorm. V. 4.

Lætus sum, ut meæ res se se habent, fratri obtigisse quod vult.

Hoc est, quomodocunque meæ res se se habent. GRON. Observ. III. c. 6.

πίψιν] Concoctionem: ἀκοπίαν, vitationem lassitudinis: περίπατον σύμμετρον, ambulationem moderatam: τίψιν, oblectationem: εὐλυσίαν κοιλίας, facilitatem alvi.

Parhedrum] Proprie, παρέδρος, *Assessor* est: transfertur ad alia, et consiliarium, aut custodem significat. Fortasse loquitur Cicero de olitoris vicino. MAN.

Ipse conducat] Est, nisi fallor, hujus loci sensus: Olitor nostrum hortum facit minimi, minimumque pro eo pretium offert, ratus affuturum neminem, qui velit eum conducere. At quære inter vicinos aliquem, qui hortum hunc vel ad tempus conducat, aut fingat velle se conducere. Sic olitorem excitabis, et adduces, ut summam pecuniæ majorem mihi solvat. QUARTER.

Helico] Sic veteres libri omnes, et opinor, mendose, obscure quidem certe. Obscura autem omnia si mutare conemur, ultra implicabimur difficili cura, nec semper necessaria. MANUT.

Aprico horto] Apricus hortus est tepido ac leni, non torrentissimo soli expositus. *Aprici colles*, qui orienti soli obversi sunt, Ovidio. *Apricas terras* poeta simpliciter opposuit frigidioribus. Cl. Salmas. exercitat. Plinp. 990. ubi vide plura. IDEM.

Emissario] Loco, qui aquam emittat, sistatve obicibus vel demissis, vel reclusis. Vide *Sueton*. Claud. cap. 20.

Abutor coronis] Nihil admodum floreas ejus coronas, aut dona ejusmodi moror: malim ut majus pro horto pretium constituat. QUARTER.

De Crabra] Agri Tusculani aqua. Vide Agrarium III. cap. 2.

M. T. C. TIRONI S. P. D. 19

ARG. De litteris, de Demetrio, de Aufidiano nomine. *Anno* U. C. 708.

Demetrium] De quo ep. 17. 22.

Potest] Manutius, *potes*.

De Aufidiano nomine] Ut exigas ab Aufidio, quod debet. MAN.

M. T. C. TIRONI S. P. D. 20

ARG. De cura valetudinis, et commendis libris, de olitore, de spectaculo Kalendarum. *Anno* U. C. 708.

Compone] Ordina, et dispone, suo quemque loco statue. MAN.

Metrodoro] Medico. IDEM.

Quando] Alii, *quum*, alii, *quoniam*.

Cum olitore] Ep. 18.

21 C. FIL. TIRONI SUO DULCISSIMO S. P. D.

ARG. Suum virtutis amorem studiumque Cicero filius significat: de prædio empto gratulatur. *An.* U. C. 709.

Velles mihi successa, *tum etiam*] Duas has voces, *mihi successa*, quæ fuerant interjectæ, delevi. Erant enim supervacaneæ, et solœcismum gignebant. Ita enim Latini loquuntur, Omnia tua causa volo: neque addunt hæc, *mihi successa*. LAMBIN. Præiverat Henricus Stephanus in *Pseudocicerone*. Vulgatam tamen acerrime tuetur Gasp. Scoppius, *Verisimilium*, lib. II. c. 3.

Convictio] Elegans hæc lectio debetur Mediceo, ut adnotat Egnatius, usurpavitque ut genuinam Victorius in editione sua; posteaque in suam transmovit Lambinus. Confirmatur jam mihi de excerptis Vaticani. Alias plebeie est: *jucundissima conjunctio*. Et cur non a *convivere*, *convictio*? GEBH.

Συζητήσει] Non placet Lambini interpretatio, *conquisitione*: nec ea, quæ antea afferri solebat, *mutua quæstione*. Intelligitur enim de illo quotidiano colloquio, quo de hac re modo, modo de illa disputatur: motis ultro citroque super ea dubitationibus et quæstionibus. Hoc autem qui faciunt, non *conquirere*, sed *disquirere* dici possunt: ut Horatius dixit, *Verum hic impransi mecum disquirite*. H. STEPH.

Locum] Hoc est, sive ædem, sive cubiculum, in quo habitet. Sæpe *locus* est diversorium, hospitium, ut in illa solenni locutione, *locus lautiaque legatis præbita*, quæ sæpe apud Livium legitur. GRÆV.

Cassium] Neque iste quis fuerit, dicunt.

Leonides] Qui cum ad Ciceronem de filio scriberet, certi nihil ausus est polliceri. Ep. 16. lib. XIV. ad Att. MANUT.

Τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς] Quæ igitur ad nos pertinent, hæc sint.

Δ ιαῤῥόδην] Aperte.

Dimitterem] Causam, cur eum a filio dimitti Cicero voluerit, Plutarchus hanc narrat, quod ad potum et voluptates adolescentem alliceret. Hoc fortasse magistro didicit strenue bibere Cicero filius. Nam binos congios simul haurire solitum scribit Plinius lib. 14. cap. ult. MAN.

Σπουδὴ] Propensa voluntas ad Gorgiam retinendum.

Grave esse, me de judicio patris] Non recte facere me, si de patris judicio ita judicare vellem, quasi falli posset in eo, quod existimaret de Gorgia. IDEM.

Hoc loco] Hac parte epistolæ: cum gratulationibus tribuere primas fere epistolarum partes soleamus.

Ubi deponendæ tibi sint] Ubi molestias et ineptias, quæ multæ sunt in urbe ferendæ, quoties earum tædium te ceperit, fugias et abjicias. J. F. GRON.

Rusticus Romanus] Honestum nomen est plebeii ordinis: quia vera Romuli proles agrestibus operibus exercebatur, et rusticam plebem præponebat urbanæ, cum proceres civitatis in agris morarentur, et ubi consilium publicum desiderabatur, e villis arcessebantur in senatum, unde qui eos evocabant, *viatores* nominati. Cic. pro Sextio in Optimatium, hoc est, qui consilia sua optimo cuique probari vellent, secta collocat *municipales rusticosque Romanos*. Id. de Senectute: *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos, vicinos et familiares meos*. Lib. I. de Divin. *Exin cuidam rustico Romano dormienti visus est venire qui diceret, præsultorem sibi non placuisse ludis*. Tib. Atinium *de plebe hominem* appellat Livius. GRON.

Semina] Promorum, quæ comeduntur in secunda mensa. MANUTIUS.

Hypomnematis] Commentariis.

Συμφιλολογεῖν] De litteris inter nos disputare.

TULLIUS TIRONI S. P. D. 22

ARG. Valetudinis curandæ admonet ægrotantem: librarios tamen regere jubet: addit de variis. *Anno* U. C. 708.

Interpositio] Verba interposita, hoc est, recentiori manu scripta, *de quadrimo Catone*, de puere Catone, quatuor annos nato. Locus in iis quæ supersunt Ciceronis, non extat. Hunc mendo vacuum non esse suspicabatur Victorius.

Tertia] Mulier post duas sorores nata, unde nomen. *Aderit*, in cœna, quæ dabitur in illo triclinio. MAN.

Phalereus] Demetrius, de quo ad me scribis, nunquam fuit Demetrio Phalereo similis: nunquam fuit elegans, urbanus, &c. Ludit in *Demetrii* nomine. QUART.

Billienus est] Dignus suo nomine: vitio laborat ejus, cujus nomen gerit. Videtur enim Graius homo Demetrius cognomen sumpsisse Billieni, quod per Billienum quendam libertatem et civitatem accepisset. J. F. GRONOV.

Vicarium] Ut ea diligentia in eo observando et cavendo utaris, qua ego uterer, si adessem. *Vicarius* est, qui facit id, quod alius facere debebat. MANUT.

Etsi. Veruntamen. De illis] Hæc facile supplere Tiro potuit, cui notæ erant Patroni cogitationes. Similis brevitas ad Att. XIII. 2. XIV. 8. et 12. J. F. GRON. Brevitas locum obscurat: opinor tamen Demetrii illius, quem observari a Tirone jubet, concisum perplexumque sermonem repræsentarit. MAN.

TULLIUS TIRONI SUO S. P. D. 23

ARG. Hortatur, ut professionem conficiat, scribitque sibi in animo esse amicitiam Antonii conservare. *Anno* U. C. 709.

Professionem] *Profiteri*, est hic, publice denuntiare, quidquid pecuniæ, agri, aliarumve rerum Cicero possideat. Et videtur, ut hæc per Tironem, sic altera superioris anni professio per Philotimum esse facta. Vide epist. 33. lib. XIII. ad Att. MANUT.

Veruntamen] Subaudi, *confice*: et hanc ipsam pecuniam profitere. ID. Hoc alii cum sequentibus conjungunt. *Veruntamen Balbus*, &c.

Ut loqui non possit] Jocus: nam epiphora officium oculorum impedit, non linguæ. *Non possit* autem dixit, id est, nolit: quia studiosus Antonii, et homo tectus. Ep. 21. lib. XIV. ad Attic. IDEM.

Liceat modo rusticari] Quod urbanis rebus, quas Antonius consul e sua libidine administrat, antepono. IDEM.

De Servilio] Isaurico, quem hoc anno obiisse testatur Dio lib. XLV. quem felicem videtur scripsisse Tiro, qui effugerit Antonii minas et gladios. Id ad me, inquit Cicero, non pertinet, qui cædem non timeo, et vitæ obsaturatus sum, sed ad te. J. F. GRON.

Πανικοῖς] Repentinis terroribus: quorum causam Pani deo tribuit antiquitas: unde πανικὰ. Hoc satis est ad intelligentiam loci. Plura si quis postulat, Politianum legat Miscell. cap. 28. MAN.

Θορυβοποιεῖ] Tumultum facit: terrorem in aliis gignit. Vult enim timeri me ab Antonio. IDEM.

Nec tamen] Etsi videre te cupio: nolo tamen te ab urbe discedere, priusquam conficias eam rem, cujus rei

causa te mihi. Miserat eum Cicero, ut pecuniam sibi per syngrapham debitam, exigeret. IDEM.

Γόνυ κνήμης.] Genu tibia propius est. Nam subauditur, ἴγγιον. Theocritus in Idyllio, quod Charites inscripsit, eodem sensu dixit, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνήμα, id est, longius, quam genu, tibia. Hoc proverbio significatur, curanda magis esse, quæ magis ad nos pertinent. IDEM.

Rutam pulegio] Amarus, ut ruta, Leptæ sermo; suavis, ut pulegium, Tironis. Lepida similitudo. Amaritudo, inquit, sermonis Leptæ, sermonis tui suavitate, quasi ruta pulegio, condietur. Notissima est utraque herba. MAN.

24 TULLIUS TIRONI S. P. D.

ARG. Domesticas res, deinde publicas narrat. *Anno* U. C. 709.

Confiderem] In editione pervetusta, quam cum Mss. ab Italo collatam mecum communicavit Nic. Heinsius, vir summus et mihi amicissimus, emendatum erat, *non quin diffiderem tuæ diligentiæ*. Sic omnino legendum. Quod et Gronovio τῷ πάνυ probabatur. GRÆV.

Prora et puppis] Summa consilii mei. Nam prora et puppis totam navem continent. Unde natum proverbium apud Græcos, πρῴρα καὶ πρύμνη. MANUT.

Offilio et Aurelio] Creditoribus.

A Flamma] Debitore. Hic est Flaminius Flamma, nominatus ad XIV. 16. et XV. 1. 2. ID.

De attributione] De assignatione pecuniæ, quam Ciceroni Dolabella, divortio facto cum Tulliola, ejus filia, debebat. Vide XV. 13. et XV. 3. IDEM.

De repræsentatione] De pecunia ante diem solvenda. Id enim est *Repræsentare*. Unde, *Repræsentare diem promissorum*, μεταφορικῶς, ep. 14. IDEM.

Certa] Perscribe. Verbum omittit, ut infra, *Sed quod egerint*. Et sæpe in epistolis ad Att. figura est, quæ Græce ἀποσιώπησις dicitur, in epistolis quæ ad familiares mittantur, usurpata. IDEM.

St] Vetustiores, *si*: unde Manutius *st*, quæ nota silentii est.

Ad aquas] Baianas. Hic variant Mss. Vide Turneb. Advers. lib. VIII. cap. 5.

Quod egerint] Fac ut sciam: vel, *Sciemus*, subaudiendum; amat enim hic Cicero brevitatem, ut paulo ante: *De publicis omnia mihi certa*: subaudi, significa. Mei tamen veteres libri, *Seu*, non *Sed*, omnes habent. Itaque cogor de mendo suspicari. MAN.

Papiam] Mulierem Papiæ gentis, quæ Ciceroni pecuniam debebat. IDEM.

25 CICERO FIL. TIRONI S. P. D.

ARG. Litteras a Tirone quam creberrimas requirit. *Anno* U. C. 709.

26 Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

ARGUMENTUM. Negligentiæ in mittendis epistolis accusat, quas etiam sine argumento scribi postulat. Familiariter et jocose. *Anno incerto*.

Marcus] Frater.

27 Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

ARG. Invehitur in Consules designatos Hirtium et Pansam. Benevolentiam suam significat. *Anno* U. C. 709.

Verberationem cessationis] Quid potest esse durius, aut magis diversum a Marci fratris purissimo sermone? Dicit hoc: Valde me, quia cessave-

rim in litteris ad vos mittendis, verberasti in epistola tua: pro, tacite reprehendisti. MAN. Vide Turnebi Adversaria, lib. VIII. cap. 5.

Gallorum castris] Quo tempore in Gallia cum Cæsare militabant. MANUTIUS.

Ille latro] Antonium intelligit, contra quem illi bellum gesturi erant. Existimat enim Quintus Antonium, nisi copiis suis viribusque confisus fuerit, alia via illos aggressurum esse: et omnia facturum ut illos sibi placet, et in sententiam suam traducat. Putat eum id facile consecuturum similitudine vitæ, et societate vitiorum. VICTOR.

Alteri Cæsenam] Omnibus iniquus erat Quintus, et nemini parcebat, dummodo iræ suæ ac furori obtemperaret. De ambobus illis Coss. design. pessime sentiebat: veruntamen quantum suspicari possumus, alterum illorum ignaviorem inertiorem-que altero existimabat: nam quem aliquid consilii habere putabat, vix dignum esse dicebat cui Cæsena committeretur. Alterum, qui nullius consilii esset, sed penitus infirmi ingenii, ac intemperantissimæ naturæ, vix recte posse judicabat curare fundamenta Cossutianarum tabernarum. IDEM. Vide iterum Turnebi Adversaria. VIII. 5.

HIERONYMI RAGAZONII

COMMENTARIUS

IN

M. T. CICERONIS

EPISTOLAS FAMILIARES:

IN QUO BREVISSIME, QUO QUÆQUE EARUM ORDINE SCRIPTA SIT, EX IPSA POTISSIMUM HISTORIA DEMONSTRATUR.

AMPLISSIMO VIRO,

VINCENTIO RICCIO,

ILLUST. DECEMVIRALIS CONSILII VENETÆ REIP. SECRETARIO DIGNISSIMO

HIERONYMUS RAGAZONIUS S. D.

Si, quantum ingenii M. Cicero, VINCENTI *clarissime, ad epistolas eas quæ familiares vocantur, scribendas adhibuit, tantum, qui ab initio sexdecim earum volumina collegerunt, ad eas illustrandas industriæ attulissent: profecto iidem multo melius nobis quam fecerunt, in hac tota litterarum ratione consuluissent. Cum autem res ita, nescio quo fato, ceciderit, ut quo magis Cicero in his epistolis excelluerit, eo minorem illi nostræ in iis componendis intelligentiæ rationem habuerint: propterea factum est, ut qui postea in iis aut emendandis, aut explanandis, aut quoquo modo illuminandis elaborarint, (quod multi hac ætate iique eruditi viri fecerunt) ii merito magnam laudem incredibili omnium hominum consensione adepti sint. Etenim summam illam, quæ plerosque ab hujusmodi studio deterrebat, obscuritatem, si non penitus, at certe magna ex parte sustulerunt. Ego autem illud in hac re præcipue dolere soleo, quod maximas semper his epistolis tenebras effudit, id neminem hucusque, qui aliqua ratione discusserit, extitisse. Id est, ut, quoniam nullo servato temporum ordine compositæ quondam fuerunt, ipsæ per tempora sua digererentur, atque describerentur. Quo ex labore cum alia multa commoda consequuntur, tum illa in primis, ut propter negotiorum temporumque conjunctionem, et facilius alteram ex altera intelligamus, et ipsius Ciceronis eorumque annorum contextam historiam habeamus. Quorum non, perinde atque in epistolis ad Atticum colligendis factum est, rationem habitam esse demiror. Hoc autem ita esse, cum ipse antea semper, ubi me ad hæc studia contuli, intellexi, tum meam hanc opinionem proximis hisce annis, multo etiam vehementius Caroli Sigonii auctoritas confirmavit: quem a me sæpe hac de re interrogatum, ita disserentem audivi, ut non multis solum laudibus consilium, fructumque laboris hujus efferret, sed etiam qua id potissimum ratione perduci ad exitum posset, sigillatim ostenderet. Quamobrem cum in quotidianæ vitæ consuetudine multa ab eo in hanc rem subtiliter et erudite dicta attente collegissem, jamque justum quasi eorum commentarium ad meum usum confecissem, tum me rem facturum esse omnibus harum epistolarum studiosis non ingratam putavi, si quæ ipse vel per me vel ab eo plurima in hoc genere didicissem, ea summo studio atque multorum dierum lucubratione conscripta, ad eorum qui illum non audiverunt, utilitatem, litteris memoriæque mandarem.*

Id autem totum in tuo potissimum nomine apparere, VINCENTI *amplissime, volui, ut ipse intelligeres, quam tuis fidelissimis rectissimisque consiliis diligentissime paruissem: quo præsertim auctore, Sigonio ipsi, postquam ille Venetiis publice profiteri cœpit, assiduum in hac litterarum ratione auditorem addixi. Accedit, quod quanquam tu gravioribus in studiis perpetuo ita*

versatus es, ut nullum honestioris disciplinæ genus sit quod non plane perceperis, nulla insignia ad laudem ornamenta, quæ non abunde retuleris: tamen cum te publicis negotiis, quibus maxime distineris, aliquantulum relaxaris, his nostris etiam studiis summopere delectaris: præsertim vero cum has ipsas epistolas ita ames, ut eas quotidie in manibus habeas: ita, si res ferat, in isto tuo amplissimo apud Decemvirale Consilium munere gerendo imiteris, ut plane exprimas: litteratos autem homines ita omni studio atque officio complectaris, ut cuncti propterea magnum suorum studiorum præsidium in tua potissimum opera collocarint. Neque mehercule injuria. Nam cum tu virtute, integritate, ac quotidiana officii assiduitate, præterea prudentia ac fide, (quibus rebus excellis) effeceris, ut apud principes in hac republica viros auctoritate plurimum possis: idem etiam humanitate atque officio assecutus es, ut te non minus posse quam velle sibi prodesse homines intelligerent. Epistolas igitur familiares, in suum quamque annum, ut a me fieri potuit, relatas, ac brevi, cur ita faciendum sit, commentario illustratas, in tuo, ut dixi, nomine edo: ut eas, si probaveris, adversus obtrectatores tua auctoritate defendas: sin minus, eas tamen perpetuum meæ erga te singularis observantiæ testimonium habeas. Vale. Venetiis, prid. Idus Quintil.

HIERONYMI RAGAZONII

IN

EPISTOLAS CICERONIS

FAMILIARES COMMENTARIUS;

In quo brevissime, quo quæque earum ordine scripta sit, ex ipsa potissimum historia demonstratur.

M. TULLIO CICERONE,
C. ANTONIO COSS.

ANNO AB URBE COND. 690.

Nullæ neque hoc anno, neque ante hunc annum, a Cicerone scriptæ extant epistolæ, de quibus affirmari pro certo possit.

D. JUNIO SILANO,
M. LICINIO MURENA COSS.

ANNO AB URBE COND. 691.

M. Tullius M. F. Cicero S. D. Cn. Pompeio Cn. F. Magno Imp.

LIB. V. ep. 7. *Si tu exercitusque valetis, bene est. Ex litteris tuis*] Hæc epistola scripta est Silano et Murena coss. anno postquam Cicero consul fuit. Erat autem in Asia Pompeius, Mithridatico bello confecto. Itaque voluptatem se accepisse ait Cicero ex illa victoria: graviter autem tulisse, quod Pompeius de rebus a se in consulatu, pulso ex urbe Catilina, gestis, sibi non fuerit gratulatus. Res hæ a Cicerone consule extremo consulatus sui mense gestæ erant. Pompeius autem, Pisone et Messala coss. id est sequenti anno, ex Asia Romam rediit, et triumphavit, Plinio, cæterisque, auctoribus. Cicero quidem etiam libro primo ad Att. in epistola, quam Kal. Jan. scripsit, Pisone et Messala coss. prodromos Pompeianos de adventu Pompeii nunciare scribit. Qua de re nihil in hac epistola ait: ut omnino ante Kal. Jan. quibus consulatum Piso et Messala inierunt, scripta esse videatur.

Q. Metellus Q. F. Celer Procos. S. D. M. T. Ciceroni.

V. 1. *Si vales, bene est. Existimaram*] Hic Metellus prætor priore anno, consule Cicerone, fuit: hoc autem anno Galliam pro consule administravit, quam Cicero consul in concione deposuerat. Auctores, Sallustius, Dio, et alii. Queritur Q. Metellum Nepotem fratrem a Cicerone in Senatu, se absente, fuisse oppugnatum. Hanc epistolam hoc anno scriptam esse, sequens Ciceronis responsio demonstrabit. Eandem autem ex provincia missam esse hæc verba indicant, *qui provinciæ exercituique præsum.*

M. T. Cicero Q. Metello Q. F. Celeri Procos. S. D.

V. 2. *Si tu exercitusque valetis, bene est. Scribis ad me*] Respondet Cicero superiori Q. Metelli Celeris proconsulis epistolæ. Hanc hoc anno scriptam esse, hinc intelligi potest, quod in hac agitur de rebus recens actis a Q. Metello Celeris fratre, tribuno plebis, qui fuit (Plutarcho, Appiano, Dione, et ipso etiam Cicerone auctoribus,) Silano et Murena coss. Id est, de iis rebus, quas ille tribunus contra se egit, prid. Kal. Jan.: Kal. Jan.: III. Non. Jan.: quo tempore Celer ipse Roma abfuisse videtur. Quibus de rebus agit etiam Dio in consulatu Silani et Murenæ.

M. T. Cicero S. D. C. Antonio M. F. Imp.

V. 5. *Etsi statueram*] Hic est C.

Antonius, qui priore anno collega Ciceronis consulis fuit, et hoc anno provinciam Macedoniam, quam in consulatu obtinuerat, proconsule regebat: Dione, et aliis auctoribus. Hanc epistolam hoc anno scriptam esse, apparet ex eo quod in hac commendat ei T. Pomponium Atticum in Græciam proficiscentem, qui ante Kal. Jan. Pisone et Messala coss. profectus Roma fuisse videtur: cum ad eundem lib. primo ad Attic. scribat epistolam Kal. Jan. his consulibus. Itaque in utraque epistola eadem fere continentur. Nam quod in hac ait, *ne id dicam quod aiunt falso in me solere conferri abs te*, ad Att. est, *Antonium in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, et a me custodem communis quæstus libertum esse missum.* Item quod in hac ait, *Sed reliqua multo majus meum studium desiderant*, id est quod ad Att. scribit, *prodromi Pompeiani nunciant aperte Pompeium acturum Antonio succedi oportere.* Idem confirmant verba epistolæ ad Att. cujus initium est, *Accepi tuas:* datæ VI. Kal. Feb. Messala et Pisone coss. quæ sunt hæc, *neque idipsum certum habeo, quando ad Antonium proficiscare.*

M. VALERIO MESSALA,
M. PUPIO PISONE COSS.

ANNO AB URBE COND. 692.

M. Cicero S. D. P. Sextio L. F. Procos.

V. 6. *Cum ad me Decius*] Hic P. Sextius quæstor C. Antonio consuli ac deinde proconsuli in Macedonia fuit: hoc autem tempore cum eodem in provincia erat. Itaque cum C. Antonio proconsuli succedendum esset, P. etiam Sextio quæstori ejus succedendum erat. De successore autem ipsi Antonio mittendo egit in epistola superiore, agit etiam in hac, cum ait, *Antonium in senatu gravissime defendi.* Intelligit enim, ne ei succederetur. Post autem Cæsare et Bibulo coss. in judicio eum defendit de repetundis jam ex Macedonia reversum, Dione auctore lib. XXXVIII. et Cicerone in oratione pro Cælio: quo judicio damnatus est, quod suspicio erat ne cum Catilina olim conjurasset. Hæc autem epistola scripta est Messala et Pisone coss. quia Q. Fufius, de quo hic mentio fit, tribunus pleb. his consulibus fuit, Dione auctore lib. XXXVIII. Item quod de domo a se empta scribit, de qua scribit etiam ad Att. in ep. 6. Kal. Feb. data, Messala et Pisone coss. Quæ cum ita sint, puto in titulo epistolæ P. Sextium L. F. quæstorem, aut proquæstorem esse scribendum. Quod oratio ipsa Ciceronis pro P. Sextio ostendit, in qua eum Romæ et in Macedonia C. Antonio consuli et proconsuli quæstorem ait fuisse. De proconsulatu autem nihil.

L. AFRANIO,
Q. METELLO CELERE COSS.

ANNO AB URBE COND. 693.

His consulibus nullæ extant scriptæ epistolæ.

C. JULIO CÆSARE,
M. CALPURNIO BIBULO COSS.

ANNO AB URBE COND. 694.

His consulibus ne ullæ quidem scriptæ extant epistolæ.

L. CALPURNIO PISONE,
A. GABINIO COSS.

ANNO AB URBE COND. 695.

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis.

XIV. 4. *Ego minus sæpe*] Hoc anno Cicero pulsus est a P. Clodio Trib. pleb. mense Martio (ut puto) extremo. Nam ipse, quemadmodum scriptum est lib. III. ad Att. cum hoc tempore in Macedoniam tenderet, Naryce Locridis scripsit Id. Aprilis: post Vibonem venit: inde III. Idus Aprilis, scripsit Thurii, et XIV. Kal. Maii, Tarenti. Inde Brundusium venit XIII. Kalend. Maii. Brundusii vero fuit XIII. dies, ut in

hac epistola scriptum est. Prid. autem Kal. Maii hanc epistolam Terentiæ scripsit Brundusii, quemadmodum in extrema epistola adscriptum est. Quæ cum ita sint, sane apparet, cum ait in hac eadem epistola, *Brundusio profecti sumus a. d.* v. *Kal. Maias*, legendum esse, a. d. II. Kal. Maias. Alioquin nec XIII. dies Brundusii fuerit, et dies epistolæ datæ repugnabit. Est autem intelligendum hanc ab eo epistolam scriptam esse tum cum a Brundusio proficiscebatur. Quod significat cum subjungit, *per Macedoniam Cyzicum petebamus.*

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 2. *Noli putare*] Hanc epistolam scripsit iisdem consulibus, cum adhuc exularet, III. Non. Oct. Thessalonicæ. Thessalonicam autem venerat a. d. X. Kal. Jun. ut scribit ad Att. lib. III. 42.

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 1. *Et litteris multorum*] Scripta est iisdem consulibus a. d. VI. Kal. Decemb. Dyrrachii. Dyrrachium autem se a Thessalonica paulo ante recepisse videtur, tum ex hac epistola, tum ex epistola ad Att. lib. III. 50. hoc eodem die Dyrrachii data.

M. Cicero Terentiæ, et Tulliolæ, et Ciceroni, suis, S. P. D.

XIV. 3. *Accepi ab Aristoerito*] Iisdem consulibus, pridie Kal. Decemb. Dyrrachii data: eodemque die scripsit epistolam ad Att. lib. III. 51.

P. LENTULO SPINTHERE,
Q. METELLO NEPOTE COSS.

ANNO AB URBE COND. 696.

M. Tullius Cicero S. D. Q. Metello Nepoti Cos.

V. 4. *Litteræ Q. Fratris*] Hic est Q. Metellus Nepos, de quo trib. pleb. ante diximus, qui hoc anno consul cum P. Lentulo Spinthere fuit. Petit ab eo Cicero ut se in patriam restituat: quod impetravit. Nam lib. IV. epist. ad Att. se prid. Non. Sept. hoc anno in urbem rediisse scribit. Itaque ante illud tempus hæc epistola scripta est.

CN. LENTULO MARCELLINO,
L. MARCIO PHILIPPO COSS.

ANNO AB URBE COND. 697.

M. Cicero P. Lentulo Procos.

I. 1. *Ego omni officio*] P. Lentulus, qui priore anno consul Ciceronem de exilio restituerat, hoc anno, id est, Marcellino et Philippo consulibus, proconsul in Cilicia erat, cupiebatque Ptolemæum regem a suis pulsum in regnum reducere. Hac de re quid actum sit, Cicero scribit Id. Jan. quemadmodum ex epistola elicitur. Ex quo intelligi potest, Lentulum extremo suo consulatu esse Roma profectum. Quod ex Fenestella etiam colligitur, auctore Nonio, qui sic scribit, *Ut magistratum tribuni inierunt, C. Cato turbulentus adolescens, nec imperatus ad dicendum, concionibus assiduis invidiam et Ptolemæo simul, qui jam profectus ex urbe erat, et P. Lentulo consuli, paranti jam iter, concitare secundo quidem populi rumore cœpit.* C. autem Catonem hoc anno tribunatum plebis gessisse, apparebit ex sequentibus etiam ad Lentulum epistolis. Tribunos vero plebis IV. Id. Decemb. inire solitos esse, satis ex Livio Dionysioque perspicuum est.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 2. *Id. Jan. in senatu*] Eidem Lentulo Proconsuli narrat, quid de Ptolemæo reducendo sit actum ab Id. Jan. usque ad XVI. Kal. Feb. quo die hæc epistola data est, in qua meminit Lentuli Marcellini consulis, et Lucilii tribuni pleb. qui fuerunt hoc anno.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 3. *A Trebonio*] Eidem Lentulo proconsuli commendat negotia Trebonii, quæ multa in provincia Cilicia

habebat. Hanc epistolam subsequi superiorem ex eo intelligi potest, quod in quibusdam libris manuscriptis conjunctæ reperiantur.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 4. *A. d.* XVI. *Kal. Feb.*] Eidem Lentulo narrat quæ acta sint post diem XVI. Kal. Feb. de re Ptolemæi. Scripta tamen est ante Kal. Feb. quod inde intelligi potest, cum ait, *Senatus haberi ante Kal. Feb. per legem Pupiam non potest.* Et quoniam iisdem de rebus scripsit ad Q. Fratrem lib. II. XIV. Kal. Feb. suspicari quis posset, eodem die hanc etiam scriptam esse, aut non ita multo post.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 5. *Tametsi nihil*] Eundem Lentulum de eadem re quid actum sit certiorem facit. Haud ita multo post VIII. Id. Feb. scripta est, cujus diei in hac epistola meminit, et rerum quæ illo die actæ sunt. Cum, si post eum diem multis diebus scripta fuisset, pluribus aliis de rebus actis eum certiorem facere potuerit, de quibus agit in epistola ad Q. Fratrem XV. Kal. scripta.

M. Cicero P. Lentulo S. D.

I. 6. *Quæ gerantur*] Cum eodem agit de eadem re Alexandrina. Procul dubio hoc anno scripta est, præsertim cum eadem impedimenta, de quibus paulo ante scripsit, commemoret.

Q. Metellus Nepos S. D. M. Ciceroni.

V. 3. *Hominis importunissimi*] Q. Metellus, qui priore anno consul Ciceronem restituit, hoc anno proconsul cum imperio in Hispania erat, Plutarcho in Cæsare, et Dione, auctoribus. Itaque idem in hac epistola ait, *Ad Lollium perscripsi de rationibus provinciæ quid vellem fieri, ut is vos doceret, et commonefaceret.* Agit cum Cicerone de rebus a Clodio fratre hoc anno contra semetipsum et Ciceronem actis. Has res fuisse puto, de quibus agitur in oratione de Haruspicum responsis, quæ hoc anno dicta est, teste ipso Cicerone, qui in oratione ipsa Philippi et Lentuli consulum meminit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

V. 12. *Coram me tecum*] Luceius Romanam historiam scribebat. Petit igitur ab eo Cicero, ut de consulatu deque restitutione sua in patriam separatim scribat. Hanc epistolam Marcellino et Philippo consulibus esse scriptam, epistola quædam ad Att. indicat, his consulibus data: in qua hæc verba sunt, *Epistolam Luceio quam misi, qua res meas ut scribat rogo, fac ut ab eo sumas: valde bella est. Eumque ut approperet adhorteris, et quod mihi se ita facturum rescripsit gratias agas.*

CN. POMPEIO MAGNO II.
M. LICINIO CRASSO II. COSS.

ANNO AB URBE COND. 698.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 7. *Legi tuas litteras*] Initio secundi consulatus Pompeii et Crassi, qui hoc anno ex interregno consules facti sunt, (Appiano et Dione auctoribus) scripta est hæc epistola. Quod inde intelligi potest, cum inquit, *stipendium Cæsari datum, et ne succederetur.* Hoc enim initio consulatus sui secundi Pompeium egisse scribit App. et Dio. Scripta autem videtur ante mensem Aprilem, quia lib. IV. ad Att. scribit Aprili mense rumorem fuisse Puteolis, Ptolemæum esse in regno. In hac autem epistola reductionem ejus Lentulum habere posse ait. Reductum autem esse Pompeio et Crasso coss. tradit Dio lib. XXXIX. Præterea quod ait in hac epistola, *quod mihi de filia et de Crassipede gratularis,* ad Q. Fratrem lib. II. scribit, prid. Non. Aprilis, Marcellino et Philippo coss. Tulliam Crassipedi desponsatam.

M. Cicero P. Lentulo Procos. S. D.

I. 8. *De omnibus rebus*] Hæc etiam scripta est Crasso et Pompeio coss. Hos enim notat, cum ait, *res omnes*

sunt in amicorum nostrorum potestate. Item, *otium nobis exoptandum est, quod ii, qui potiuntur rebus, præstaturi videntur.* Item, *Pompeium tibi amicum esse cognovi, et eo tu consule, quantum ego perspicio, quæ voles, obtinebis,* adhuc non reductum regem significat: quem tamen hoc eodem anno reductum esse a Gabinio proconsule Syriæ scribit (ut dixi) Dio.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 1. *Si te dolor*] Marius in agris erat, Cicero Romæ. Minuit ei voluptatem ludorum, quos Pompeius consul II. id est hoc anno, edidit, quibus Marius non affuit. De quibus ludis latius scribit Dio lib. XXXVIII. in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero C. Sextilio Rufo Proquæstori S. D.

XIII. 48. *Omnes tibi commendo Cyprios*] Hic C. Sextilius primus Cyprum pro quæstore rexit, ut hac epistola scribit Cicero. Cum autem M. Cato, Dione auctore, superiore anno, Philippo et Marcellino coss. ex Cypro redierit, in quam Gabinio et Pisone coss. profectus erat, eamque interim in provinciæ formam redegerat: profecto apparet, hunc Sextilium hoc anno in Cypro fuisse: præsertim vero, cum mentionem faciat legis P. Lentuli, qui biennio ante consul fuit. Huic ergo commendat Cicero omnes Cyprios, sed maxime Paphios. Neque vero pro certo rem affirmamus.

L. DOMITIO AHENOBARBO,
AP. CLAUDIO PULCHRO COSS.

ANNO AB URBE COND. 699.

M. Tullius Cicero M. Licinio P. F. Crasso S. D.

V. 8. *Quantum meum studium*] M. Crassus priore anno consul Syriam provinciam adeptus, in eam eodem anno invitis et obnuntiantibus tribunis plebis profectus erat, auctore Dione, et Plutarcho. Cicero autem hujus anni initio pro eo egit in Senatu, cum consulibus Ap. Claudio et L. Domitio. Quid autem egerit, ad Crassum hac epistola in provinciam scribit. De eadem etiam contentione et defensione Crassi loquitur in epistola longa ad Lentulum, (quæ extremo hoc anno, ut ostendam, scripta est) ita, *Crassi causam, magna illius commendatione susceptam, defendi in Senatu.*

M. Tullius Cicero C. Cæsari Imp. S. D.

VII. 5. *Vide, quam mihi persuaserim*] C. Cæsar jam quintum annum pro consule bellum gerebat in Gallia, cum ad eum cum his litteris C. Trebatium misit Cicero. Missum autem esse Domitio et Claudio coss. hinc intelligi potest, quod cum hanc epistolam scripsit, Balbus erat Romæ. Quod significat, cum ait, *sustulimus manus et ego et Balbus.* Idem autem Balbus erat Romæ his consulibus, Id. Jan. quemadmodum ex epistola ad Q. Fratrem lib. II. intelligi potest, cujus initium est, *Gaudeo tibi jucundas esse.* At Trebatius iisdem consulibus est in Gallia, mense Maio: ut elicitur ex epistola ad Q. Fratrem, quæ incipit, *A. d.* III. *Non Jun.* ubi hæc verba sunt, *Cæsar, Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam mihi gratias egit.* Profectus est autem iisdem consulibus Q. Frater ad Cæsarem post Trebatium, ante mensem Junium. Quod indicat epistola ad eum proficiscentem scripta, cujus initium est, *Duas adhuc.* In qua extrema hæc verba sunt, *Trebatium ut valde ames, te valde rogo.*

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 6. *In omnibus meis epistolis*] Cum hæc epistola scripta est, Trebatius erat in Gallia cum Cæsare, itemque Balbus, quia ait, *in omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem aut ad Balbum mitto.* Hortatur eum ut desiderium urbis deponat, monetque ne in Britannia se decipi patiatur. Bis autem in Britanniam trajecit Cæsar:

primum priore anno Pompeio et Crasso coss. Dione auctore lib. XXXIX. iterum hoc anno, Domitio et Claudio coss. Dione auctore lib. XL. Itaque cum suspicaretur Trebatium cum Cæsare in Britanniam trajecturum, hæc scribit. Si quidem in epistola quadam ad Att. lib. IV. his coss. data, ait, *ex Q. Fratris litteris jam suspicor Cæsarem esse in Britannia.*

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 7. *Ego te commendare non desisto*] Trebatium item de Britannia monet, ut si utile sit in eam trajicere, trajiciat: sin minus, in Gallia maneat. Meminit item litterarum, quas a Q. Fratre multas accipit: de quibus ante diximus.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 8. *Scripsit ad me Cæsar*] Scribit se accepisse litteras a Cæsare, quibus eum sibi familiarem futurum affirmat. Has autem epistolas se accepisse ait a. d. III. Non. Jan. ad Q. Fratrem scribens, his verbis, *Cæsar, Trebatium quod ad se miserim, persalse et humaniter etiam mihi gratias egit.* Videtur suspicari, eum aut profectum jam, aut profecturum in Britanniam. Quia ait, *ego vestras Britannicas litteras expecto.*

Cicero Trebatio S. D.

VII. 17. *Ex tuis litteris*] Hæc epistola superiorem sequitur: quia in illa suspicari videbatur eum profecturum esse in Britanniam: in hac vero profectum eum non esse, videtur scire, cum ait, *in Britanniam te non esse profectum gaudeo. Ubi sis hiematurus, scribas ad me velim.* Cæsarem porro a. d. VI. Kal. Oct. exercitum Britannia reportasse scribit Cicero ad Att. lib. IV.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 9. *Jamdiu ignoro quid agas*] Quærit item ab eo ubi sit hiematurus.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 10. *Legi tuas litteras*] Extremo hoc eodem anno videtur scripta hæc epistola: quia ait, *metuo ne frigeas in hibernis: quamobrem camino luculento utendum censeo.* In Britanniam item eum non esse profectum, se scire significat, cum ait, *quod si in Britanniam quoque profectus esses, nemo te in illa tanta insula peritior fuisset.*

Cicero Trebatio S. D.

VII. 16. *In equo Trojano*] Hæc item prope anni finem scripta videtur: quia ait, *nunc vero in hibernis injectus mihi videris.* Item, *ecquid in Italiam venturi suis hac hieme, fac plane sciam.* Item non transisse eum in Britanniam, se scire significat, cum inquit, *Britannia non nimis* φιλοθήρον *te præbuisti.*

M. T. Cicero P. Lentulo Procos. S. P. D.

I. 9. *Perjucundæ*] P. Lentulus pro consule adhuc Ciliciam regebat. Ap. Claudio consule scripta est: ex his verbis, *Appius dixit, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, tibique successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse.* Hac eadem de re scribit etiam ad Q. Fratrem v. Id. Oct. his coss. ut omnino extremo hoc anno hæc epistola scripta esse videatur. Exponit quærenti Lentulo, cur Vatinium, Crassumque inimicos ante suos, defenderit.

M. T. Cicero S. D. L. Valerio Jurisconsulto.

I. 10. *Cur enim tibi hoc non gratificer nescio*] Commendat Lentulo proconsuli Ciliciæ Valerium, qui in Cilicia erat. Credo autem commendasse eum in extremo consulatu ejus: nam eundem commendat etiam Ap. Claudio proconsuli, successori Lentuli, in prima ad eum epistola.

INTERREGNUM SEX MENSIUM ANTE

CN. DOMITIUM CALVINUM, M. VALERIUM MESSALAM COSS.

ANNO AD URBE COND. 700.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 11. *Nisi ante Roma*] Trebatius item in Gallia erat. Hoc autem anno per sex menses interregnum fuit sine consulibus, ut ait Dio lib. XL. Inde in reliquum anni creati sunt consules, Cn. Domitius Calvinus, et M. Valerius Messala. Hanc autem epistolam per interregnum illud scriptam esse, ex his verbis intelligi potest, *quis enim tot interregnis jurisconsultum desiderat?*

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 1. *Quamquam me nomine*] C. Curio in Asia erat, ut ex ea epistola apparet, cujus initium est, *Nondum erat auditum:* cum ait, *et te jam ex Asia Romam versus profectum esse constaret.* Fuisse autem in Asia cum potestate, declarant verba illius epistolæ quæ incipit, *Hæc negotia:* quæ sunt, *Vel quod excelso et illustri loco sit laus tua, in plurimorum et sociorum et civium conspectu.* Verisimile autem est quæstorem fuisse, quia paucis post annis fuit Tribunus plebis: ante tribunatum autem capiebatur quæstura. Quantopere autem et socios, et cives Romanos publicanos, qui in Asia negotiabantur, juvare et vexare possent quæstores, apparet ex P. Rutilio, quæstore Q. Mucii Scævolæ: quem idcirco equites Romani damnarunt, quod Asianos a publicanorum injuriis defenderat. Priores hæ epistolæ, quo anno scriptæ sint, ex earum verbis non liquet, illud tamen constat, epistolam illam, *Nondum erat auditum*, scriptam esse hoc anno, Calvino et Messala coss. quia in ea commendat Curioni ex Asia Romam decedenti Milonem, consulatus candidatum hoc anno: Dione, Appiano, et Pædiano, auctoribus. Cum autem in omnibus epistolis ante illam agat de reditu ejus, eodem forte anno omnes scriptæ esse videri poterunt, antequam Curio ex Asia decederet. Si quidem in hac ait, *ego te abfuisse tamdiu a nobis gaudeo.* Hæc certe præcedit reliquas, quod in ea Curionem a se requisivisse litteras scribit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 2. *Gravi teste*] Agit cum Curione absente de obitu patris ejus.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 3. *Rupæ studium*] Hujus epistolæ cum superioris conjunctum fere argumentum est. Agit enim de ludis funebribus in honorem patris Curionis edendis, eosque in adventum ejus differendos suadet. Ludorum spectandorum satietate omnes defessos ait, propter magnificentissimos (ut puto) ludos, quos Pompeius in secundo suo consulatu paulo ante dedit.

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 12. *Mirabar quid esset*] Epicureum factum esse Trebatium se audisse ait a Pansa. Rogat item ut ad se scribat quid agat: ut in superiore ad eundem Trebatium.

M. Cicero Trebatio S. D.

VII. 13. *Adeone me injustum*] Hæc epistola his certe consulibus scripta est. Nam monet Trebatium ut vitet Treviros, quibuscum bellavit Cæsar hoc anno, Dione auctore. Scripta est autem a. d. III. Non. Mart. ergo per interregnum.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 15. *Quam sint morosi*] Ante se moleste tulisse ait quod Trebatius in Gallia invitus esset: nunc dolere quod illic sit libenter. Invitum autem fuisse ibi Trebatium, intelligitur fere ex omnibus superioribus epistolis.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 18. *Accepi a te aliquot epistolas*] In hac item significat, se cognovisse quam forti animo militiam ferat, contra quam ille antea fecerat. Data est VI. Id. Apr. de Pontino.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 4. *Epistolarum genera*] Hortatur Curionem ad laudem, et maximam esse ejus expectationem ait. Rempublicam afflictam esse innuit: forte quod sine consulibus esset, nec comitia consularia haberi civili contentione possent. Scripta est certe post superiores: quia inquit, *utar ea clausula qua soleo, teque ad studium summæ laudis cohortabor.* Hac autem clausula usus est prima et tertia ante epistola.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 5. *Hæc negotia*] Admirabilem expectationem ejus reditus esse ait. De Republica afflicta eadem repetit.

M. Cicero S. P. D. P. Sextio P. F.

V. 17. *Non oblivione*] Hæc epistola sine dubio scripta est post reditum Ciceronis ab exilio: quia ait, *Et proxime, recenti adventu meo, cum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tamen nulla re saluti tuæ defui: cumque eo tempore invidia annonæ inimici non solum mei, verum etiam amicorum tuorum, plus valuisset, &c.* Nam invidiam annonæ, quæ gravior facta erat post reditum Ciceronis, fecit Claudius et Ciceroni et amicis ejus. Est autem intelligendum, tria judicia commemorari in hac epistola a Cicerone: unum, quo, cum esset Sextius quæstor C. Antonii proconsulis Macedoniæ, accusabatur una cum proconsule suo de repetundis, ut supra dictum est: alterum, de ambitu: tertium, de vi: ut scribit ad Q. Fratrem, Marcellino et Philippo coss. In primo judicio ait se defendisse eum: cum inquit, *primis illis temporibus, quibus in invidiam absens et in crimen vocabare, defendi.* Judicio de vi est absolutus, defendente Cicerone: quia scribit ad Q. Fratrem, epistola scripta Lentulo et Philippo coss. ita, *Sextius noster absolutus est* III. *Id. Mart.* Tertio judicio de ambitu est condemnatus, de quo eum consolatur in hac epistola: cum ait, *iniquitas totius judicii, multaque alia reipublicæ vitia, plus quam causa ipsa veritasque, valuissent.* Cum ergo damnatus illo judicio exularet Sextius, ad eum scripsit hanc epistolam Cicero consolandi causa. Quia vero ait, *non oblivione amicitiæ nostræ, neque intermissione consuetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas litteras misi.* Et paulo post, *cum vero et intervallum jam satis longum fuisset,* significat aliquot tempora intercessisse post ejus exilium, de quibus non scripserat. Item quia ait, *illud utinam ne vere scriberem, ea te republica carere, in qua neminem prudentem res ulla delectet:* propterea in eam opinionem adducor ut credam, scriptam esse hanc epistolam biennio post quam Sextius damnatus fuerat: cum propter seditiones civiles consules creari non possent, sed interregna alia ex aliis inirentur. Quod hoc tempore factum est. Quamobrem hic ponendam esse hanc epistolam, nihil tamen affirmantes, duximus.

CN. DOMITIO CALVINO,
M. VALERIO MESSALA COSS.

IN RELIQUUM ANNI.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 14. *Chrysippus Vectius*] Adventante æstate scripta est, Calvinio et Messala coss. quia ait, *sin æstivus timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia.* In quam scilicet trajicere cum Cæsare anno superiore noluit.

M. T. Cicero C. Curioni S. P. D.

II. 6. *Nondum erat auditum*] Superioribus proximis ad Curionem litteris magnam esse reditus ejus expectationem significat: in hac autem eum ipsum Romam adventare ait. Itaque huic adventanti Milonem commendat, qui in annum sequentem consulatum petebat, Dione, Appiano, Pædiano auctoribus.

CN. POMPEIO MAGNO III. COS.
SINE COLLEGA.

ANNO AB URBE COND. 701.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 2. *Mandatum tuum*] Hoc anno cum civili contentione consularia comitia haberi non potuissent, quibus Milo, Hypsæus et Scipio petebant, interregnum fuit usque ad v. Kal. Mart. quo die Cn. Pompeius Magnus consul creatus statim iniit, auctore Pædiano in Milonianam. Hæc igitur epistola Pompeio III. cos. scripta est, quia de nece Clodii agit, hoc anno per interregnum commissa, et de novis legibus, quas tulit Pompeius III. consul: ut ait Pædianus his verbis, *Pompeius statim consulatum iniit, deinde ante diem tertium de legibus novis ferendis retulit.* Eadem et de legibus et de judiciis Appian. lib. II. et Dio lib. XL. quæ nunc Cicero. Præterea de T. Munacio Planco Bursa damnato agit: de quo etiam Dio in tertio consulatu Pompeii. Damnatus est autem quod curiam incenderat in funere Claudii, teste Dione.

M. Cicero S. D. T. Fabio.

V. 18. *Etsi egomet*] Quanquam non admodum certa est hujus epistolæ sedes, tamen ante bellum civile Cæsaris scripta esse videtur. Quod ex his verbis intelligi potest, *Ea denique videtur conditio impendere legum, judiciorum, temporum, ut optime actum cum eo videatur esse, qui quam levissima pœna ab hac republica discesserit.* Consolatur autem Fabium de repulsa lata: quam repulsam ipse videtur tulisse Pompeio III. consule, rempublicam extraordinaria cum potestate administrante. Quod videtur his verbis significari, *et cum unum sit judicium ex tam multis quod reprehendatur, ut quod una sententia eaque dubia potentiæ alicujus condonatum existimetur, omnibus his de causis debes istam molestiam quam lenissime ferre.*

M. T. Cicero T. Titio, T. F. Legato S.

XIII. 75. *Etsi non dubito quin*] T. Titius legatus erat rei frumentariæ curandæ. Commendat ei C. Avianum, ut commodet ei de loco quo deportet frumentum: ut puto in Sicilia. Nam et, *C. Avianus in Sicilia est*, charta 232. et Sicilia horreum populi Romani solet esse. Sedes hæc videtur esse hujus epistolæ, quod ait se hoc idem obtinuisse per triennium, dum Pompeius ei negotio præfuit. Pompeius autem, Lentulo et Metello coss. rem frumentariam in quinquennium est adeptus, Dione auctore: quo expleto, facile hoc anno alius successit cum hoc Titio legato. Conjectura tamen est.

SER. SULPICIO RUFO,
M. CLAUDIO MARCELLO COSS.

ANNO AB URBE COND. 702.

M. T. Cicero Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 1. *Si ipsa respublica*] Appius Claudius proconsul erat in Cilicia, successeratque ante biennium Lentulo: Cicero Romæ erat. Hujus autem epistolæ quanquam incerta sedes est, tamen illud affirmari posse videtur, non initio proconsulatus Appii missam esse, cum imperator, non proconsul, in titulo epistolæ nominetur. Scripta est certe antequam Ciceroni obtigisset ut Appio in provincia succederet. Successit enim his iisdem consulibus, ut infra apparebit. De reconciliata gratia agit, quæ P. Clodii Fratris ejus causa fuerat interrupta. Redierat autem in gratiam cum eo tum cum consul esset. Ut eodem anno in epistola longa scripsit ad Lentulum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 2. *Cum et contra*] Nunciat Appio Claudio proconsuli Ciliciæ, sibi obtigisse ut ei in provincia succederet. Rogat eum ut sibi provinciam quam expeditissimam tradere velit. Romæ adhuc erat Cicero, ut in sequenti ait. Non videtur autem proconsul esse nominandus, nisi postea-

quam aut in provinciam pervenit, aut certe imperium ad urbem accepit.

M. T. Cicero Procos. Ap. Claudio Pulchro Imp. S. P. D.

III. 3. *A. d.* XI. *Kal. Jun.*] Scripta est tum eum in Ciliciam proficiscebatur successurus Appio, mense Maio: quemadmodum ex epistolarum ad Att. lib. 5. intelligi potest. Fuit autem in Tusculano cum Attico Non. Maii. Inde Arpino, Arcano, Aquino, Cumano, Pompeiano, Trebulano peragratis, Beneventum venit a. d. v. Id. Maii, Tarentum autem a. d. XV. Kal. Jun. At vero Brundusium a. d. XI. Kal. Jun. quemadmodum in hac epistola scribit. Ergo post XI. Kal. Jun. scripta: est tamen ante Kal. Jun. Si quidem ait, se C. Pontinium legatum expectare Brundusii, eumque ante Kal. Jun. venturum arbitrari. De quo sic scribit etiam ad Att. lib. V. *De Pontinio recte scribis. Est enim ita, ut si ante Kal. Jun. Brundusii futurus sit, minus urgendi fuerint M. Annius et Tullius.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 1. *Quod tibi decedenti*] Cælius Ciceronem proconsulem in provinciam proficiscentem certiorem facit de rebus urbanis, quemadmodum ei decedenti pollicitus erat se facturum. Scripta est post IX. Kal. Jun. sed tamen ante Kal. Jun. quia ait, *te a. d.* IX. *Kal. Jun. subrostrani dissiparant periisse.* Item, *Marcellus consul provinciarum relationem in Kal. Jan. distulit.*

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 4. *Pridie Non. Jun.*] Scripta est post diem prid. Non. Jun. quo die se fuisse etiam Brundusii significat in epistola ipsa.

M. Cicero C. Memmio S. D.

XIII. 1. *Etsi non satis*] C. Memmius Pompeio III. cos. de ambitu condemnatus, Athenis nunc exulabat. Quo Cicero venerat a. d. VI. Kal. Quint. ut est in epistolis ad Att. Ibi cum videre Memmium exulantem non potuisset, (quod se prid. quam Athenas venerat Cicero, Mitylenas contulisset) scribit ad eum, doletque se non potuisse eum Athenis videre: petit autem ab eo ut Patroni cuidam commodet. Qua de re sic ad Att. lib. V. *Commodius visum est et Xenoni, et post ipsi Patroni, me ad Memmium scribere, (qui prid. quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat) ut is ad suos scriberet, posse id sua voluntate fieri.*

M. Cicero C. Memmio.

XIII. 2. *C. Aviano Evandro*] Ad eundem Memmium scribit, atque ei commendat Avianum statuarium, ut ei de habitatione accommodet. Scripta est ante Kal. Quint. quia inquit Aviano subitum esse remigrare Kal. Quint.

M. T. Cicero Procos. M. Cælio S. P. D.

II. 8. *Quid? ut me hoc tibi*] Cicero Athenis profectus est prid. Non. Quint. cum ibi decem dies ipsos fuisset. Ad Att. eo die Athenis proficiscens hanc epistolam scripsit, ut ex ipsa epistola apparet. Respondet epistolæ Cælii superiori, cujus initium est, *Quod tibi.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 2. *Certe inquam*] Certiorem facit Ciceronem absentem de rebus urbanis. Id est, Messalam absolutum, Marcelli impetus resedisse, Hirrum secum ædilitatem petere. Mandat ut, si ædilis creatus fuerit, sibi curet pantheras: et syngrapham Sitianam ei commendat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 3. *Est-ne? vici*] Nuntiat item se in ædilitate competitorem habere Hirrum.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 5. *Tralles veni*] Cicero proficiscens in Ciliciam, Ephesum venit,

XI. Kal. Sext. Att. Tralles VI. Kal. Sext. ex hac epistola. Laodiceam in provinciam pridie Kal. Sext. Att. Fam. Hanc scripsit post VI. Kal. Sext. ante prid. Kal. Sext. quia ait se putare illo die futurum Laodiceæ. De conveniendo in provincia Appio agit.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 4. *Invideo tibi*] Scripta est Kal. Sext. ut adscriptum est in extrema epistola. Nuntiat de rebus urbanis: ut C. Marcellum consulem designatum esse. Curionem petere tribunatum plebis: comitia ædilitia, quibus ipse petebat, nondum esse habita. Pantheras et syngrapham Sitianam ei commendat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 5. *Qua tu cura sis*] Timere se ait de copiis Ciceronis, si Parthi moveant. Optat ei tantum belli, quo triumphum consequi possit. Curionem designatum tribunum plebis nuntiat. Nihil de suis comitiis ædilitiis ait: nondum autem habita fuisse videntur.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 6. *Sic tu inquis*] Nuntiat se vicisse competitorem Hirrum, et ædilem se factum. Rogat item eum de pantheris: seque a. d. IV. Non. Sept. hanc dedisse ait.

M. Cicero Procos. S. D. M. Marcello Cos.

XV. 9. *Te et pietatis*] Cum accepisset a Cælio comitiis consularibus C. Marcellum consulem factum, gratulatur M. Marcello consuli de C. Marcello fratre ejus patruele in insequentem annum consule designato. Quia vero de Parthis nuntiari aliquid ait, neque se publice adhuc ea de re scribere velle, propterea hæc epistola videtur præcedere eam quam publice misit, in qua de Parthis nuntiat.

M. Cicero Procos. C. Marcello Cos. Des. S. D.

XV. 7. *Maxima sum lætitia*] Gratulatur ei quod consul designatus sit.

M. Cicero Procos. C. Marcello Collegæ S. D.

XV. 8. *Marcellum tuum*] Gratulatur C. Marcello collegæ in auguratu de C. Marcello filio consule designato.

M. Cicero Imp. L. Paulo Cos. Des. S. D.

XV. 12. *Etsi mihi nunquam*] Gratulatur L. Paulo cos. des. de consulatu. Hæ quatuor epistolæ gratulationis eodem (ut puto) die scriptæ sunt. Non videtur autem in titulo epistolæ Imperator appellandus, quod nondum in Amano rem gesserit.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

XV. 2. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Cum prid. Kal. Sext.*] Quod negarat paulo ante, cum scriberet ad M. Marcellum consulem, se adhuc de Parthico metu publice scribere velle, id nunc facit. Nuntiat enim Senatui, ut venerit in provinciam prid. Kal. Sext. ut accepto nuntio de bello a Parthis in Syriam illato, iter in Ciliciam per Cappadociam facere cœperit. Cum autem hæc scripsit, in Ciliciam per Cappadociam tendebat.

M. T. Cicero Procos. Ap. Pulchro Imp. S. P. D.

III. 6. *Cum meum factum*] Eodem tempore scripta est atque superior: quia ait, se prid. Kal. Sext. in provinciam venisse, prid. Kal. Sept. ab Iconio castra movisse, iter in Ciliciam per Cappadociam facere. Agit cum Appio de ratione conveniendi eam in provincia.

Cicero Imp. S. D. M. Catoni.

XV. 3. *Cum ad me legati*] Nuntiat quemadmodum legati ab Antiocho Commageno ad se venerint in castra ad Iconium a. d. III. Kal. Sept. et nuntiarint regis Parthorum filium cum magnis Parthorum copiis ad Euphratem venisse: se tamen de hac re nihil publice scribere. Non videtur autem imperator esse appellandus

in titulo epistolæ, sed proconsul, ob causam quam ante diximus. Præterea vero mendose est in epistola, se in castris ad Iconium conventum esse a legatis a. d. III. Non. Sept. Si quidem ad Att. scribit se lustrasse exercitum apud Iconium III. Kal. Sept. et ad Appium, castra movisse ab Iconio prid. Kal. Sept.

M. T. M. F. Cicero Procos. S. P. D. Coss. Præt. Trib. Pl. S. P. Q. R.

XV. 1. *Si vos bene valetis, bene est: ego quidem valeo. Etsi non dubie*] Ter ante Romam scripsit de metu Parthico: primo ad M. Marcellum consulem obscurissime: qua in epistola negavit se ad eum de ea re scribere velle, ne publice, cum ad consulem scriberet, scribere videretur. Deinde eadem illa ad Senatum, id est, quemadmodum de bello a Parthis in Syriam illato quotidie et nuntii et litteræ afferrentur: qua in epistola ait, se cum exercitu, per Cappadociæ partem eam quæ cum Cilicia continens est, iter fecisse, castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locasse. Tertio in epistola ad Catonem, qua ait, se in castris ad Iconium a. d. III. Kal. Sept. accepisse a legatis Antiochi Commageni regis Parthorum filium Euphratem transire cœpisse: ea tamen de re nihil publice scripsisse. Quarto nunc ad Senatum scribit, atque se non solum a legatis Commageni regis, Parthos Euphratem transire cœpisse audisse, sed etiam a. d. XIII. Kal. Oct. cum exercitum in Ciliciam duceret, a Tarcondimoto accepisse Parthos item Euphratem transisse. Ergo quæ negarat Catoni se publice scripsisse, nunc quia certiora habet, scribit. Se ad Taurum instituisse ducere ait. Hanc epistolam de Parthico tumultu recitatam in Senatu Non. Oct. scribit ad Att.

M. Cælius M. Cicero S. D.

VIII. 8. *Etsi de republica*] Narrat senatus-consulta facta prid. Kal. Oct. ut C. Marcellus, L. Paulus cos. des. ad Kal. Mart. (quæ futuræ essent in suo consulatu) de provinciis Galliis referrent ad Senatum.

M. T. Cicero Procos. M. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 9. *Plurimum tibi*] Respondet epistolæ Cælii, cujus initium est, *Sic tu, inquis, Hirrum tractasti?* Gratulatur ei quod ædilis factus sit: et serius se hoc facere ait, quia sero audierit. In iis enim et locis esse, quo et propter longinquitatem et propter latrocinia tardissime omnia perferantur. Erat autem fortasse ad montem Taurum, de quo superiore epistola.

M. T. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro.

III. 8. *Etsi, quantum*] Cicero Tarsum venit, Ciliciæ urbem, III. Non. Oct. *Att.* Tarso Amanum versus profectus est Non. Oct. ex hac epistola. Postridie ejus diei hanc epistolam scripsit, ut in hac ait. Querelis quibusdam Appii respondet. De Parthis quod falso nunciatum erat Romæ, ita quærenti Appio respondet, *De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto. Arabes qui fuerunt admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse. Hostem esse in Syria negant ullum.*

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 10. *Tu vide*] Cicero a. d. III. Idus Octob. in Amanum montem venit: in eo rem bene gessit, apud Issum Imperator appellatus est. *Fam. Att.* Cum hanc epistolam scripsit, in eo quintum et vigesimum jam diem Pindenissum oppidum oppugnabat, id est XVI. Kal. Decemb. Nam Pindenissum captum est Saturnalibus, ut scribit ad Att. id est XIV. Kal. Jan. cum per septem et quinquaginta dies illud oppugnasset, ut ait in epistola ad Catonem. Nullas se a Cælio accepisse litteras ait, postea quam ædilis factus est. Neque enim dum accepisse videtur eas, quarum initium est, *Etsi de republica.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 10. *Sane quam*] Hæc epist.

scripta est a. d. XIV. Kal. Decemb. ut ex ipsa apparet, in qua agit de falso metu Parthico a Cassio nunciato, qui Arabas ornatu Parthico in provinciam immisisse credebatur. Qua de re scripsit superiore etiam epistola ad Appium, postr. Non. Oct.

M. T. Cicero Procos. C. Curioni Trib. Pl. S. P. D.

II. 7. *Sera gratulatio*] Gratulatur Curioni de tribunatu plebis, serius, ut ait, quia longius abest. Scripta est hæc epistola post captum Pindenissum, id est, post XIV. Kal. Jan. Quod intelligi potest ex his verbis, *Paucis diebus eram missurus domesticos tabellarios, ut quoniam sane feliciter et ex mea sententia remp. gessimus, unis litteris totius æstatis res gestas ad Senatum perscriberem.*

M. Cicero Volumnio S. D.

VII. 32. *Quod sine prænomine*] Hæc epistola scripta esse videtur Decembri mense: quia meminit Curionis Trib. pleb. cum ait, *Cupio nostrum illum amicum in Tribunatu quamplurimum habere gravitatis.* Dolet, post discessum suum omnia omnium dicta in se conferri.

M. Cicero Q. Thermo Proprat. S.

XIII. 53. *L. Genucilio Curvo*] Q. Thermus proprætor erat Asiæ tum cum Cicero proconsul erat Ciliciæ, quemadmodum ex sequentibus epistolis aperte apparebit. Commendat ei hac epistola L. Genucilium. Quo autem mense eam scripserit, ex verbis ejus non liquet.

Cicero Thermo Proprat. S.

XIII. 56. *Cluvius Puteolanus*] Incertum est an hæc epistola scripta sit ante rem gestam a Cicerone in Amano, an vero posteaquam gessit. Illud non dubium est, scriptam esse postquam Epheso profectus est. Ephesum autem venit XI. Kal. Sext. Att. siquidem ait, *Dixerat mihi Euthydemus cum Ephesi essem.*

Cicero Thermo Proprat. S.

XIII. 55. *Etsi mihi videor*] M. Annelius legatus Ciceronis rei suæ causa profectus erat ad Thermum proprætorem Asiæ, quemadmodum apparet ex epistola ad Thermum, cujus initium est, *Quo magis.* Profectus autem videtur esse post rem a Cicerone in Amane monte gestam: quia ait, *Tum vero posteaquam mecum in bello ac in re militari fuit, tantam in eo virtutem, prudentiam, fidem, tantamque erga me benevolentiam cognovi, ut hominem neminem pluris faciam.* Hunc ergo commendat Thermo.

M. Cicero P. Silio Proprat. S. D.

XIII. 61. *T. Pinnio*] Illud satis constare videtur, hunc Silium in provincia eodem tempore fuisse, atque Ciceronem: quia ait ipse Cicero ad Silium, *magnum theatrum habet ista provincia, non ut hæc nostra.* Item videtur eodem tempore fuisse in provincia quo Cicero et Thermus in Cilicia et Asia, et Bibulus in Syria, erant: quia scribit ad Att. *Thermum, Silium vere audis laudari. Valde se honeste gerunt. Adde M. Nonium, Bibulum, me, si voles.* Quanquam eo in loco mendose legitur *Silvium*, meo quidem judicio. Provincia vero in qua erat Silius, videtur fuisse Bithynia, in qua sunt Nicæenses, quorum in hac epistola meminit. Itaque hæ omnes epistolæ scriptæ ad Silium proprætorem, scriptæ sunt a Cicerone ex provincia: quibus vero mensibus, non liquet.

M. Cicero P. Silio Proprat. S. D.

XIII. 62. *Et in Atilii negotio*] Gratias agit Silio de Atilio et commendat Q. fratrem. Ostendit autem se in provincia esse, cum ait, *cum enim sero venissem.*

M. Cicero P. Silio Proprat. S. D.

XIII. 63. *Non putavi*] Commendat ei C. Lenium. Ostendit se esse in provincia, cum ait, *Ego eum a me invitissimum dimisi, quod consilio ejus fideli ac bono libenter utebar.* Rogat eum ut ad se confectis ejus negotiis quamprimum remittat.

M. Cicero P. Silio Proprat. S. D.

XIII. 64. *Nero meus*] Commendat Silio Neronem, et quosdam ejus familiares.

M. Cicero Crassipedi S. P. D.

X. 9. *Quanquam tibi præsens*] Difficile est de vera hujus epistolæ sede aliquid affirmare: sed tamen duplici conjectura ducor ut credam hoc tempore scriptam esse: altera, quod is Crassipes, quæstor Bithyniæ fuisse videtur, cum ait, *Cujus rei quantam potestatem Quæstor habeat, non sum ignarus:* ut Quæstor esse C. Silii proprætoris Bithyniæ videatur. Altera est, quod utrique commendat socios Bithynicos familiares suos: in primis autem Crassipedi P. Rupilium, magistrum in ea societate: C. vero Silio P. Terentium Hysponem, qui operas in scriptura pro magistro daret, ut in sequenti epistola. Ex quibus intelligi potest id quod initio diximus, cum hoc tempore quo Silius proprætor erat in Bithynia, scriptam esse hanc epistolam, tum vero Crassipedem Silii in Bithynia fuisse quæstorem.

M. Cicero P. Silio Proprat. S. D.

XIII. 65. *Cum P. Terentio Hysponе*] Commendat P. Terentium Hysponem, qui in Bithynica societate operas in scriptura pro magistro daret. De cujus negotio se egisse ait cum Ephesiis cum fuit Ephesi in Ciliciam veniens.

Cicero Silio S. P. D.

XIII. 47. *Qui ego tibi commendem eum*] Commendat ei Egnatium. Quanquam non est adscriptum *Proprætori*, tamen idem Silius videtur esse. Videturque hæc epistola subsequi superiores, quia ait, *sed hæc coram.*

L. ÆMILIO PAULO,
C. CLAUDIO MARCELLO COSS.

ANNO AB URBE COND. 703.

M. Cicero Imp. C. Catoni S. D.

XV. 4. *Summa tua auctoritas*] Jam Cicero æstivis confectis Q. fratrem legatum hibernis et Ciliciæ præfecerat. Inde in Asiam Tharso Non. Jan. reversus erat: *Att.* Tum igitur hanc epistolam scripsit, in qua omnes res a se gestas in Amano monte exponit. Se Pindenissum cepisse nunciat, exercitum in hiberna dimisisse, Q. fratrem provinciæ præfecisse. Supplicationem propterea ut sibi Cato decernat petit.

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

XV. 10. *Cum id accidit*] Petit item a consule ut de supplicatione sibi de rebus a se in provincia gestis decernenda referat.

M. Cicero Imp. L. Paulo Cos. S. D.

XV. 13. *Maxime mihi fuit*] Petit idem a Paulo consule quod petiit supra a collega Marcello. Misit etiam hoc eodem tempore de eadem re litteras ad Senatum, quæ interciderunt: de quibus loquitur in superiore epistola ad Marcellum, cum ait, *Peto a te ut quam honorificentissimum S. C. litteris meis recitatis, faciendum cures.* Non scripsisse autem se statim post res gestas, indicat in epistola ad Appium, cum ait, *idque a me recte factum puto, quod non statim ut imperator appellatus sim, sed aliis rebus additis, æstivisque confectis, litteras miserim.* Atque hæ tres epistolæ eodem fere die scriptæ esse videntur.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 6. *Non dubito*] Hæc epistola scripta videtur principio hujus anni, quia ait, *consules adhuc S. C. nullum nisi de feriis Latinis facere potuerunt.* Nam ejusmodi S. C. primis anni mensibus fiebant. Item, *Curioni nostro tribunatus conglaciat.* Et post, *pro Cæsare loqui cœpit.* Inierat autem IV. Id. Decemb. qui dies solennis erat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 7. *Quam cito*] Hæc epist. scripta videtur postridie quam superior. Nam ait, *tuo liberto pluribus verbis scriptas pridie dederam.* Item audisse videtur rem a Cicerone bene

gestam: quia ait, *quo adhuc feliciùs rem gessisti.*

M. Cicero Procos. S. D. Ap. Pulchro.

III. 7. *Pluribus verbis*] Hæc epistola scripta est dum Cicero esset Laodiceæ, ubi moratus est a III. Id. Feb. usque ad Non. Maii: *Att.* et *Fam.* Inquit enim in hac epistola. *Hæc scripsi subito cum Bruti pueri Laodiceæ me convenissent, et se Romam properare dixissent.* Item scripta est post brumam: quia ait, *tametsi id quidem fecerunt ridicule: quas enim litteras afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt.* Ex quo intelligi potest, imperatorem, non proconsulem, in titulo epistolæ esse appellandum: cum priore anno imperator sit appellatus. Querelis item quibusdam Appii respondet.

M. Cic. C. Cassio Proquæst. S. D.

XV. 14. *M. Fabium*] C. Cassius proquæstor erat Syriæ: eum hortatur ut Romam properans, curet ne quid sibi temporis in provincia prorogetur. Se de M. Fabio studiose facturum quæ rogavit ait.

M. T. C. Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 14. *M. Fabio*] Commendat Cælio rem M. Fabii. Scripta videtur per hiemem, quia ait, *Jamdiu propter hiemis magnitudinem nihil novi ad nos afferebatur.* Hoc fecisse C. Cassii rogatu videtur, ex superiore ad eum epistola.

M. Cicero C. Curtio Peduceano Præt. S. P. D.

XIII. 59. *M. Fabium*] Commendat item huic rem M. Fabii. Ostendit etiam se in provincia esse, cum ait, *etiam cum procul absim.*

M. Cicero C. Titio L. F. Rufo Præt. Urb. S.

XIII. 58. *L. Custidius*] Commendat huic L. Custidium. Ostendit etiam se in provincia esse, cum ait, *etiam cum longissime absim.*

M. T. C. Imp. Ap. Pulchro S. D.

III. 9. *Vix tandem*] Litteras ab Appio jam placato, postquam ad urbem accesserit, se accepisse ait: rogat eum ut se adjuvet in supplicatione decernenda. Hæc aliquanto post superiores de supplicatione videtur scripta: quia ait, *Omnino serius misi litteras quam vellem. In quo cum difficultas navigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras.*

M. T. C. Imp. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 11. *Putaresne unquam*] Respondet de pantheris. Se sollicitum esse quid de provincias decernatur, et Romam redire cupere ait. Scripta est Megalensibus, id est, Non. Apr. ex epistola.

Cicero Thermo Propræt. S.

XIII. 54. *Cum mihi multa*] Commendat Thermo M. Marcilium. Scripta est hoc tempore, quia ait Marcilium ad se venisse Laodiceam, ubi hoc tempore erat Cicero, ut ostendimus.

Cicero Thermo Propræt. S.

XIII. 57. *Quo magis*] Ante Kal. Maias scripta est. Quia ait, *Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Maias. Ante eum diem redeat Anneius legatus oportet.* Erat autem Anneius ad Thermum profectus rei suæ causa, ut diximus. Quæ cum ita sint, et superiori et huic epistolæ in titulo addendum est IMP.

M. T. C. Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 13. *Raras tuas quidem*] Scripta est ante Non. Maii, quia ait, *Proficisci in Ciliciam cogitabam Non. Maii, et, cum primum æstiva attigissem, militaremque rem collocassem, decedere.* Respondet epistolæ Cælii, cujus initium est, *Non dubito.*

M. T. Cicero Imp. Q. Thermo Propræt. S. P. D.

II. 18. *Officium meum*] Scripta est tum cum in Ciliciam revertebat ex Asia: quia ait, *quod in Ciliciam proficiscebar.* Monet ut provinciæ quæs-

torem nobilem potius quam legatos præficiat.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

III. 10. *Cum est ad nos allatum*] Appius accusatus a Dolabella, opem Ciceronis per litteras implorarat. Pollicetur ei opem Cicero, cum ait, *Promitto me pro tua dignitate in hac provincia, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris: laborando, propinqui: auctoritate, cari hominis (ut spero) apud civitates: gravitate, imperatoris susceptum officia atque partes.* Intelligit autem, ut legatos ex Cilicia mittendos suadeat periculi Appii deprecatores. Scripta videtur, vel cum Laodiceæ erat, vel postquam in Ciliciam reversus est: quia ait, *Pontinus conscendens jam navim Epheso Laodiceam revertit.* Sperat eum propediem Censorem auditurum. Petit ne quid sibi temporis addatur in provincia.

M. T. Cicero Imp. Papirio Pæto S. D.

IX. 25. *Summum me ducem*] Hæc epistola scripta videtur postquam Laodicea discessit: quia ait, *Is cum ad me Laodiceam venisset.* Commendat Papirio item rem M. Fabii: quam supra commendavit etiam Cælio.

M. T. Cicero Imp. C. Cælio L. F. Quæst. Des. S. P. D.

II. 19. *Cum optatissimum*] Scripta est post Kal. Quint. quia ait, *Accepi a te missas litteras in Cilicia, cum essem in castris, a. d.* x. *Kal. Quint.* Item quod ait, *Gratissimum mihi feceris, si ad me in Ciliciam quam primum veneris.*

M. T. Cicero Imp. Cælio Rufo Ædili Cur. Des. S. P. D.

II. 12. *Solicitus equidem*] De decessione cogitat: quod ait, *quare etsi cum hæc leges, ego jam annuum munus confecero: tamen obviam mihi velim sint litteræ tuæ, quæ me erudiant de omni rep. ne hospes plane veniam.* Eum videre ædilem se cupere ait.

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro, ut spero, Censori S. P. D.

III. 11. *Cum essem in castris*] Adhuc in Cilicia est Cicero: quod inde intelligitur, cum ait, *Cum essem in castris ad fluvium Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore a te epistolæ duæ.* Fuit autem in castris a. d. x. Kal. Quint. ut supra diximus. Item cum ait, *flet a me cum per Asiam decedam.* Gratulatur eum absolutum esse de majestate, censorem jam illum esse sperat.

M. Cato M. Ciceroni Imp. S.

XV. 5. *Quod et resp.*] Respondet Cato epistolæ Ciceronis, cujus initium est, *Summa tua auctoritas.* In qua supplicationem petierat.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 11. *Non diu*] De supplicatione ejus quid egerit Curio Trib. pleb. Paulus, et Marcellus, coss. Cato, Favonius, Furnius, Lentulus, Balbus, nunciat. Item, ut Pompeius cum senatu incubuerit ut Cæsar ante Id. Novemb. decedat e provincia.

M. T. Cicero Imp. Caninio Salustio Proquæst. S. P. D.

II. 17. *Litteras a te mihi stator*] Salustius erat proquæstor Bibuli proconsulis Syriæ. Scripta est post XVI. Kal. Sext. quia ait, *litteras a te mihi stator tuus reddidit Tarsi, a. d.* XVI. *Kal. Sext.* Se prid. Kal. Sext. decessurum putat: quia ait, *quin ad diem decedam nulla causa est, præsertim sublato metu Parthico.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 13. *Gratulor tibi affinitate*] Gratulatur Ciceroni filiam Dolabellæ nupsisse. Nunciat ei mortem Q. Hortensii, cum ait, *Q. Hortensius, cum has litteras scripsi, animam agebat.* Videtur scripta hæc epistola quo tempore Cicero e Cilicia decessit: quia scribit in Bruto, *cum e Cilicia decedens Rhodum venissem, et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum.*

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. P. D.

III. 12. *Gratulabor tibi prius*] Gratulatur Appio, quod absolutus sit de ambitu: excusat se quod Tulliam Dolabellæ accusatori ejus collocaverit. Scripta est paulo post quam discessit: quia ait, *Decedenti mihi, et jam imperio annuo terminato a. d.* III. *Non. Sext. cum ad Sidam navi accederem, litteræ a meis sunt redditæ.*

M. T. Cicero M. Catoni S. D.

XV. 6. *Lætus sum*] Agit gratias Catoni de supplicatione. Jam autem propius accessisse videtur: quia ait, *ego, ut spero, propediem te videbo.*

M. Cicero Imp. C. Marcello C. F. Cos. S. P. D.

XV. 11. *Quantæ tibi curæ*] Agit gratias de supplicatione. Eodem tempore quo superior, scripta videtur: quia ait, *ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, videbo.*

M. T. Cicero Imp. Ap. Pulchro S. D.

III. 13. *Quasi divinarem*] Agit gratias de supplicatione: eum jam sperat Censorem.

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 15. *Non potuit accuratius agi*] Agit gratias de supplicatione, et quod sibi gratulatus sit de matrimonio Tulliæ. Respondet epistolis superioribus Cælii, *Quàm cito*, et *Gratulor tibi affinitate.*

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 12. *Pudet me*] Queritur de injuriis Appii, jam Censoris: et se Ciceronem expectare ait, atque eum quamprimum videre cupere.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 14. *Tanti non fuit*] In hac etiam de Appio Censore agit, rogatque Ciceronem ut quamprimum veniat. Ad arma rem spectare ait, propter contentionem Cæsaris et Pompeii de exercitibus dimittendis. Item ait, *suis Appium Censorem hic ostenta facere? de signis, de tabulis, &c.* At ad Att. scribit Id. Oct. ita, *scribe de censoribus, maximeque de signis, tabulis, quid fiat.* Ergo hæc ante Id. Oct. scripta.

M. Cicero Terentiæ, et Tul. suis, S. D.

XIV. 5. *Si tu, et Tullia lux nostra*] Cicero Ephesò discessit Kal. Oct. Att. Athenas venit prid. Id. Oct. ex hac epistola, quæ scripta est XV. Kal. Novemb. Se ad arma rem spectare audisse ait.

Tullius, et Cicero meus, et Frater, et Fr. F. Tironi suo S. D.

XVI. 1. *Paulo facilius*] Cicero discedens Patris ægrotum ibi Tironem reliquerat. Ad eum igitur de valetudine scribit, III. Non. Novemb.

Tullius Tironi suo S.

XVI. 2. *Non queo ad te*] Scripta est Non. Novemb. Alyzia. De valetudine item Tironis agit.

Tullius, et Cicero Tironi suo S. D. et Q. Frater et Filius.

XVI. 3. *Nos apud Alyziam*] Scripta est VIII. Id. Novemb. quia ait, *nos apud Alyziam diem unam commorati sumus. Is dies fuit Non. Novemb. Inde ante lucem proficiscentes a. d.* VIII. *Id. Novemb. has litteras dedimus.* De valetudine Tironis item agit.

Tullius Tironi suo S. P. D. et Cicero, et Q. Frater, et Q. F.

XVI. 4. *Varie sum affectus*] Data est VII. Id. Novemb. Leucade. De valetudine Tironis item agit.

Tullius, et Cicero F. et Q. Q. Tironi Humaniss. et Optimo S. P. D.

XVI. 5. *Vide quanta in te sit*] Scripsit hanc epistolam Leucade proficiscens, VII. Id. Novemb. De valetudine Tironis agit.

Tullius, et Cicero, et Q. Q. Tironi S. P. D.

XVI. 6. *Tertiam ad te*] Scripta Actio vesperi, VII. Id. Novemb.

Tullius, et Cicero, S. D. Tironi suo.

XVI. 7. *Septimum jam diem*] Data xv. Kal. Decemb. Corcyræ. Mendose autem legitur xv. Kal. Novemb. quia ait in epistola sequenti: *Corcyræ fuimus usque ad* xvi. *Kal. Decemb. tempestatibus retenti: a. d.* xv. *Kal. a portu Corcyræorum ad Cassiopen stadia* cxx. *processimus.* De ægritudine agit.

Tullius et Cicero Tironi suo S. P. D.

XVI. 9. *Nos a te*] Corcyra ad Cassiopen se processisse ait a. d. xv. Kal. Decemb. ibi fuisse usque ad ix. Kal. Postridie in Italiam ad Hydrunten pervenisse. vii. autem Kal. Decemb. Brundusium venisse, et secum in oppidum Terentiam introisse, a. d. v. Kal. Decemb. Brundusii Tironis litteras accepisse, quibus cognovit Tironem convaluisse. Rogat igitur eum ne temere naviget: videturque Brundusio discessisse: quia ait, *equum et mulum Brundusii tibi reliqui.*

C. CLAUDIO MARCELLO,
L. CORNELIO LENTULO COSS.

ANNO AB URBE COND. 704.

Tullius et Cicero, Terentia, Tullia, Q. Q. Tironi S. P. D.

XVI. 11. *Etsi opportunitatem*] Cicero a. d. viii. Id. Decemb. in Trebulanum venit: Att. De Formiano vero Taracinam venit prid. Kal. Jan. Inde in Albanum Pompeii. Ita a. d. iii. Non. Jan. ad urbem cogitabat: *Att.* Hanc autem epistolam Tironi scripsit prid. Id. Jan. qua certiorem Tironem facit (qui adhuc ægrotus erat Patris) quemadmodum ad urbem accesserit pridie Non. Jan. Item quemadmodum Cæsar ad senatum minaciter scripserit, et ut senatus consulibus, prætoribus, tribunis plebis, et sibi proconsuli remp. commendarit. Italiæ regiones, quas quisque tueretur, descriptas esse: se Capuam sumpsisse. Hoc autem S. C. factum esse vii. Id. Jan. scribit Cæsar lib. I. De bello civili.

Cicero Rufo S.

V. 20. *Quo modo potuissem*] Videtur hæc epistola scripta tum cum Cicero ad urbem erat: primum quia ait, se tribunos militum, contubernales et præfectos, detulisse (quæ delatio non nisi ad urbem fiebat) deinde quia addit, *cum Tullius rure redierit, mittam eum ad te.* Agit cum quæstore suo Rufo de relatis provinciæ rationibus.

Tullius Terentiæ, et Pater Tulliolæ, duabus animis suis: et Cicero Matri optimæ, suavissimæ Sorori S. P. D.

XIV. 14. *Si vos valetis, nos valemus*] Data est viii. Kal. Feb. Minturnis: nam mendose legitur viii. Kal. Quint. fuit enim Minturnis hoc die, ut scribit ad Att. Accedit quod agit cum uxore, et filia, an debeant Roma cedere adventu Cæsaris: an ibi tuto esse per Dolabellam possint. Qua de re agit etiam in sequenti epistola, vii. Kal. Feb. data Formiis.

Tullius Terentiæ, et Pater suavissimæ Filiæ: Cicero Matri et Sorori S. P. D.

XIV. 18. *Considerandum*] Data est vii. Kal. Feb. Formiis. Agit de eadem re atque in superiore egit.

M. Tullius S. D. Tironi suo.

XVI. 12. *Quo in discrimine*] Cicero vi. Kal. Feb. venit Capuam: Att. Hanc scripsit iv. Kal. Feb. Capua. Tiro adhuc erat Patris: se adhuc præesse oræ maritimæ a Formiis ait. Cæsarem Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium occupasse ait, urbem a se relictam esse. Hortatur Tironem ne aut æger aut hieme naviget.

Q. Cicero Tironi S. D.

XVI. 8. *Magnæ nobis*] Q. Cicero rogat Tironem ne se tam longæ navigationi committat, et viæ per hiemem, nisi bene firmus sit. Quod ab eo petiit etiam superiore epistola M. Cicero.

M. Cælius Ciceroni S. D.

VIII. 15. *Ecquando*] Cicero Capua profectus est Formias. III. Kal. Feb. Inde a consulibus jussus rediit prid. Non. Att. Capua vero discessit VII. Id. Att. Pompeius X. Kal. Mart. Canusii erat: Att. Canusio profectus est VIII. Kal. Att. V. Kal. Mart. Brundusium venisse poterat. Expeditus enim antecesserat legiones Luceria: Att. Cæsar. Kal. Arpis fuit. VII. Id. Brundusium venit, persequens Pompeium: Att. Pompeius Brundusio conscendit Id. Mart. Att. vel a. d. XVI. Kal. Apr. Att. Hoc autem tempore hæc epistola scripta videtur, quia ait, *Cæsar me, cum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad urbem vocare. Id quod jam existimo confectum: nisi maluit Pompeium Brundusii circumsedere.*

Tullius Tironi S.

XVI. 13. *Omnia a te data*] Data est IV. Id. Apr. Monet ut convalescat.

Tullius Tironi S. D.

XVI. 14. *Andricus*] Data III. Id. Apr. De ægritudine agit.

Tullius Tironi S.

XVI. 15. *Ægypta*] Data est post prid. Id. Apr. quia ait: *Ægypta ad me venit prid. Id. Apr.* Se accepisse ab eo epistolam vacillantibus litterulis ait: ex quo apparet jam Tironem convalescere: præsertim cum addat sibi nunciatum, eum febri carere, et belle habere.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 1. *C. Trebatius*] Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, post Id. Mart. Romam redierat, ad senatum de rep. retulerat, ærarium diripuerat. Itaque hac epistola rationem affert Cicero cur rogante Cæsare non venerit in senatum. Post fugam Pompeii scriptam esse, hæc verba indicant, *Vides orbem terrarum imperiis distributis ardere bello, urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine lege, sine fide, relictam direptioni et incendiis.* Scripta tamen est ante diem illum qui dicitur III. Kal. Maias, ex sequenti ad eundem epistola. Agit cum eo de conveniendo illo, seque cogitare ait ab urbe longius discedere.

M. Cælius M, Ciceroni S. D.

VIII. 16. *Exanimatus*] Rogat Ciceronem Cælius ne se ad Pompeium Italia pulsum conferat, ne Cæsarem offendat. Itaque ait, *Cæsar iratus Senatui exiit.* Intelligit autem extra urbem, ut in Hispaniam contra Afranium et Petreium, legatos Pompeii erat. Et post addit, *Quod si totum tibi persuadere non possum, saltem, dum quid de Hispaniis agamus, scitur, expecta, quas tibi nuncio adventu Cæsaris fore nostras. Quam isti spem habeant amissis Hispaniis, nescio.* Non videtur autem adhuc discessisse Italia Cæsar: quod ait, *me secum in Hispaniam ducit. Nam nisi ita faceret, priusquam ad urbem accessissem, ubicunque esses, ad te percurrissem.* Meminit harum litterarum Cælii, in ep. ad Att. in qua ait se in Cumano Sulpicium expectare.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 2. *A. d.* III. *Kal. Maias*] Agit cum eodem de conveniendo, et de consilio profectionis ad Pompeium, qui in Epiro erat cum consulibus. Scripta est post III. Kal. Maias, ut ex epistolæ primis verbis apparet. Ad Att. etiam ait se Servium expectare ad Non. quod in Cumano se facturum esse, in hac epistola scribit.

M. T. Cicero Imp. M. Cælio Ædili Cur. S. P. D.

II. 16. *Magno dolore*] Respondet epistolæ Cælii, qua se deterruerat ne Pompeium Italia pulsum sequeretur.

M. Cicero Rufo S.

V. 19. *Etsi mihi*] Scripta est paulo ante quam iret ad Pompeium: quia ait, *mihi consilium captum est jamdiu.* Item, *quare si simul placebit, statim ad me venias.* Intelligit autem profectionem ad Pompeium, ut aperte apparet ex epistola.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 7. *Omnes molestias*] Cæsare in Hispaniam profecto, Cicero se ad Pompeium in Græciam contulit, auctore Plutarcho in Cicerone. Ex itinere autem hanc epistolam scripsit. Quod intelligitur, cum ait, *Navim spero nos valde bonam habere. In eam simulatque conscendi, hæc scripsi. Deinde conscribam ad nostros familiares multas epistolas, quibus te et Tulliam nostram diligentissime commendabo. Tu velim iis villis utare quæ longissime absint a militibus.* Data est VII. Id. Jun.

Cæsar hoc eodem anno, Hispaniis victis, Placentina militum seditione compressa, Romam iterum reversus est: et Dictator creatus comitia habuit, quibus se et Isauricum consules in insequentem annum creavit, atque intra undecim dies Dictatura abdicavit. Auctor App. et Cæsar lib. III. De bello civili.

C. JULIO CÆSARE II.
P. SERVILIO ISAURICO COSS.

ANNO AB URBE COND. 705.

Cæsar hoc anno prid. Kal. Jan. trajecit in Epirum, adversus Pompeium, eumque per quatuor fere menses obsedit. Auctores, Suetonius in Cæsare, et Cæsar lib. III. De bello civili.

M. Cælius M. Ciceroni S. D.

VIII. 17. *Ergo me potius*] Quo tempore Pompeius ad Dyrrachium in Epiro, et Cæsar ad flumen Tapsum castra habebant, Cælius Romæ Prætor hanc epistolam scripsit. Cæsar De bello civili lib. III. Hoc indicare etiam Cælius in epistola videtur, cum ait, *Quid istic facitis? prælium expectatis, quod firmissimum est.*

Dolabella Ciceroni S. D.

IX. 9. *Si vales, gaudeo*] Scripta est cum Pompeius ad Dyrrachium obsessus est a Cæsare: quia ait, *Pulso Italia Pompeio, amissis Hispaniis, capto exercitu interamno, circumvallato nunc denique.* Hortatur eum ut Pompeium tanquam victum relinquat. Terentiam minus belle habuisse nunciat, sed eam jam convaluisse.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 8. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Valetudinem tuam*] Cicero cum Pompeio erat. In castris sibi nunciatum ait, Terentiam in febrim subito incidisse. Data IV. Non. Jun.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 21. *Si vales, bene est: valeo. Da operam*] Monet eam ut det operam ut convalescat.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 6. *Nec sæpe est*] De prædio vendendo agit. Data Id, Quint.

Pompeius hoc anno in Pharsalia, media æstate (ut ait Plut. in Bruto) summo prælio cum Cæsare decertavit. Ex qua victus in Ægyptum se recepit, atque ibi interfectus est, eodem die quo de Mithridate triumphaverat, Dione auctore: id est, pridie Kal. Oct. Plinio et Capitolinis lapidibus testibus. Itaque Cicero IV. Kal. Decemb. scribit ad Att. de exitu Pompeii.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 12. *Quod nos in Italiam*] Data est prid. Non. Novemb. Brundusio. Nunciat se rediisse in Italiam, et a bello recessisse significat, cum ait, *perturbati dolore animi magnisque injuriis, metuo ne id consilii ceperimus quod non facile explicare possimus.* Qua de re etiam ad Att. Hoc est autem tempus illud quo Cicero Brundusii per multos menses moratus est. Cæsarem autem post prælium Pharsalicum in Ægyptum se contulisse, atque ibi per novem menses fuisse, tradit Appianus. De quo tempore sic Cicero in Oratione pro Q. Ligario, *Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me antequam vidit, reip. reddidit; qui*

ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem qui fuissem: qui, cum ipse imperator in toto imperio populi Rom. unus esset, esse me alterum passus est: a quo, hoc ipso C. Pansa nuncium perferente, concessos mihi fasces laureatos tenui, quoad tenendos putavi. Qui mihi tum denique se salutem putavit reddere, si eam nullis spoliatam ornamentis redderet.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 19. *In maximis*] Agit de valetudine Tulliæ, de qua agit etiam in epist. ad Att. quæ data est IV. Kal. Decemb. De convenienda illa loquitur his verbis, *Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum. Etiam ante fecissem, sed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidem expedita sunt.* Qua de re agit etiam in epistola ad Atticum, de qua dixi.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 9. *Ad cæteras*] Agit de valetudine Dolabellæ, et etiam Tulliæ; ut ante.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 17. *Si quid haberem*] Agit item de valetudine Tulliæ.

C. JULIO CÆSARE DICTATORE II.

ANNO AB URBE COND. 706.

Hoc anno Cæsar in Ægypto alteram Dictaturam iniit, sine consulibus, magistro equitum M. Antonio. Auctore Dione.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 16. *Si vales, bene est: ego valeo. Etsi ejusmodi tempora*] Data est prid. Non. Jan. Videtur scripta posteaquam reliquit Pompeium: ex his verbis, *quanquam alia sunt quæ magis curemus, magisque doleamus: quæ me ita conficiunt ut ii voluerunt qui me de mea sententia detruserunt.* Quod videtur de iis dictum qui illum invitum coegerunt partes Pompeianas relinquere.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 11. *Si vales, bene est: ego valeo. Tullia nostra*] Data est XVII. Kal. Quint. Cogitabat Ciceronem filium obviam Cæsari mittere: quem decessisse Ægypto fama erat, ut ait ad Att. Tulliam ad se venisse prid. Id. Jun. ait. Itemque ad Att.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 15. *Si vales, bene est. Constitueramus*] Data est XII. Kal. Quint. Ait se mutasse consilium de mittendo Cicerone Cæsari obviam: secum adhuc habere Tulliam.

Tullius Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 10. *Quid fieri placeret*] Data VII. Id. Quint.

M. Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

XIV. 13. *Quod scripsi ad te*] Data VI. Id. Quint.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 24. *Si vales, bene est: valeo. Nos neque*] Data IV. Id. Sext. Se nihil habere certi de Cæsaris adventu ait.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 23. *Si vales, bene est: valeo. Redditæ mihi*] Data prid. Id. Sext. Redditas sibi jam tandem à Cæsare litteras satis liberales ait. Intelligit autem illas de quibus ait in oratione pro Q. Ligario, hoc modo, *qui ad me ex Ægypto litteras misit, ut essem idem qui fuissem.* Incertum se esse ait, an Cæsari venienti obviam procedat, an ibi ubi est, eum expectet; id est, Brundusii.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 22. *Si vales, bene est: valeo. Nos quotidie*] Data Kal. Sept. Se ex litteris Terentiæ capturum consilium ait quid sit agendum. Id est, an Cæsari obviam eundum, an eum Brundusii expectandum: an propius Romam accedendum.

Tullius Terentiæ suæ S. D.

XIV. 20. *In Tusculanum*] Jam Cicero acceptis a Cæsare litteris, de quibus supra dictum est, Romam propius accesserat. Siquidem scripsit

hanc epistolam v. Kal. Oct. de Venusino: in qua se venturum in Tusculanum ait Non. aut postridie.

M. Cicero Trebonio S. P. D.

XV. 21. *Et epistolam tuam*] C. Trebonius in Hispaniam missus fuerat a Cæsare post prælium Pharsalicum, ut Longino succederet, auctore Dione, et Cicerone in hac epistola. Quæ scripta ad eum videtur in Hispaniam hoc tempore, id est ante bellum Africanum, quod initio sequentis anni geri cœptum est: quia legiones Trebonii cum ab eo ad Scipionem, qui in Africa erat, defecissent, eumque mortuum bello Africano audissent, Scapula et Aponio ducibus lectis Trebonium ex Hispania exegerunt, Dione auctore. Ex quo apparet hanc epistolam scriptam esse ante defectionem legionum paulo post factam. Hic autem C. Trebonius priore anno prætor urbanus fuerat, Servilio consule. Cæsar lib. III. De bello civili.

Q. FUFIO CALENO,
P. VATINIO COSS.

Cæsar, qui sine consulibus alteram Dictaturam hoc anno gessit, Romam tertium s. ex Ægypto et Ponto reversus, sibi in ternos novissimos menses Q. Fufium Calenum, P. Vatinium, consules subrogavit. Dio, Suetonius.

C. JULIO CÆSARE III.
M. ÆMILIO LEPIDO COSS.

ANNO AB URBE COND. 707.

Cæsar cum extremo superiore anno XIV. Kal. Jan. Lilybæum ab urbe pervenisset, atque a Lilybæo in Africam VI. Kal. Jan. conscendisset, hujus demum anni initio bellum Africanum aggressus est cum Scipione, Catone, et Juba rege.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

IV. 14. *Binas a te accepi*] Jam Cicero in urbem reverterat, in gratiam cum Cæsare redierat: quanquam illum in Italiam venientem non viderat, ut ipse scribit ad Cassium, Terentiam uxorem repudiarat, Publiliam alteram duxerat. Respondet hac epistola Plancio Corcyræ exulanti, qui gratulatus erat Ciceroni, et quod Cæsar ei veniam dedisset, et quod alteram uxorem duxisset. Scripta videtur dum Africanum bellum gerebatur: quia ait, *ut ea quæ partim jam adsunt, partim impendent, moderate feramus. Quod est difficile in hujusmodi bello, cujus exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera servitutem.*

M. Cicero M. Terentio Varroni S. D.

IX. 1. *Ex iis litteris*] Varro videtur Roma abfuisse aliquandiu: cum autem adventus ejus appropinquare diceretur, Cicero scripsit ad eum hanc epistolam, postquam venit in urbem: quia ait, *me scito, posteaquam in urbem venerim.* Item per bellum Africanum: quod intelligitur, cum ait, *videor sperare debere, si te viderim, et ea quæ premant, et ea quæ impendeant, me facile transiturum.* Cupit cum eo congredi, sive in Tusculano, sive in Cumano, sive Romæ.

M. Cicero S. D. C. Cassio.

XV. 15. *Etsi uterque nostrum*] C. Cassius Brundusii morabatur, ut scribit paulo post. Se reliquisse arma ait, et in gemitu Italiæ, et in urbis miserrimis querelis versari. Properasse, ut Cæsarem in Italia videret, nec potuisse. Scripta est per bellum Africanum: quia ait, *utrumque autem positum esse arbitrabar in celeritate victoriæ. Quæ si fuisset, eandem clementiam experta esset Africa, quam cognovit Asia, quam etiam Achaia.* Id est, priore anno, Cæsare e Ponto per Asiam et Græciam decedente, et veniam omnibus dante.

Cicero Domitio S. D.

VI. 22. *Non ea res me deterruit*] Consolatur Domitium Cicero de eversa republica, polliceturque ei operam suam, quacunque in re ei prodesse possit. De bello, quod ge-

rebatur, nescio quid intelligere videtur, cum ait, *Hæc quanquam nihilo meliora sunt, nunc etiam atque etiam multo desperatiora.* Videtur item Romæ esse, ex epistola.

M. Cicero S. D. Cn. Plancio.

IV. 15. *Accepi perbreves*] Consolatur iterum Plancium de exilio. Scripta est multo post alteram ad eundem Plancium, quia ait, *sed tamen etsi antea scripsi quæ existimavi scribi oportere.*

M. Cicero L. Planco S. P. D.

XIII. 29. *Non dubito*] Satis constat hanc epistolam scriptam esse post bellum Alexandrinum a Cæsare superiore anno confectum. Videtur autem Plancus esse cum Cæsare in bello, Africanone, an Hispaniensi? Africano certe, in quo, auctore Oppio, fuit, cum Romæ per bellum Hispaniense fuerit, ex Phil. II. ubi ait M. Antonium ex itinere Romam revertisse, ne L. Plancus prædes suos venderet. Commendat ei hereditatem Capitonis apud Cæsarem.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 1. *Etsi ea perturbatio*] A. Manlius Torquatus cum pro Pompeio contra Cæsarem stetisset, hoc tempore exulabat Athenis. Eum igitur Cicero consolatur. Scripta est hæc epistola quo tempore bellum Africanum gerebatur: quia ait, *cumque omnium bellorum incerti exitus sint, ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem sejunctum sit ab omnium interitu: ab altera te ipsum nunquam timuisse certo scio.* Item, *Hoc vero tempus quo exanimati omnes et suspensi sumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod et in ea urbe es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitæ.* Item, *Et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti:* qui Sulpicius tunc Achaiæ præerat, cum bellum in Africa gerebatur. De Cæsare ita ait, *nec enim is, qui adhuc in te injustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati.*

Cicero Allieno Procos. S. D.

XIII. 78. *Democritus*] Allienus prætor erat in Sicilia, ut apparet ex epistola sequenti, atque dum bellum Africanum gerebatur, ut scribit Oppius de bello Africano, his verbis: *deinde Allieno prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, et de reliquo exercitu celeriter imponendo.*

Cicero Allieno Procos. S. D.

XIII. 79. *Et te scire arbitror*] Eodem tempore scripta videtur quo superior: quia ait, *C. Avianus in Sicilia est.*

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 3. *Superioribus litteris*] Et hæc etiam Africani belli tempore scripta: quia ait, *quotidie aliquid audimus rerum earum.* Item, *quem exitum acies habitura sit divinare nemo potest.* Item, *nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. Alteri dimicant, alteri victorem timent.* Superiores litteras intelligit eas, quarum initium est, *Etsi ea perturbatio.* Quibus se eum consolatum esse ait. Cicero adhuc Romæ est, Torquatus Athenis.

M. Cicero S. D. L. Messinio.

V. 21. *Gratæ mihi*] Romæ scripta est belli Africani tempore: quia ait, *me nulla res alia Romæ tenet, nisi expectatio rerum Africanarum. Videtur enim mihi res in propinquum adducta discrimen.*

Cicero Thoranio S. D.

VI. 21. *Etsi cum hæc ad te*] Extremo hoc bello scripta videtur: quia ait, *appropinquare exitus hujus calamitosissimi belli, aut aliquid actum et confectum, cum hæc scriberem, videbatur.* Quanquam de Hispaniensi bello potest etiam intelligi. Consolatur eum de exilio.

Cicero Thoranio S. D.

VI. 20. *Dederam*] Scripta est triduo post superiorem, in qua illum se

tum consolatum esse ait. Adventum Cæsaris innuit, cum ait, *non est quod te advenientibus offerre gestias*, item, *quod si recipiet ille se, ad tempus aderis.*

M. Cicero S. D. A. Torquato.

VI. 4. *Novi, quod ad te*] Hoc eodem tempore scripta est, quia ait, *cum hæc scribebam, aliquid jam actum putabam, non quod ego certo scirem, sed quod non difficilis erat conjectura.* Item, *equidem quotnos Romæ sumus, miserrimum duco.* De Cæsare autem scribit hoc modo, *ejus enim qui tardior in te levando fuit, non est mihi dubia de tua salute sententia.* Torquatus autem adhuc erat Athenis: quia ait, *reliquum est quod te angat, quod absis tamdiu a tuis.* Item, *Servium discessisse Athenis moleste tuli.*

Cicero Varroni S. D.

IX. 2. *Caninius, idem tuus*] Agit cum Varrone, quemadmodum convenire possint. Rationem affert cur Romæ sit, non autem absit, ut ille. Extremo Africano bello scripta est: quia ait, *censeo latendum tantisper ibidem, dum defervescat ista gratulatio, et simul dum audiamus quemadmodum negotium confectum sit: confectum enim esse existimo.* Cæsar a. d. XI. Kal. April. in acie contra Scipionem constitit. Oppius lib. V.

Cicero Varroni S. D.

IX. 3. *Etsi quid scriberem*] Agit de conveniendo illo. Videtur autem esse adhuc in urbe, quia ait, *scribam, quod te velle puto, me ad te cito esse venturum, etsi vide quæso satisne rectum sit, nos hoc tanto incendio civitatis in istis locis esse.*

Cicero Varroni S. D.

IX. 4. περὶ δυνατῶν] De conveniendo illo item agit: quia ait, *tu si minus ad nos, nos accurremus ad te.*

Cicero Varroni S. D.

IX. 5. *Mihi vero ad Non.*] De conveniendo illo etiam agit: quia ait, *mihi si spatium fuerit in Tusculano ante Non. veniendi, istic te videbo: sin minus, persequar in Cumanum.*

Cicero Varroni.

IX. 6. *Caninius noster*] Scripta est quo tempore Cæsar, confecto bello Africano, Romam redibat; quia ait, *nec qua venturus sit sciri.* Hirtium familiarem Cæsaris secum Romæ esse significat.

Cicero Varroni S. D.

IX. 7. *Cœnabam apud Seium*] Agit item de adventu Cæsaris: quia ait, *quando, qua, quo, nihil adhuc scimus.* Item, *adventat Dolabella: eum puto magistrum fore.* Fuit autem in Africa Dolabella cum Cæsare, auctore Plutarcho, Cicerone in secunda Philippica. Præcessit autem Cæsarem. Itaque ad Attic. ait, *Ego misi Tironem Dolabellæ obviam.* Quod autem ait, *nonnulli dubitant an per Sardiniam veniat*, idem est apud Hirtium, qui ait Cæsarem Romam per Sardiniam venisse. Item, *non desino apud istos qui nunc dominantur cœnitare.* Agit de conveniendo eo.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 16. *Delectaverunt*] Nondum Cæsar rediisse Romam videtur: quod intelligitur ex his verbis, *Hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur. Ita enim ipse mandavit.* Item in urbe ipsum esse apparet, quod ait, *Hirtium et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros. Puto enim te audisse, illos apud me declamitare, me apud illos cœnitare.*

M. Cicero Volumnio S. D.

VII. 33. *Quod declamationibus*] Eodem tempore scripta est, cum adhuc esset in urbe. Meminit enim declamationum, meminit item Hirtii, Dolabellæ, Cassii, discipulorum. Inquit præterea, *quanquam venies, ut ipse intelligo, in maximum quasi concursum occupationum, quas si, ut volumus, exceperimus, ego vero multam salutem et foro dicam et curiæ.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 18. *Cum essem otiosus*] Cicero jam Roma exierat. Quod se facturum indicaverat superioribus epistolis. Erat autem in Tusculano apud Hirtium, quia ait, *cum essem in Tusculano.* Item, *ego me hic Hirtiano jure delecto*, cœnas significans Hirtianas. Scripta est quo tempore Cæsar redibat ex Africa; quia ait se misisse discipulos obviam Cæsari venienti. Diu autem in expectatione fuit adventus Cæsaris: nam qui Id. Jun. Uticæ conscendit, nonnisi VII. Kal. Sext. Romam pervenit. Oppius lib. V.

M. Cicero S. D. A. Torquato.

XI. 2. *Peto a te*] Eodem tempore scripta est quo superior, quod et ab urbe absit, et de recreata valetudine, ut in superiore, agat. Sic enim supra, *ipse melior fio, primum valetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram.* Hic autem, *peto a te ne me putes, oblivione tui, rarius ad te scribere quam solebam, sed aut gravitate valetudinis (qua tamen jam paululum videor levari) aut quod absim ab urbe, ut qui ad te proficiscantur, scire non possim.* Videtur propius accessisse Torquatus: quia ait, *fac sciam quid agas, et ubi futurus sis: ut quo veniam scire possim.* Et videtur ei Cæsar ignovisse: quia ait, *nec eos a quibus recipieris, vereri debes, nec eos quos adjuvisti.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 19. *Tamen a malitia*] Jam Cæsar quartum Romam reverterat, id est ex Africa. Narrat quemadmodum Balbus, qui cum Cæsare inde venerat, recta a porta domum suam venerit. Videturque Cicero in urbem rediisse, credo propter Cæsaris adventum, cum ex verbis his, tum ex iis quæ sequuntur, *sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam ut te sero a me certiorem factum putes.*

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 3. *Persæpe*] Reddit rationem cur ante ad Pompeium venerit, postea eum reliquerit. Scripta videtur confecto bello Africano: quia ait, *discessi ab eo bello in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deveniendum in victoris manus, aut ad Jubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscenda mors voluntaria.* Innuit autem Catonem, qui hoc bello sibi mortem consciverat. Videtur eodem tempore in urbe scripta quo superior, quia ait, *Ego si quæ volo expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 17. *Non tu homo*] Respondet quid de agris futurum speret, quos divisurum militibus suis Cæsarem fama erat. Itaque ait, *Veientem quidem agrum et Capenatem metiuntur. Hic non longe abest a Tusculano: nihil tamen timeo.* In urbe autem esse videtur cum Cæsare: quia ait, *Hoc tamen scito, non modo me, qui consiliis non interfuim, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit.* Apparet præterea hoc anno scriptam esse: quia ait, *de lucro prope quadriennium vivimus:* Si quidem hic erat quartus belli civilis annus.

M. Cicero S. D. Papirio Pæto.

IX. 20. *Dupliciter*] Romæ se esse significat, cum ait, *mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes, et hos lætos victores.* Hirtio cœnam dedisse sine pavone ait. Item se non potuisse venire ad Papirium, ut constituerat: venturum tamen, et cum eo cœnaturum.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 23. *Heri veni in Cumanum*] Agit de conveniendo Papirio, et cœnando cum eo, ut supra. Se vero venisse in Cumanum nuntiat.

M. Cicero M. Mario S. D.

VII. 4. *A. d.* IX. *Kal.*] In Cumanum se venisse ait, quod etiam scripsit in superiore epistola ad Papirium. Monet Marium ut se biduo aut triduo

expectet, quia in epistola ad eundem, cujus initium est, *Persæpe*, dixerat, *ego, si quæ volo expediero, brevi tempore, te, ut spero, videbo.* Hoc eodem tempore fingit se cum Varrone in Cumano sermonem illum habuisse, quem scripsit lib. IV. Academicorum ad Varronem.

M. T. C. Ser. Sulpicio S. D.

IV. 3. *Vehementer*] Servius Sulpicius Achaiam pro consule regebat præfectus a Cæsare, antequam in Africam iret: quemadmodum scribit ad Cæcinam, *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.* Et ad Torquatum exulantem Athenis, *et habes Ser. Sulpicium, quem semper unice dilexisti.* Item, *Servium discessisse Athenis moleste tuli.* Consolatur eum de communibus miseriis. Scripta videtur hoc tempore cum Cicero Romæ cum Cæsare esset: quia ait, *Cæsar ipse ita de te judicat, et omnes cives sic existimant, quasi lumen aliquod, extinctis cæteris, elucere sanctitatem, prudentiam, et dignitatem tuam.* Illa autem indicant Servium abesse, quæ sequuntur, *quod autem a tuis abes, id eo levius ferendum est, quod eodem tempore a multis ac magnis molestiis abes.*

M. Cicero P. Servilio Isaurico Procos. Collegæ S. D.

XIII. 68. *Gratæ mihi vehementer*] P. Servilius Isauricus, qui biennio ante consul fuit, Asiam pro consule regebat. Hoc tempore hæc epistola scripta videtur: quia Ciceronem cum Cæsare Romæ fuisse apparet, qui nunquam cum eodem per bellum civile antea fuerat, ex his verbis, *Ego ad te de reipublicæ summa quid sentiam non sæpe scribam, propter periculum ejusmodi litterarum. Quid agatur autem scribam sæpius. Sperare tamen videor, Cæsari collegæ nostro fore curæ, et esse, ut habeamus aliquam rempublicam, cujus consiliis magni referebat te interesse: sed si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiæ præesse, et istam partem reipublicæ male affectam tueri, &c.*

M. Cicero P. Nigidio Figulo S. D.

IV. 13. *Quærenti*] Idem dico de hac epistola ac de superioribus proximis: quod ex his verbis intelligitur, *nec mihi quicquam tali tempore in mentem venit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit.* Item, *obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem.* Item, *ego, quod intelligere, et sentire, quia sum Romæ, et quia curo attendoque, postrum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum.* Item scripta videtur antequam Marcellus restitueretur: quia ait, *ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo.* Neque enim nisi post Marcelli restitutionem Cicero in republica loqui cœpit, ex oratione pro Marcello. Consolatur Nigidium de exilio.

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 10. pag. 204. *Antea misissem*] Exulabat pariter Trebatius, atque Torquatus, et Nigidius. Hunc igitur consolatur, eique operam suam pollicetur, ut illis. Quoniam autem easdem sententias ponit in his duabus epistolis ad Trebatium, quas usurpavit in iis fere quæ scriptæ sunt ad Torquatum et Nigidium, propterea eo adducti sumus ut putaverimus eas eodem tempore scriptas esse. Sententiæ autem potissimum sunt hæ, *et ipse qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem et ad rerum naturam videtur, &c.* Item, *Neque ipse Cæsar, (ut multis rebus intelligere potui) est alienus a nobis: et omnes fere familiarissimi ejus casu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter observant et colunt. Itaque si quis mihi erit aditus, de tuis fortunis, id est de tua incolumitate, agam per me ipse, et molior.* Itemque alia ejusmodi. Præcedit autem hæc inferiorem: quia in hac significat, se nunquam antea ad illum scripsisse: cum ait, *antea misissem ad te litteras.* Hic autem non est Trebatius ille, ad quem Cicero scripsit lib. VII. quoniam ille Cæsari amicus fuit, hic inimicus.

M. T. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 7. *Et si eo te adhuc consilio*] M. Marcellus, quia in consulatu suo Cæsari inimicissimus fuerat, et partes Pompeianus secutus erat, nec Cæsari victori supplex ire voluerat, Mitylenis morabatur. Hortatur eum Cicero, ut Romam veniat, et se Cæsari summittat. Neque enim adhuc ei Cæsar ignoverat: ex his verbis, *sic enim intellexi, nihil aliud esse quod dubitationem afferret ei penes quem est potestas, nisi quod vereretur ne tu illud beneficium omnino non putares.*

M. Cicero Q. Ligario S. D.

VI. 13. *Etsi tali tuo tempore*] Docet Ligarium quid de salute ejus a Cæsare petenda speret. Nam et ipse, quod contra Cæsarem stetisset in Africa, exulabat. Se cum Cæsare Romæ esse, satis aperte in ipsa epistola ostendit.

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 10. *Ego quanti te faciam*] De hac epistola supra dictum est.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 8. *Neque monere*] Iterum hortatur Marcellum ut se Cæsari summittat, sui ipsius exemplo: cum ait, *ut quod ego facio, tu quoque in animum inducas.* Item, *is etiam qui omnia tenet, favet ingeniis, nobilitatem vero, et dignitatem hominum, quantum ei res et ipsius causa concedit, amplectitur.* Quæ verba ostendunt, nondum Cæsarem ignovisse Marcello.

M. Cicero Gallo S. D.

VII. 27. *Miror*] Scripta videtur dominante Cæsare: quia ait, *et ais fore ut te Cæsar restituat.* Quia vero subjungit, *negas me audere quod sentiam dicere,* hoc anno scripta videtur, antequam loqui in republica cœpisset. Cujus rei initium fecit cum pro Marcello in senatu dixit: ex oratione ipsa.

M. T. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

IV. 4. *Accipio excusationem*] Adhuc Ser. Sulpicius Achaiæ præerat. Nunciat ei Cicero ut Cæsar in Senatu dixerit, se M. Marcello redeundi potestatem facere: atque ut ipse Cæsari propterea pluribus verbis gratias egerit, cum silere in perpetuum statuisset.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

IV. 9. *Etsi perpaucis*] Hortatur Marcellum ut domum redeat. Scripta est postquam Cæsar Marcello ignovit: quia ait, *denique si fuit magni animi non isse supplicem victori, vide ne sit superbi, aspernari ejusdem liberalitatem.* Ostendit præterea, se paucis ante diebus ad eum litteras dedisse, quibus doceret quid ei faciendum esset. Fuerunt autem illæ, quibus nuntiavit Cæsarem in senatu pepercisse: quæ non extant.

M. Cicero Ampio Balbo S. D.

VI. 12. *Gratulor tibi, mi Balbe*] Gratulatur Balbo quod a Cæsare restitutus sit. Erat in urbe Cicero cum Cæsare: quia ait, *omnia promissa, confirmata, certa et rata sunt, quæ ad reditum et salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui.*

M. Cicero Trebatio S. D.

VI. 11. *Dolabellam*] Gratulatur Trebatio quod a Cæsare per Dolabellam restitutus sit.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 6. *Vereor*] Cæcina scripserat librum contra Cæsarem, et ea de re exulabat. Nuntiat se brevi gratulaturum esse quod ei Cæsar ignoverit, polliceturque ea in re operam suam. Scripta est posteaquam Cæsar Marcello pepercit: quia ait, *Marcellum cui maxime succensebat, cum maxima illius dignitate restituit.* Ostendit præterea se Romæ cum Cæsare esse, cum ait, *me amicissime quotidie magis Cæsar amplectitur.*

M. Marcellus M. Ciceroni S.

IV. 11. *Plurimum*] Respondet Marcellus litteris Ciceronis, quæ in-

terciderunt: quibus Cicero gratulatus erat quod ei Cæsar ignovisset, et suaserat ei ut Romam rediret. Quod ex his verbis colligitur, *Res quemadmodum acta sit, vestræ litteræ declarant.* Item, *gratulatio tua, &c.*

M. Cicero Curio S. D.

VII. 28. *Memini*] Curius hoc tempore morabatur Patris, urbe Achaiæ, quemadmodum ex epistola, cujus initium est, *M. Curius*, intelligi potest: in qua M. Curium Ser. Sulpicio Achaiæ hoc tempore procos. commendat. Laudat eum quod absit ab urbe, eversa republica. De Cæsare autem, et de se, qui Romæ una esse videntur, ita ait, *nec vero nunc culpa in eo est, in cujus potestate omnia sunt.* Item, *cum salutationi nos dedimus amicorum (quæ fit hoc etiam frequentius quam solebat, quod quasi avem albam videntur bene sentientem civem videre) abdo me in bibliothecam.*

Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 15. *Duabus*] Scripta est antequam Cæsar in Hispaniam proficisceretur (profectus est autem extremo hoc anno) item, cum idem præfectus esset moribus, (præfectus est autem postquam ex Africa rediit, auctore Dione.) Hæc autem ex his verbis intelliguntur, *quandiu hic erit noster hic præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cum vero aberit, ad fungos me tuos conferam.*

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 26. *Accubueram*] Eodem tempore scripta videtur quo superior: quia ait se ad eum venturum, et cum eo cœnaturum, ut in superiore: cum inquit, *nihil est quod adventum nostrum extimescas. Non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.* Item in utraque legis sumptuariæ meminit. Supra enim, *domum si habebo, in denos dies singulos legis sumptuariæ conferam.* Hic vero, *epulamur una non modo contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem, et quidem aliquanto.*

M. Cicero Q. Ligario S. D.

VI. 14. *Me scito*] Nuntiat se pro eo supplicasse domi Cæsari. Extremo autem anno scripta est, quia ait, *Ego idem tamen cum ad* II. *Kal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem mane ad Cæsarem.* Intelligit autem II. Kal. intercalares priores, ultimum diem prioris mensis, ex duobus illis quos interposuit Cæsar, se et Lepido coss. inter Novembrem et Decembrem menses, ut annum confusum ordinaret: auctore Macrobio lib. primo Saturnalium.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 8. *Cum esset*] Quia Kal. Jan. præfinitæ erant a Cæsare Cæcinæ, quibus ille esse in Sicilia posset, idque ex Largo Cæcinæ amico Cicero audierat, propterea, profecto in Hispaniam Cæsare, a Balbo et Oppio, qui Romæ remanserant, impetrarat, ut ultra Kal. Jan. esse posset. Qua de re Cæcinam hac epistola certiorem facit. Monet præterea nè ad reliquias Asiaticæ negotiationis proficiscatur: datque ei litteras commendatitias, quas Furfano proconsuli in Siciliam profecturo reddat: quæ sequuntur.

M. Cicero T. Furfano S. D.

VI. 9. *Cum A. Cæcina*] Hæ litteræ cum superioribus conjunguntur.

A. Cæcina M. Ciceroni S. D.

VI. 7. *Quod tibi non tam cito*] Excusat filium quod librum non tam cito Ciceroni reddiderit. De Asiatica negotiatione ita respondet, *De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas premebat, ut imperasti, feci.* Oratoris Ciceronis meminit quem scripsit ad M. Brutum hoc anno in Galliam, absoluto Catone: ex Oratore.

M. Cicero A. Cæcinæ S. D.

VI. 5. *Quotiescunque*] Respondet se legisse librum, eumque, ut ille superiore epistola præceperat, diligentissime custodire. Consolatur de exilio.

Huic loco subjungere placuit epistolas quasdam commendatitias ad Ser. Sulpicium, M. Brutum, P. Servilium, L. Acilium, qui in provinciis erant hoc anno. Quod fecimus hoc consilio, ne, cum difficilis earum dispositio esset (quia nihil præter commendationem continerent) reliquarum superiorum historiam impedirent.

Quæ ad Ser. Sulpicium in Achaiam scriptæ sunt.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. D.

XIII. 17. *M. Curius*] Ser. Sulpicium hoc anno Achaiæ præfuisse, satis ante demonstravimus: huic commendat M. Curium, qui Patris negotiabatur.

M. Cicero Ser. Sulpicio S.

XIII. 18. *Non concedam*] Commendat res Attici Epiroticas.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 19. *Cum Lysone Patrensi*] Commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 20. *Asclapone Patrensi*] Commendat Asclaponem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 21. *M. Æmilius*] Commendat domum Aviani, et rem familiarem, quæ est Sicyone.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 22. *T. Manlium*] Commendat Manlium, qui negotiatur Thespiis.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 23. *L. Cossinio*] Commendat libertum L. Cossinii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 24. *Cum antea*] Rursus commendat Lysonem Patrensem.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 25. *Hagesaretus*] Commendat Hagesaretum Larissæum.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 26. *L. Mescinius*] Commendat negotia L. Mescinii, quæ erant in Achaia. Scriptam autem esse hoc anno hanc epistolam quo consul fuit M. Lepidus, apparet ex eo quod ait, *quod quo minore dubitatione facere possis, litteras ad te a M. Lepido consule, &c.*

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 27. *Licet eodem exemplo*] Commendat rursus rem Aviani, et meminit Ser. Sulpicii filii.

M. Cicero Ser. Sulpicio S. P. D.

XIII. 28. *Etsi libenter*] Commendat rursus rem Mescinii.

Quæ ad M. Brutum in Galliam scriptæ sunt.

M. Cicero Bruto S. P. D.

XIII. 10. *Cum ad te tuus Quæstor*] M. Brutus præfectus fuerat a Cæsare Galliæ citeriori, eo tempore quo in Africam profectus est, teste App. et Plutarcho in Bruto. Itaque scribit Cicero ad Cæcinam lib. VI. *Brutum Galliæ præfecit, Sulpicium Græciæ.* Apparet etiam ex Oratore Ciceronis M. Brutum præfuisse Galliæ, post bellum Africanum. Quia in eo ait, se Catone absoluto aggressum esse scribere Oratorem ad M. Brutum, qui tum erat in Gallia. Addit præterea, *Ergo ex omnibus terris una Gallia communi non ardet incendio, in quo frueris ipse te, cum in Italiæ luce cognosceris.* Successit autem Bruto hoc anno III. Kal. Jan. Fansa. Fam. Huic Cicero commendat Varronem quæstorem, tum cum Galliæ præerat.

M. Cicero Bruto S. P. D.

XIII. 11. *Quia semper*] Commendat Arpinates.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 12. *Alia epistola*] Commendat Q. Suffidium Arpinatum legatum.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 13. *L. Castronius*] Commendat L. Castronium.

M. Cicero Bruto S. D.

XIII. 14. *L. Titio*] Commendat Strabonem.

Quæ ad P. Servilium Isauricum scriptæ sunt.

M. Cicero P. Servilio S. D.

XIII. 66. *A Cæcinam*] P. Servilium Isauricum in Asia pro consule fuisse ante demonstratum est. Ei commendat A. Cæcinam.

M. Cicero P. Servilio S. D.

XIII. 67. *Ex provincia*] Commendat Andronem Laodicensem.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S.

XIII. 69. *C. Curtius*] Commendat rem C. Curtii, quam habet cum quodam Colophonio.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 70. *Quia non est obscura*] Commendat T. Ampium Menandram.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 71. *Multos tibi commendem*] Commendat T. Agusium.

M. Cicero P. Servilio Collegæ S. D.

XIII. 72. *Cerelliæ*] Commendat possessiones Asiaticas Cerelliæ.

Quæ ad Acilium proconsulem Siciliæ scriptæ sunt.

M. Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 30. *L. Manlius*] Acilius hic proconsul erat in Sicilia, quemadmodum ex epistolis sequentibus omnibus apparet: erat autem quo tempore Cæsar dominabatur: quia in una harum epistola, cujus initium est, *cum Demetrio Mega*, ait, *ei Dolabella rogatu meo civitatem a Cæsare impetravit, qua in re ego interfui.* Ex his verbis intelligi potest, et Cæsarem obtinere hoc tempore rempublicam, et Ciceronem cum illo fuisse in gratia. Quod fieri non potuit nisi postquam bellum Africanum confectum est, et Cæsar Romam rediit. Nam nisi post bellum Africanum Cæsarem Cicero non vidit. Huic Acilio forte successit Furfanus, de quo in epistola ad Cæcinam. Acilius autem forte is est qui sequenti anno Ser. Sulpicio in Græciam successit. Commendat ei L. Manlium.

Cicero Acilio Procos. S. D.

XIII. 31. *C. Flavio*] Commendat Flavium.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 32. *In Alesina*] Commendat M. et C. Clodios ex Alesina civitate, quæ est in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 33. *Cn. Otacilio*] Commendat negotia Nasonis, quæ habet in Sicilia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 34. *Avitum*] Commendat Lysonem Lilybætanum. Lilybæum autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 35. *C. Avianus*] Commendat negotia Aviani.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 36. *Cum Demetrio Mega*] Commendat Demetrii Siculi negotia.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 37. *Hippiam*] Commendat Hippiam Calatinum. Calate autem in Sicilia est.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 38. *L. Brutius*] Commendat L. Brutium, amicum suum jam inde a quæstura sua Siciliensi.

Cicero Acilio Procos. S.

XIII. 39. *Cum familia Titurnia*] Commendat M. Titurnium.

CÆSARE DICTAT. III. DES. IV. ET COS. IV. SINE COLLEGA.

ANNO AB URBE COND. 708.

M. Cicero Leptæ S. D.

VI. 18. *Simul accepi*] Cæsar hoc anno cum Pompeii liberis pugnavit in Hispania, cum eo extremo superiore anno Roma 27. diebus pervenis-

set (Appiano auctore) et in castris tertiam Dictaturam iniisset, auctore Dione. Hoc igitur tempore scripsisse videtur hanc epistolam Cicero: quia ait; *De Hispaniis novi nihil. Magnum tamen exercitum Pompeium habere constat. Nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Patieti litterarum, in quo erat, illi* XI. *esse legiones.* Præterea meminit Oratoris sui, ita, *Oratorem meum tantopere a te probari vehementer gaudeo.* Se Romæ esse significat, cum ait, *Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus: sed cum ea, quemadmodum spero, satis firma sit, teneor tamen, dum a Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem.*

M. Cicero Cassio S. P. D.

XV. 18. *Longior epistola*] Scripta est initio belli Hispaniensis: quia ait, *de Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino novi.*

M. Cicero S. D. C. Cassio.

XV. 17. *Præposteros*] Scripta est eodem tempore quo superior: quia ait, *de Hispania novi nihil: sed expectatio valde magna, rumores tristiores. Pansa noster paludatus a. d.* III. *Kal. Jan. profectus est.* Id est, in Galliam Cisalpinam, ut M. Bruto succederet: ex epistola ad Att. Nuntiat P. Syllam mortuum. Hanc secundam esse ad Cassium epistolam indicat, cum ait, *alteras habebis has breves.*

Cicero P. Dolabellæ S. D.

IX. 10. *Non sum ausus*] Dolabella erat in Hispania cum Cæsare, ex Philippica II. Scripta hæc est eodem tempore quo superior: quia ait, *te scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Syllæ morte,* cujus meminit in superiore.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XV. 16. *Puto te jam suppudere*] Hanc tertiam epistolam vocat: seque eam scripsisse ait antequam ab illo ne schedulam quidem acceperit. Ex quo intelligi potest, non multo post secundam esse scriptam. De spectris Catianis agit.

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

XV. 19. *Non mehercule*] Respondet superioribus epistolis, quibus Cicero nuntiarat de Pansa, et de spectris Catianis egerat. Eodem tempore scripta est: quia ait, *in Hispaniis quid geratur rescribe. Si Cæsar vincit, celeriter me expecta.*

Cicero Dolabellæ S. D.

IX. 13. *C. Suberinus*] Commendat Dolabellæ, (qui in Hispania erat cum Cæsare) C. Suberinum, quem repentino bello oppressum esse ait in Hispania: in qua post Afranium superatum, nemo bellum fore putarat.

Cicero C. Cæsari Imp. S.

XIII. 15. *Præcilium*] Cæsar in bello erat, ut puto, Hispaniensi, cum Præcilium hac epistola ei Cicero commendavit. Quoniam autem in titulo est *Imp.* videtur scripta post XI. Kal. Mart. nam eo die Cæsar Imp. appellatus est, Ategua in Hispania capta, auctore Oppio.

M. Cicero C. Cæsari Imp. S.

XIII. 16. *P. Crassum*] Commendat Cæsari P. Crassum. Eundem esse in Hispania, hinc intelligitur, quod ait, *in Hispaniam ad te maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore, est profectus.*

Cicero Dolabellæ suo S. D.

IX. 11. *Vel meo*] Cicero hoc anno, mense (ut puto) Januario, filiam amisit, quæ ex partu periit, ut ait Pædianus in Pisonianam. Itaque Cæsar scripsit litteras consolatorias ex Hispania ad Ciceronem, pridie Kal. Maii datas, ut ait ad Att. Cum autem ejus rei ignarus Dolabella desideraret litteras Ciceronis, ipse ei hac epistola ita respondet, *Vel meo ipsius interitu mallem litteras meas desiderares, quam eo casu quo sum gravissime afflictus: quem ferrem certe moderatius, si te haberem.* Non scribit autem aperte de obitu Tulliæ, quia fama jam accepisse eam putat, quemadmodum Cæsar acceperat. Quod autem addit, *sed quoniam brevi tempore, ut opinio*

nostra fert, te cum vinurus: item, *celeriter sua futuros nos arbitror*, id ait, quia finem belli Hispaniensis adesse intelligebat. Sic enim scribit ad Att. *Hirtius litteras dedit Narbonæ* XIII. *Kal. Maii, in quibus scriptum erat Sex. Pompeium Corduba exisse, et fugisse in Hispaniam citeriorem, Cneium fugisse nescio quo: nihil præterea novi.* Hirtius autem lib. V. tradit, Cn. Pompeium interfectum esse a Cæsare prid. Id. April. at Dio scribit victoriam Cæsaris Hispaniensem Romæ nuntiatam esse pridie Parilia, id est x. Kal. Maii.

Ser. Sulpicius M. Ciceroni S.

IV. 5. *Posteaquam*] Ser. Sulpicius ex Græcia consolatur Ciceronem de obitu filiæ. Certiorem se esse facturum eum de provincia ait, ubi tranquilliore eum esse animo cognoverit.

M. Cicero S. D. L. Luceio Q. F.

V. 13, *Quanquam*] Luceius (ut cæteri) consolatus erat litteris Ciceronem de obitu filiæ: quæ litteræ interciderunt. His respondet Cicero, cum ait, *ergo et domestica feremus, ut censes, et publica paulo etiam fortius fortasse quam tu ipse, qui præcipis.* Item, *ut mones, quantum potero, me ab omnibus molestiis et angoribus abducam.* Sic ad Att. de morte filiæ, *vellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere.*

Tullius Tironi S.

XVI. 22. *Spero ex tuis litteris*] Tiro hoc tempore iterum ægrotaverat. Quantum autem intelligi potest ex XII. epistolarum ad Att. mense Maio convaluerat. Inquit enim, *Ego hic vel sine Sica, (Tironi enim melius est) facilime possem esse, ut in malis.* In hac autem inquit, *spero ex tuis litteris tibi melius esse.* Item, *Ego hic cesso. Quia ipse nihil scribo.* In agris Cicero erat, Tiro Romæ.

Tullius Tironi S.

XVI. 17. *Video*] Nondum firmus erat Tiro: quia ait, *Valetudo tua me valde sollicitat, sed inservi, et fac omnia tum te mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato.* Idem autem scripsit in superiore, cum inquit, *mecum es, si te curas.* Docet eum, non recte dici, *Fideliter inservire valetudini.*

Tullius Tironi S.

XVI. 20. *Sollicitat*] Sperat Tironem cito firmum fore, si diligentiam adhibuerit. Item ait, *tu potes Kal. spectare gladiatores, postridie redire: et ita censeo.*

Tullius Tironi S.

XVI. 19. *Expecto*] Se ait expectare litteras Tironis, Tironem magis. In hac, ut in superiore, meminit Demetrii.

Tullius Tironi S.

XVI. 10. *Ego vero cupio*] Jam firmior esse videtur Tiro: quia ait, *ego vero cupio te ad me venire: sed viam timeo: gravissime ægrotasti.* Item, *jam ad id biduum quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d.* III. *Kal. esse volo: ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice.* Scripta est post epistolam, cujus initium est, *Video.* Quia ait, *docui te, fides* ἔτυμον *quod haberet*, Quod autem ait, *Pompeius erat apud me cum hæc scribebam*, videtur legendum *Pomponius.* Data est XIV. Kal. ut puto, Jun.

Tullius Tironi S.

XVI. 18. *Quid igitur*] Jam Tiro videtur in Tusculanum venisse: quia ait, *si vero etiam Tusculanum tibi profuerit, dii boni, quanto illud mihi erit amabilius.* Item, *fac bellus revertare; non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem.* Item, *te quando expectemus, fac ut sciam.*

M. T. Cicero S. D. Ser. Sulpicio.

IV. 6. *Ego vero*] Respondet epistolæ qua Sulpicius se consolatus est de morte filiæ. Jam Sulpicius decedere cogitabat e Græcia: quia ait, *sperabam tuum adventum (sic enim*

audiebam) appropinquare. Quod idem significat etiam Sulpicius in epistola, cujus initium est, *Etsi scio*, prid. Kal. Jun. Athenis data. In agris esse se ostendit, cum ait, *Itaque et domo absum et foro.*

M. Cicero M. Marcello S.

IV. 10. *Etsi nihil novi*] Jam Cicero expectabat Marcellum, qui se illius consilio usurum esse rescripserat. Quod intelligitur ex his verbis, *magisque tuas litteras expectare incipiebam, vel te potius ipsum.* Verctur autem ne, quanquam Marcellus redire decreverat, tamen tardius decedat: si quidem ait, *venit mihi in mentem subvereri interdum ne te delectet tarda decessio.* Scripta est autem multo post superiorem illam, *Etsi perpaucis:* quia ambas has litteras ait se dedisse Theophilo liberto ejus ad eum proficiscenti. Oportet enim Theophilum post superiores illas litteras in Græciam allatas Romam rediisse, nunc autem ad Marcellum iterum in Græciam proficisci.

Ser. Sulpicius Ciceroni S.

IV. 12. *Etsi scio*] Has litteras dedit Sulpicius prid. Kal. Jun. Athenis, quibus certiorem facit Ciceronem, M. Marcellum Italiam versus navigaturum, antequam conscenderet, a P. Chilone esse interfectum.

L. Lucceius Q. F. S. D. M. T. Ciceroni M. F.

V. 14. *Si vales, bene est: ego valeo, sicut soleo*] Cicero in solitudine erat, mense Junio, ut est ad Att. Ut autem Brutus consolatus est Ciceronem de morte filiæ, tum cum in solitudine erat, (ut est ad Att.) sic Lucceius eodem tempore eundem iterum consolatus est, ut apparet ex epistola.

M. Cicero L. Lucceio Q. F. S. D.

V. 15. *Omnis amor tuus*] Respondet superiori epistolæ, qua se consolatus est Lucceius.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

V. 9. *Si vales, bene est, ego valeo. Si tuam consuetudinem*] P. Vatinius hoc anno cum imperio a Cæsare missus est in Illyricum, hac occasione, (auctore Appiano in Illyrico) cum Q. Cornificius quæstor Cæsaris pro prætore in Illyrico a M. Octavio Pompeii duce, qui se ex fuga Pharsalici prælii magna classe in illum sinum contulerat, premeretur, Gabiniusque mandato Cæsaris in Illyricum cum legionibus novis profectus, ibi mortuus animum Octavio addidisset, tum Vatinius Brundusio cum aliquot navibus adversum Octavium missus est; qui victo demum fugatoque Octavio, et provincia recepta, ac Cornificio reddita, victor cum toto exercitu et classe Brundusium se recepit, ut tradit Oppius lib. IV. Has deinde Illyriorum, qui cum Octavio steterant, injurias cum Cæsarem ulturum esse, confectis omnibus bellis, Illyrii timerent, ad Cæsarem legatos miserunt, qui se ut in amicitiam fidemque reciperet peterent. Quibus Cæsar respondit, se, si tributa penderent, obsidesque darent, veniam illis esse daturum. Utrumque autem pollicentibus ipsis, Vatinium cum legionibus et magno equitatu ad eum misit. Hoc autem factum est, quantum ex Appiano et ex his epistolis intelligi potest, hoc anno, victis quidem Hispaniis, verum nondum Cæsare Romam reverso, Qua in provincia, oblata belli gerendi occasione, cum Vatinius bene rem gessisset, atque imperator appellatus fuisset, de rebus gestis ad Senatum misit litteras, petiitque per has etiam litteras a Cicerone ut supplicationem ea de causa sibi decerneret. Epistola data est III. Id Quint. Naronæ. Ergo ante reditum Cæsaris. Nuntiat præterea se audisse, servum ejus fugitivum esse cum Vardæis, de quo nihil Cicero sibi mandarit: se illum inventurum, nisi in Dalmatiam aufugerit. Ex quo apparet eum nunc in Illyrico esse.

Cicero Varroni S. D.

IX. 8. *Etsi mutus*] Mittit ad Varronem quatuor libros Academicos. Apparet hanc epistolam scriptam esse hoc anno circa Id. Quint. ex ep. ad Att.

M. Cicero Sulpicio Imp. S.

XIII. 77. *Cum his temporibus*] Plerique existimant in titulo hujus epistolæ scribendum esse VATINIO pro SULPICIO, atque his litteris Ciceronem Vatinii superiori epistolæ respondere, quod se ei lubenter supplicationem decrevisse dicat. Quibus et ipse assentirem, nisi hæc verba subsequerentur, *præterea a te peto majorem in modum pro nostra amicitia, et pro tuo perpetuo in me studio, ut hac etiam in re elabores. Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros sumpsisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum et M. Bollanus et multi alii Naronæ viderunt. Ego si hominem per te recuperavero, summo me a te beneficio affectum arbitrabor.* Neque enim intelligi potest cur Cicero ad Vatinium ita scripsisset, cum ille in suis litteris ita nuntiasset, *dicitur mihi servus tuus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse, &c.* Accedit, quod si ad Vatinium scripsisset, non videtur verisimile ita locuturum fuisse. *Non existimavi me salvo jure nostræ veteris amicitiæ, multorumque inter nos officiorum, facere posse ut honori tuo deessem,* cum quo inimicitiæ fuerunt. Itaque vereor ne hic P. Sulpicius alter, proconsul Illyrici sit, pari cum Vatinio imperio a Cæsare missus. Quandoquidem Vatinius in re gesta contra Octavium collegam habuit etiam Sulpicium. Quod intelligitur ex his verbis Oppii lib. V. *Cæsar cum cohortibus septem, quæ ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio et Vatinio rem gesserant, ex oppido Ruspina egressus, proficiscitur ad portum.* Quod si ita est, ergo ut Vatinius, sic Sulpicius ob rem bene gestam de supplicatione a Cicerone petierat. Ut autem Vatinii litteræ extant, sic Sulpicii exciderunt: ut ad Vatinium responsio desideratur, sic ad Sulpicium habetur: ut Vatinius se sine litteris Ciceronis de servo ejus curaturum scripserat, sic Sulpicius de eodem servo investigando rogatur.

Cicero Leptæ S.

VI. 19. *Maculam*] Scripta est dum expectabatur Cæsar ex Hispania: quia ait, *Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* Meminit etiam Oppii et Balbi, qui Romæ remanserant, Cæsare in Hispaniam profecto. Balbum autem ægrum fuisse, et in hac epistola ait, et ad Att. in epistola hoc tempore scripta.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 24. *Amoris quidem tui*] Judicium P. Sextii, de quo fit in hac epistola mentio, ostendit eam hoc tempore scriptam esse, quia eadem de re scribit ad Att. mense Sextili, antequam Cæsar Romam venerit.

Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 25. *Quod epistolam*] Apparet scriptam esse adventante Cæsare ex Hispania: quia ait, *Magister adest citius quam putaramus.* Magistrum autem dictatorem Cæsarem intelligit. Sic in ep. ad Att. scripta mense Sextili ait, *Cæsar adest.*

Q. FABIO MAXIMO,
C. TREBONIO COSS.

Hoc anno Cæsar postquam ex Hispania rediit, Consules sibi suffecit in reliquum anni Q. Fabium Maximum, et C. Trebonium. Auctore Dione.

M. Cicero Q. Cornificio Collegæ S.

XII. 17. *Grata mihi vehementer*] Jam Cæsar quintum et ultimum a bello Romam reverterat, id est, ex Hispaniis. Revertit autem Octobri mense, auctore Velleio, lib. II. Q. Cornificium in provincia Syriæ finitima esse apparet: quod ait, *Ex Syria tumultuosiora quædam nobis nuntiata sunt: quæ quia tibi sunt propiora quam nobis, tua me causa magis movent quam mea.* Scripta videtur epistola, cum, reverso ex Hispania Cæsare, populus Romanus variis spectaculis operam dabat: quia ait, *Romæ*

summum otium est, sed ita ut malis salubre aliquod et honestum negotium: quod spero fore, quia vides id curæ esse Cæsari. Significat autem bellum Parthicum, quod parabat Cæsar antequam interficeretur. Meminit etiam Oratoris sui, cum ait, *me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum, scribere audacius: et cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi.* Hanc autem epistolam primam esse ex iis quas ad Cornificium scripsit in provinciam, ex his verbis colligitur, *grata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam significasti litteris, &c.*

M. Cic. Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt S. D.

XIII. 4. *Cum municipibus*] Q. Valerius præpositus erat a Cæsare agris dividendis, credo postquam ex Hispania rediit, quia Cicero in epistola, qua commendat ei C. Curtium, ait ita, *Hoc autem tempore eum Cæsar in senatum legit.* Senatum autem supplevisse Cæsarem, postquam rediit ex Hispania, scribit Dio. Hac epistola commendat municipes Volaterranos, quorum agris dividendis Valerius præfectus erat.

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ Legato Propræt. S. P. D.

XIII. 5. *Non moleste fero*] Commendat Valerio C. Curtium, qui possessionem habebat in agro Volaterrano.

M. Cicero C. Cluvio S. P. D.

XIII. 7. *Cum in Galliam*] Cluvius item videtur, ut Valerius, præpositus fuisse a Cæsare dividendis agris; quia ait, *Etsi non sum nescius, et quæ temporum ratio et quæ tua potestas sit, tibique negotium datum esse a C. Cæsare, non judicium.* Commendat ei agrum vectigalem municipii Atellani.

M. Cicero M. Rutilio S. P. D.

XIII. 8. *Cum et mihi*] Item M. Rutilius præpositus erat agris dividendis a Cæsare, ut ex ipsa epistola apertissime apparet. Commendat ei prædia Laberii.

Cicero Cornificio Collegæ S. D.

XII. 18. *Quod extremum*] Loquitur de tumultu in Syria excitato (ut in superiore ad eundem) cum ait, *quod mihi videor ex tuis litteris intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec antequam scisses quo ille nescio quis Cæcilius Bassus erumperet, &c.* Hic enim Bassus tumultuatus est in Syria, Dione auctore. Loquitur etiam de ludis Cæsaris, cum ait, *equidem sic jam obdurui, ut ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem T. Plancum, &c.* de quibus ludis supra diximus.

M. Cicero P. Vatinio Imp. S. D.

V. 11. *Grata tibi*] Cicero Sulpicio supplicationem decreverat, sic etiam Vatinio. Ut autem desiderantur litteræ quibus Cicero decretam ei a se supplicationem esse nuntiaverat, sic etiam Vatinianæ, quibus Ciceroni gratias agebat. Hæc enim epistola rescripta est ad litteris Vatinii, quibus ille gratias egerat, et Pompeiam uxorem ei commendaverat. Quod autem ait, *Dalmatis dii malefaciant, qui tibi molesti sunt: sed tamen, ut scribis, brevi capientur, et illustrabunt res tuas gestas*, ostendit, Vatinium ex Illyrico jam tum, cum eas litteras scripsit, in Dalmatiam profectum esse, quod a Dalmatis lacesseretur: speratque res Dalmaticas accessionem futuras Illyricæ victoriæ, ob quam ei supplicatio decreta fuerat. Monet de Dionysio.

M. Curius M. Cicer. suo S. D.

VII. 29. *Si vales, bene est. Sum enim*] Data est a. d. IV. Kal. Novemb. a. M. Curio, qui Patris erat. Rogat Ciceronem ut Sulpicii successori se commendet, qui mense Junio ex Achaia decessit. Huic epistolæ respondet Cicero initio sequentis anni.

P. Vatinius Imp. M. Ciceroni suo S. D.

V. 10. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. De Dionysio*] Data est

Non. Dec. Narbonæ. P. Vatinius, cum in Dalmatiam profectus bellum gerere coepisset, inde recedere propter frigora coactus fuerat. Petierat tamen a Cæsare ob res Dalmaticas gestas supplicationem. De ea vero adhuc non retulisse Cæsarem moleste fert. Petit a Cicerone, ut apud Cæsarem causam suam agat. Sic enim ait, *Cæsar adhuc mihi injuriam facit. De meis supplicationibus, et rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert. Quasi vero non justissimi triumphi in Dalmatia res gesserim, &c.* Quod autem addit, *Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum*, intelligitur post supplicationes de rebus Illyricis. De Dionysio se nihil adhuc extricare respondet. In Illyricum vero recessisse ostendit, cum ait, *quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit.* Item, *indigneque oppidum captum, et bellum jam confectum relinquere sum coactus.*

Cicero Dolabellæ S. D.

IX. 12. *Gratulor Baiis nostris*] Dolabella ad Baias erat, ac orationem pro Dejotaro a Cicerone requisierat, quam dixit Cicero domi apud Cæsarem ex Hispania reversum. Quod ex his verbis orationis intelligitur, *Non dubito quin Dejotarus tuis litteris, quarum exemplum legi, quas ad eum Tarracone dedisti, se magis etiam erexerit.* Est enim Tarraco urbs Hispaniæ. Ad eum orationem hanc se mittere ait. Et ipse Cicero rusticari videtur, cum ait, *Oratiunculam pro Dejotaro, quam requirebas, habebam mecum: quod non putaram.* Cæsarem porro cum Dolabella ad Baias fuisse hoc anno, post tertia Saturnalia, id est, XII. Kal. Jan. intelligitur ex epistola ultima lib. XIII. ad Att.

C. JULIO CÆSARE V,
M. ANTONIO COSS.

ANNO AB URBE COND. 709.

Cicero Curio S. D.

VII. 30. *Ego vero jam te nec hortor*] Scripta est hæc epistola initio anni hujus, ex his verbis, *In campo certatum fuisti, cum hora secunda comitia quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nunciato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, consulem hora septima renuntiavit, qui usque ad K. Jan. esset, quæ erant futuræ mane postridie.* Hic autem fuit C. Caninius Rebilus, qui in locum Q. Maximi suffectus est. Dio, Macrob. Respondet epistolæ Curii superiori.

M. Cicero Aristo Procos. S. D.

XIII. 50. *Sumpsi hoc mihi*] Petierat Curius a Cicerone ut se commendaret successori Sulpicii: qui videtur fuisse Acilius. Itaque in superiore ad Curium epistola ita respondet, *Acilio, qui in Græciam profectus est cum legionibus, de te scripsi, eamque epistolam cum hac conjunxi.* Hæc autem epistola videtur esse quæ ad Aristum scripta est, cui commendat M. Curium. Fortasse enim appellatus est Acilius Aristus.

M. Cicero Cornificio S.

X. 19. *Libentissime*] Ex superioribus ad Cornificium epistolis apparet eum fuisse cum imperio non longe a Syria provincia, et bellum Parthicum susceptum fuisse. Ex hac autem constat eum Syriam et bellum Parthicum a Cæsare obtinuisse, quod Cæsar parabat hoc anno antequam interficeretur. Hanc rem ei hac epistola gratulatur.

Cicero Curio S. D.

VII. 31. *Facile perspexi*] Hæc epistola multo post superiorem ad Curium scripta est: quia ait, *Acilia non fuisse necesse meas dari litteras, facile patior.* Hunc Acilium successorem fuisse Sulpicii intelligi potest, cum addit, *Sulpicii tibi operam intelligo ex tuis litteris non multum opus fuisse.*

M. ANTONIO,
P. DOLABELLA COSS.

Cæsar cos. v. Id. Mart. interfec-

tus est, cum quinque menses Romæ post reditum ex Hispania fuisset, (auctore Velleio) in cujus locum suffectus est P. Dolabella.

D. Brutus M. Bruto, et C. Cassio S. D.

XI. 1. *Quo in statu simus, cognoscite*] M. Brutus et C. Cassius, prætores urbani, post necem Cæsaris armis Antonii cos. diffidentes Roma aberant. D. Brutus socius ejusdem conjurationis Romæ erat. Quod ex his verbis intelligitur, *Heri vesperi apud me Hirtius fuit: qua mente esset Antonius demonstravit. Pestima scilicet. Nam neque provinciam mihi dare posse ajebat, neque tuto quemquam nostrum in urbe esse.* Quæ verba indicant non multo post necem Cæsaris hanc epistolam esse scriptam. Ad Att. certe scribit, M. Brutum visum esse sub Lanuvio, post prid. Id. Ap.

Tullius Tironi S. D.

XVI. 24. *Etsi mane*] Cicero rusticabatur eo tempore quo Octavius ex Apollonia ad cernendam hereditatem Cæsaris Romam venit. Mandat Tironi, (quem a se, ut ait, Romam dimiserat) ut sibi pecuniam curet: et ut omnia certa sibi rescribat, quid Antonius, quid Octavius, quæ hominum opinio, quid futurum putet. Addit præterea, vix teneri quin accurrat. Item Aquini fuisse Hirtium, qui tum Romæ erat cum superior epistola scripta est. Scripta autem hæc videtur post XIV. Kal. Maias: quia Octavius ex Apollonia Romam venit illo die, *ad Att.*

M. Cicero Bithynico S.

VI. 17. *Cum cæterarum*] Non est dubium quin hæc epistola extremis iis bellis civilibus quibus Cicero interfuit, scripta sit: cum ita scribat, *cum cæterarum rerum causa cupio esse aliquando rempublicam constitutam.* Item quod ait, *eos qui temporibus valuerunt, aut valeant, &c.* nam *qui valuerunt*, referre videtur ad Cæsarianos: *qui valeant*, ad Antonianos et Octavianos. Præterea scribit ad Tironem in sequenti epistola, *ad Bithynicum scripsi.* Quod tamen an de hac epistola et de hoc Bithynico dictum sit, affirmare non ausim.

Tullius Tironi S.

XVI. 23. *Tu vero confice*] Mandat item ut pecuniam curet. Scripta est hoc tempore: quod ait, *Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit.* Legem autem intelligit, quam fixerat Antonius post mortem Cæsaris, qua Siculi cives Romani facti sunt. Ad Att. Adhuc etiam rusticabatur, cum ait, *liceat modo rusticari.* Neque dum amicitiam cum Antonio diremerat: quia ait, *ego Antonii inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane volo: scribamque ad eum.*

Cicero Dolabellæ Cos. S. D.

IX. 14. *Etsi contentus eram*] Gratulatur Cicero Dolabellæ consuli de rebus ab eo præclare gestis. Intelligit autem columnam in foro Cæsari mortuo erectam, quam ipse prostraverat. Scripta videtur VIII. Id. Maias ex ep. ad Att. ubi ait, *epistolæ ad Dolabellam exemplum tibi misi. Ego ad Dolabellam* VIII. *Id. dederam litteras.*

C. Trebonius M. Ciceroni S.

XII. 16. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Athenas*] C. Trebonius in Asiam proficiscebatur provinciam, cum has litteras dedit VIII. Kal. Jun. Athenis. Narrat Ciceroni ut viderit Athenis filium ejus litteris operam dantem. Se item audisse turbulenta quædam de republica, quæ cupit esse falsa.

M. Cicero C. Trebonio S. D.

XV. 20. *Oratorem meum*] Eodem tempore quo Trebonius ad Ciceronem scripsit epistolam superiorem, Cicero hanc ad illum. Mittit ad eum Oratorem suum, petit ut ad se crebro scribat, in primisque ut doceat cujusmodi iter suum fuerit: ubi Brutum viderit, quamdiu simul fuerit. M. autem Brutum intelligit, qui per hæc tempora in agro Antiati erat.

M. Cicero C. Matio S. D.

XI. 27. *Nondum satis constitui*] Agit cum Matio de ludis Octavii ab eo curatis in honorem Cæsaris mortui. Scripta vero hoc tempore videtur: quia ad Att. in epistola data post XV. Kal. Jun. ita ait, *de ludorum apparatu Matius mihi displicet.* Item, quia in hac epistola ait, *cum in Tusculanum vesperi venissem.* Nam ad Att. scribit in Tusculanum se venturum VI. Kal. Jun.

M. Brutus, et C. Cassius Prætt. M. Antonio Cos. S. P. D.

XI. 2. *De tua fide*] Brutus, et Cassius prætores (ut dixi) urbani cum Roma abessent, petunt ab Antonio an Romæ Kal. Jun. tuto esse possint in magna veteranorum frequentia, quæ conventura erat. Ex quo apparet hanc epistolam ante Kal. Jun. scriptam esse.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 1. *Finem nullum facio*] Hoc tempore scripta est: quia ait, *republica a Dolabella meo præclarissime gesta. Manabat enim illud malum urbanum, et ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem et urbi et otio diffiderem urbano.* Intelligit autem columnam eversam a Dolabella, de qua supra. Addit præterea, *tabulæ figuntur, immunitates dantur, pecuniæ maximæ describuntur, exules reducuntur, S. C. falsa referuntur.* Item, *cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus.* Quæ verba indicant hanc epistolam scriptam esse post Kal. Jun. quia scribit in prima Philippica, post illum diem hæc acta esse ab Antonio. Cassius adhuc non longe ab urbe aberat: quia ait, *verum hæc propediem, et multa alia coram.*

C. Matius M. Ciceroni S. P. D.

XI. 28. *Magnam voluptatem*] Respondet Matius epistolæ superiori, cujus initium est, *Nondum satis constitui.* Rationem affert cur Cæsaris ludos curarit, cum ait, *At ludos quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium et ad honestatem reipublicæ pertinebat.* Addit præterea sæpe se venisse domum Antonii consulis.

M. Cicero M. Oppio S.

XI. 29. *Dubitanti mihi*] Scripta est cum Cicero proficisceretur in Græciam: quia ait, *Dubitanti mihi de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant: magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium et consilium tuum.* Item quia ait, *gravissimum judicium de mea fide fecisti, cum post mortem Cæsaris te ad meam amicitiam contulisti.* Profectus est autem in Græciam mense Quintili; ut infra apparebit.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 20. *Amabilior mihi Velia*] Data XIII. Kal. Sext. Velia, cum in Græciam proficisceretur. Quod et ex hac epistola et ex procemio Topicorum apparet.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 19. *Vide quanti*] Data est V. Kal. Sext. Rhegio. Ait se, ut primum Velia navigare cœperit, instituisse Topica Aristotelica conscribere, eumque librum Rhegio ad eum mittere.

Brutus et Cassius Prætt. Antonio Cos. S. D.

XI. 3. *Litteras tuas egimus*] Data est prid. Non. Sext. a M. Bruto, et C. Cassio, prætoribus urbanis, qui Roma aberant, sed tamen in Italia. Conqueruntur de minis Antonii, et de edicto quodam, quo Antonius minabatur idem supplicium optimis civibus, quod Cicero sumpserat de sceleratissimis. *Philipp. III.*

M. T. Cicero T. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 1. *Et abfui*] Scripta est postquam rediit e Græcia: quia ait, *Et abfui proficiscens in Græciam, et posteaquam de medio cursu reipublicæ sum voce revocatus, nunquam peri-*

Antoniam quietus fui. Reversus est autem in urbem pridie Kal. Septemb. quod ex prima Philippica intelligitur.

M. T. Cicero S. D. Titio.

V. 16. *Etsi unus*] Consolatur Titium de morte filii. Difficile est autem intellectu, an impendente civili bello Cæsariano an Antoniano hanc epistolam scripserit, cum scribat ita, *neque tantum hæ proficere videntur debere, quantum status ipse nostræ civitatis, et hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint qui liberos non susceperunt, minus autem miseri qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua rep. perdidissent.* Item, *hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi deceptus esse videatur.* Item, *non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo et pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum, qui mihi non a diis immortalibus ereptus ex his miseriis videretur.*

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S.

XI. 4. *Si de tua in me voluntate*] D. Brutus Galliæ citeriori a Cæsare (auctore Appiano) præfectus, in eam provinciam aliquanto post necem Cæsaris profectus erat: atque in ea nunc bellum gerebat. Cum autem rem præclare gessisset, litteras ad Senatum scripserat, fortasse de supplicatione. Petit a Cicerone ut suam causam in Senatu defendat. Inquit autem, *progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans imperatorium, quam cupiens militibus satisfacere, firmosque eos ad tuendas nostras res efficere.* Item, *cum omnium bellicosissimis bellum gessi, multa castella cepi, multa vastavi. Non sine causa ad senatum litteras misi. Adjuva nos tua sententia.* Itaque Philip. VI. ait, *Annon D. Brutus potuit legiones Antonio et provinciam tradere? domum redire? triumphare?*

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 16. *Permagni interest*] Jam Brutus Imp. appellatus erat, ex superiore epistola. Commendat duabus epistolis Bruto L. Lamiam, præturam petentem: credo, veritus ne altera earum intercepta periret. Hoc autem anno petiit præturam Lamia, quia ædilis fuit sub victoriam Cæsaris Africanam. Inter ædilitatem autem et præturam biennium intercedebat. Petit autem Cicero a Bruto, ut ad Lupum Romam mittat, ut equitum sibi centurias, in quibus ille regnat, conficiat.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 17. *Lamia*] Eodem tempore scripta est quo superior, ut ibi dictum est. Commendat iterum ei præturam Lamiæ.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 2. *Vehementer lætor*] Scripta est post XIII. Kal. Oct. postquam Philippicam secundam in Antonium dixerat. Se tuto in Senatum venire non posse ait. Cædem enim eum quærere, ejusque initium a. d. XIII. Kal. Oct. a se facturum putasse. Cassius adhuc cum M. Bruto abesse ab urbe in Italia videtur: quia ait, *Quare spes est in vobis: qui si idcirco abestis ut sitis in tuto, ne in vobis quidem: sin aliquid dignum vestra gloria cogitatis, velim salvis nobis. Sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore jus suum recuperabit.*

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 2. *Meum studium*] L. Plancus petierat a Cicerone ut causam suam ageret in Senatu. Respondet Cicero, se id facturum fuisse, si aut tuto in Senatum aut honeste venire potuisset. Ex quo intelligi potest, hanc epistolam eodem tempore scriptam esse quo superior est.

M. T. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 3. *Auget tuus amicus*] Nondum videtur Cassius in Syriam provinciam profectus, quod se, quid consilii ei det, non habere Cicero dicat.

Scripta est post VI. Non. Oct. quia ait, *itaque a. d.* VI. *Non. Oct. productus in concionem a Cimbrio, turpissime ille quidem discessit, sed tamen ea dixit de conservatoribus patriæ, quæ dici deberent de proditoribus.*

M. T. Cicero Cornificio S. D.

XII. 23. *Omnem conditionem*] Cornificius Africæ hoc tempore prætor erat, quod sequentes epistolæ indicant. Scripta hæc est post VII. Id. Oct. quia ait, *A. d.* VII. *Id. Oct. Antonius Brundusium venerat, profectus obviam legionibus Macedonicis quatuor, quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare.*

M. Cicero Cornificio S.

XII. 21. *C. Anicius*] Extant epistolæ quædam ad Cornificium scriptæ, tum cum in Africa erat: quarum quia sedes incerta est, earum aliquot huic epistolæ subjiciemus. Hac ei commendat C. Anicium, legatum in Africa legatione libera.

M. T. Cicero Cornificio S.

XII. 26. *Q. Turius, qui in Africa negotiatus est*] Commendat Q. Turium, qui in Africa negotiatus erat.

M. Cicero Cornificio.

XII. 27. *Sex Aufidius*] Commendat Aufidii negotia, quæ erant in Africa.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 5. *Lupus, familiaris noster*] Scripta est post v. Id. Decembr. quia ait, *Romam veni ante diem* v. *Id. Decembr.* Nondum videtur Antonius provinciam Galliam a populo obtinuisse: quia ait, *si iste provinciam nactus erit, spem reliquam nullam video salutis.* Hortatur præterea ut Antonio resistat, et libertatem recuperet.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 7. *Cum adhibuisset*] M. Antonius edixerat ut adesset Senatus frequens a. d. VIII. Kal. Decemb. Eo die ipse non affuit, in a. d. IV. Kal. Decemb. distulit: adesse in Capitolio jussit: quod in templum ipse nocte qua per Gallorum cuniculum ascendit. Cum de republica relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit: effugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit: inde paludatus urbe fœde ac misere fugit, cum vesperi illo ipso die senatus-consultum de provinciis fecisset. Cum igitur Antonius in Galliam, quam a populo obtinuerat, D. Bruti provinciam, irrupturus cum exercitu videretur, hortatur Brutum Cicero ne in salute et libertate populi Romani conservanda auctoritatem Senatus expectet, nondum liberi. Meminit Cæsaris adolescentis, qui exercitum privato consilio contra Antonium paraverat, item legionis Martiæ et quartæ, quæ Antonium consulem reliquerant.

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 6. *Lupus noster*] Scripta est post XIII. Kal. Jan. quia ait, *Cum tribuni plebis edixissent, senatus adesset a. d.* XIII. *Kal. Jan. haberentque in animo de præsidio cos. des. referre, quanquam statueram in senatum ante Kal. Jan. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rempublicam meritis sileretur (quod factum esset, nisi ego venissem) aut etiam, si quid honorifice de te diceretur, me non adesse. Itaque in Senatum veni mane, &c.* Eo autem die in Senatu dixit tertiam Philippicam, et ad Populum quartam: in quibus D. Brutum laudavit, quod edictum fecit quo se Galliam in S. P. Q. R. potestate retenturum pollicebatur.

M. Cicero S. P. D. Cornificio.

XII. 22. *Nos hic cum homine*] Scripta et hæc est post XIII. Kal. Jan. quia ait, *a. d.* XIII. *Kal. Jan. senatus frequens miki est assensus de provinciis ab iis qui obtinerent retinendis, neque cui-*

quam tradendis, nisi qui ex S. C. successisset. Quod idem Cornificii causa suasisse ait, ne scilicet C. Calvisio, cui Antonius Africam tradiderat, provincia cederet. Suasit autem hoc Cicero in tertia Philippica, his verbis, *censeo senatum ad summam reip. pertinere arbitrari, ab iis qui provincias obtinent obtineri ex lege Julia, quoad ex S. C. eique eorum successum sit.*

Q. Cicero Tironi suo S. D.

XVI. 27. *Mirificam mihi verberationem*] Scripta videtur hoc anno: quia reprehendit consules des. Hirtium et Pansam.

Cicero F. Tironi suo dulciss. S. D.

XVI. 21. *Cum vehementer*] Cicero F. erat Athenis cum M. Bruto et Cassio, sequenti autem anno cum Bruto proficiscitur in Macedoniam. Erat autem hoc tempore Athenis, ut in epist. Trebonii. Hoc vero tempore epistolam hanc scriptam esse apparet, quia nunquam amplius fuerit Brutus Athenis quam nunc. Eo enim Macedoniam proficiscens profectus est.

Cicero F. Tironi suo S.

XVI. 25. *Etsi justa*] Scripta videtur cum esset Cicero F. Athenis, ut superior.

Bithynicus Ciceroni S. D.

VI. 16. *Si mihi tecum*] Bithynicus (ut ait Appianus) post mortem Cæsaris in Sicilia prætor erat. Petit igitur a Cicerone tunc in Senatu potente, ut se absentem defendat.

A. HIRTIO,
C. VIBIO PANSA COSS.

ANNO AB URBE COND. 710.

M. Cicero Cornificio.

XII. 24. *Ego nullum*] M. Antonius a. d. IV. Kal. Decemb. cum de legione quarta nuncium in Senatu accepisset, ex urbe fugit paludatus: in provinciam Galliam cum exercitu irrupit, D. Brutum resistentem Mutinæ obsedit: Cicero Philip. III. et V. Ad Antonium deinde legatos de pace Senatus misit prid. Non. Jan. Cicero Philip. VI. Antequam legati reverterentur, hæc epistola scripta est: quia ait, *cum hæc scribebam, in expectatione erant omnia. Nondum legati redierant, quos Senatus non ad pacem deprecandam, sed ad bellum denunciandum miserat, nisi legatorum nuncio paruisset.*

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 8. *Eo tempore Pella*] Eodem tempore scripta est quo superior: quia ait, *omnia erant suspensa propter expectationem legatorum, qui quid egissent nihil dum nunciabatur.* Jam Hirtius et Cæsar exercitum contra Antonium duxerant: itaque ait, *De reliquis rebus jam a te litteras expectare debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero brevi tempore societate victoriæ tecum copulatos fore.*

M. Cicero L. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 3. *Cum ipsum Furnium*] Hortatur L. Plancum ad rempublicam et libertatem populi Romani defendendam. Scriptam autem mense Januario esse declarat responsio Planci, quæ sequetur.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 4. *Vellem Id. Mart.*] Jam C. Cassius in Syriam proconsul venerat. Scripta est postquam legati ab Antonio redierant: quia ait, *nihil fœdius Philippo et Pisone legatis, nihil flagitiosius: qui cum essent missi ut Antonio ex senatus sententia certas res nuntiarent, cum ille earum nulli paruisset, ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt.* Dolabellam vituperari ait, quod Cassio, qui vix triginta dies in Syria fuisset, succederet.

M. T. Cicero C. Trebonio S. D.

X. 28. *Quam vellem*] Trebonius in Asia proconsul erat. Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, qui in legatione

ad Antonium obierat ex IX. Philippica. Quod ex his verbis colligitur, *magnum damnum factum est in Servio. L. Cæsar optime sentit: consules egregii, præclarus D. Brutus, egregius puer Cæsar.*

M. Cicerò C. Cassio S. P. D.

XII. 5. *Hiemem credo prohibuisse*] Scripta est post mortem Ser. Sulpicii, dum adhuc Brutus obsideretur: ex his hujus epistolæ verbis, *Res sic se habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obsidebatur, quod magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noster Hirtius, ad forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnasque Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ compararat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate (ut mihi crebris litteris significat) acturus videbatur. Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus. Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus: ex quibus unus L. Cæsar firmus est et rectus: Ser. Sulpicii morte magnum præsidium amisimus.*

Planeus Ciceroni S. D.

X. 4. *Gratissimæ mihi tuæ litteræ fuerunt*] Respondet epistolæ Ciceronis, cujus initium est, *Cum ipsum Furnium.* Scripta videtur Februario mense, quia ait, *Cum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe Januario mense geratur, ut sciam.* Optimo se in rempublicam animo esse ait.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 24. *Rufum istum*] Hæc epistola extrema hieme scripta est: quia ait, *te ad cœnas itare desisse moleste fero. Spurina magnum periculum summæ reipublicæ demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem, tum cum Favonius flaret, revertisses. Hoc tempore ferri posse, si forte tu frigus ferre non posses.* Addit præterea, quod hanc epistolam Antonianis temporibus scriptam esse probare potest, *cave existimes me, quod jocosius scribam, abjecisse curam reipublicæ: sic tibi persuade, me dies et noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei cives salvi liberique sint. Nullum locum prætermitto monendi, &c.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 7. *Quanto studio*] Nunciat se dignitatem ejus defendisse in senatu. Hoc autem (ut arbitror) fecit in undecima Philippica, cum bellum contra Dolabellam Cassio mandandum censuit: idem se ad Populum etiam egisse ait. Quæ tamen oratio non extat.

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S.

XII. 11. *Si vales, bene est; ego quidem valeo. In Syriam*] Data est Non. Mart. ex castris Taricheis. Nunciat se accepisse exercitum a L. Murco et Q. Crispo Imperatoribus, et legionem, quam Q. Cæcilius Bassus habuit, quatuorque legiones, quas Allienus ex Ægypto duxit, posteaquam illi audiverunt quæ Romæ gererentur. Intelligit autem S. C. factum in sententiam Ciceronis undecima Philippica.

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 31. *Minime mirum*] C. Asinius Hispaniæ præerat cum exercitu: quid sibi agendum sit, Ciceronem consulit. Data est XVII. Kal. Apr. Cordubæ.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

X. 5. *Binas a te accepi litteras*] Respondet epistolæ Planci, cujus initium est, *Gratissimæ mihi;* et gratulatur, eum optimo esse in remp. animo: hortaturque ut persistat.

Liberalibus, id est, XVI. Kal. Apr. nec postero die fuit senatus. Quinquatribus, i. XIV. Kal. Apr. frequens fuit, decrevitque ut Minerva Cice-

ronis, custos urbis, quam turbo dejecerat, restitueretur. Pansa litteras Cornificii recitavit. Summa approbatio consecuta est, cum offensione Calvisii, qui Africam petebat, ut ait Cicero in Philip. III. Factum de Cornificio S. C. honorificum, ex epist.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 6. *Quæ locutus est Furnius*] Data est XIII. Kal. Apr. Hortatur Plancum, ut D. Brutum collegam suum ab Antonio Mutinæ obsessum exercitu juvet, neque pacis auctor sit, quæ positis armis ab Antonio petenda sit.

M. Cicero M. Lepido S. P. D.

X. 27. *Quod mihi pro mea summa*] Monet Lepidum, qui decreta sibi Hispania adhuc in Gallia ulteriori morabatur cum exercitu (auctore Velleio) ne se interponat in pacificationem Antonii et senatus, de qua hoc tempore agebatur, auctore Dione. Quod idem etiam suasit in superiori epistola Planco.

L. Plancus Imp. Cos. Des. S. D. Cos. Præt. Trib. Pl. S. P. Pl. Q. R.

X. 8. *Si cui forte*] Rationem affert cur non adhuc arma contra Antonium pro rep. ceperit: se paratum esse vel provinciam tueri, vel ire quo resp. vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque; C. Furnium, legatum cum mandatis ad Senatum ante misisse ait. Cujus rei meminit Cicero in epistola cui initium est, *Quæ locutus est Furnius*. Cum autem hanc epistolam scripsit, Brutus adhuc obsidebatur. Quod inde intelligi potest, cum ait, *quod præmatura denunciatio boni civis imparati quam periculosa esset, ex eitu collegæ videbam.*

Planc. Imp. Cos. Des. Ciceroni S. D.

X. 7. *Plura tibi*] Hæc epistola cum superiore conjuncta est: quia ait se breviorem esse, quod publicis litteris omnia persecutus sit.

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 10. *Etsi satis ex Furnio*] Respondet superiori epistolæ Planci, cujus initium est, *Plura tibi*. Gratas litteras ejus senatui fuisse ait: hortatur ut in suscepta sententia persistat. Data est IV. Kal. April. antequam prælium ad Mutinam fieret. Quod ex his verbis cognoscitur, *quamobrem quanqam uno in prælio omnis fortuna reip. disceptat: quod quidem, cum hæc legeres, jam decretum arbitrabar fore*, &c.

M. Cicero Planco Imp. Cos. Des. S.

X. 12. *Etsi reip. causa*] Data est III. Id. Apr. Respondet litteris quibusdam Planci, quæ interierunt: alias item litteras Planci ad Senatum, quæ non extant, recitatas fuisse ait. Se pro Planco VII. VI. V. Id. Aprilis in Senatu cum Servilio et Titio Tribunis pleb. qui S. C. intercesserant, contendisse ait.

M. Cicero Cornificio.

XII. 28. *Assentior tibi*] Scripta est hoc tempore, cum ambo consules ad Mutinam erant: quia ait, *Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus consulibus unquam nisi ad rem novam cogeretur.* Hoc autem idem scripsit etiam in superiore ad Plancum epistola, cum Senatum absentibus consulibus a prætore urbano Cornuto habitum esse dixit.

M. Ciceroni Cornificio.

XII. 29. *Non modo tibi*] Commendat res L. Lamiæ. Scripta hoc anno videtur: quia ait, *quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui S. C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse, qui omnino consulibus illis nunquam affuit scribendo: deinde omnia tum falsa S. C. deferebantur. Intelligit autem consules Antonium et Dolabellam.*

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 6. *Qui status rerum fuerit*] Scripta est paulo ante quam ad Mutinam pugnaretur: quia ait, *res, cum hæc scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinæ vix jam sustinebat.*

Ser. Galba M. Ciceroni S.

X. 30. XVII. *Kal. Maii*] Data est a. d. XII. Maii, ex castris. Nunciat rem bene gestam cum Antonio.

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. P. D.

X. 9. *Nihil me tibi temere*] Post VI. Kal. Maias scripta est, tum cum Plancus properaret in Galliam citeriorem, ut subveniret Decimo Mutinæ obsesso; ait enim, *exercitum a. d. VI. Kal. Maias Rhodanum trajeci: ipse, si a Lepido non impediar, celeritate satisfaciam: sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco et genere et numero et fidelitate firmissimas.* In hanc sententiam in epistola etiam cujus initium est, *Immortales*, scripsit, *Cum Rhodanum copias trajecissem, ipseque iter Mutinam dirigerem, de prælio facto, Brutoque et Mutina obsidione liberata audivi.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 9. *Pansa amisso*] Data est IV. Kal. Maii ex castris Regii. D. Brutus obsidione liberatus mortuos consules nunciat: pollicetur se daturum operam ne Antonius in Italia commoretur; rogat ut Lepidum, Asinium, Plancum confirmet, de quorum voluntate erga remp. dubitabat.

M. Cicero Cornificio.

XII. 25. *Liberalibus*] Scripta est post consules ad Mutinam interfectos; quia ait, *Hirtium quidem et Pansam, collegas nostros, homines in consulatu reip. salutares, alieno sane tempore amisimus, rep. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

X. 10. *Non mihi remp.*] Data est III. Non. Maii ex castris, Dertone. Nuntiat ut Antonius omne genus hominum arripiendo, satis magnum numerum effecerit, ut cum eo Ventidius ad Vada se conjunxerit. Antonium aut ad Lepidum se collaturum, aut Apennino Alpibusque retenturum, aut rursus se in Etruriam receptarum.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

XI. 11. *Eodem exemplo*] Data est prid. Non. Maii ex castris, finibus Statiellensium. *In itinere est* (inquit) *Antonius, ad Lepidum proficiscitur. Ne de Planco quidem adhuc spem abjecit, ut ex libellis ejus animadverti, qui in me inciderunt. In quibus, quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat.*

C. Cassius Procos. M. Ciceroni S. D.

XII. 12. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas litteras*] Rogat ut se et Murcum et Crispum imperatores, qui sibi exercitum tradiderunt, militesque ipsos sua auctoritate defendat atque ornet. Se audisse ait, Dolabellam, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupavit, in Ciliciam venisse cum suis copiis. Itaque se item in Ciliciam profecturum. Data est Non. Maii, ex castris.

Plancus Ciceroni S. P. D.

X. 11. *Immortales ago tibi gratias*] Respondere videtur epistolæ Ciceronis, cujus initium est, *Etsi reip. causa*, qua Cicero scripserat, quantam contentionem pro ejus dignitate suscepisset. Nuntiat se, audito Mutinensi prælio, in Allobrogibus constitisse: audivisse autem VI. Kal. Maias, supra diximus. Se paratum esse ait, ut quoquo modo possit resistat Antonio, si in Galliam se contulerit.

Cic. Planco Imp. Cos. Des. S. D.

X. 14. *O gratam famam*] Data est III. Id. Maii. Respondet epistolæ superiori Planci, cujus initium est, *Nihil me tibi temere.* Hortatur eum ut fusum Antonium persequatur.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 22. *Cum Ap. Claudio*] Commendat Bruto Ap. Claudium, qui se cum Antonio conjunxerat, rogatque ut eum sua auctoritate servet incolumem.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

X. 15. *His litteris scriptis*] Nuntiat se, in Isara flumine, quod est in finibus Allobrogum, ponte uno die facto exercitum a. d. IV. Id. Maii traduxisse, fratrem cum equitum quatuor millibus prid. Id. Maii L. Antonio præmisso cum equitibus ad forum Julium obviam misisse: ipsum maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, et reliquo equitatu, subsecuturum.

Plancus Imp. Ciceroni S. D.

X. 17. *Antonius Id. Maii*] Nuntiat Id. Maii Antonium ad forum Julium venisse, Ventidium bidui spatio ab eo abesse, Lepidum ad forum Voconii castra habere: ibi se expectare constituisse.

Cicero Planco S. D.

X. 16. *Nihil post hominum memoriam*] Litteras quasdam Planci in Senatu recitatas esse, easque gratissimas senatui fuisse, deque his S. C. factum esse in sententiam suam ait. Suadet præterea ut in rebus agendis consilium senatus non petat, sed ipse sibi sit senatus. Nondum videtur Antonius se conjunxisse cum Lepido.

M. T. Cicero S. P. D. Cornificio.

XII. 30. *Itane*] Scripta est hoc tempore: quia ait, *orbus senatus consulibus amissis.* Item, *cum Pansæ mortem ignorares, scripsisti quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere.* Item, *sic vehementius nos laboramus, quia profligato bello, ac pene sublato, renovatum bellum gerere conamur.*

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 18. *Etsi ex mandatis*] Data est XIII. Kal. Jun. De bello renovato Antonii agit, his verbis, *etenim cum te incluso spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio: quis erat qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec vero Lepidum timebamus. Quis enim esset qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum reip. indiceret?* Item paulo post, *quare velim equidem (id quod spero) ut plane abjectus et fractus sit Antonius. Sin aliquid virium forte collegerit, sentiet, nec senatui consilium, nec populo R. virtutem deesse, nec reip. te vivo, imperatorem.*

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 19. *Ad senatum*] Data est XII. Kal. Jun. Vercellis. Dolet, se cum tironibus egentissimis esse: rogat ut quas ad senatum misit litteras, perlegat, et si qua videbuntur, commutet.

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 34. *Si vales, bene est: ego quoque valeo. Cum audissem*] Data est XII. Kal. Jun. ex castris, ex Ponte Argenteo. Nunciat se venisse ad forum Voconium contra L. Antonium: Silanum et Culeonem ab eo discessisse: se neque Senatui, neque reip. in hoc bello defuturum.

M. T. Cicero C. Furnio S. P. D.

X. 25. *Si interest*] Deterret Furnium legatum Planci a petenda prætura: hortatur autem ut reliquias belli conficiat. Id est, ut Antonium persequatur, post fugam Mutinensem bellum renovantem.

Plancus Ciceroni S.

X. 18. *Quid in animo habuerim*] Se accersitum esse nuntiat a Lepido. Itaque a. d. XII. Kal. Jun. ab Isara castra movisse: pontem tamen reliquisse, et præsidia firma ibi posuisse, ut advenienti Bruto exercituique ejus sine mora transitus esset paratus: ipsum se diebus octo cum Lepidi exercitu conjuncturum.

Plancus Ciceroni S.

X. 21. *Puderet me*] Scripta est biduo post superiorem: quia ait: *Scripsi tibi biduo ante, me confidere bono Lepido esse usurum, communique consilio bellum administraturum. Credidi chirographis ejus, affirmationi præsentis Laterensis, qui tum apud me*

erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem orabat. De hac autem re sic in epistola superiori, *itaque post dicessum legatorum, cum binis continuis litteris et Lepidus me ut venirem rogaret, et Laterensis multo etiam magis prope implorans obtestaretur, &c.* Se, cum ad Lepidum iret, jussu ejus constitisse, ac propterea suspectam ejus fidem habere ait.

Cicero Planco S. D.

X. 22. *In te, et in collega*] Scripta est antequam Lepidus Antonium reciperet: quia ait, *concordia vestra, quæ senatui declarata est.* Intelligit autem consensum Planci et Bruti ad persequendum Antonium. Scribit autem Appianus, cum hoc tempore, antequam Antonius reciperetur a Lepido, D. Bruti exercitus laboraret morbo, Plancum cum exercitu propius accessisse.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 15. *Etsi mihi tuæ litteræ*] Eadem sententia, qua utitur, ostendit eodem tempore hanc epistolam scriptam esse, quo superior est: quæ est hæc, *conjunctio tua cum collega, concordiaque vestra, quæ litteris communibus declarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit.*

Cicero Planco Imp. Cos. Des. S. P. D.

X. 13. *Ut primum*] Nuntiat senatus consultum factum esse in suam sententiam, in laudem Planci. Hortatur ut Antonium opprimat: cum ait, *qui M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit.*

Cicero Planco Imp. S. D.

X. 19. *Quanquam gratiarum actionem*] Idem agit atque in superiore, cum ait, *Incumbe ut belli extrema perficias. Qui M. Antonium oppresserit, is hoc teterrimum bellum periculosissimumque confecerit.*

M. Cicero D. Bruto Imp. Cos. Des. S. D.

XI. 12, *Tres uno die*] Respondet litteris Bruti, quarum initium est, *Non mihi remp.* et eodem exemplo hortatur ad persequendum Antonium, cum ait, *is bellum confecerit qui Antonium oppresserit.* Addit præter ea, *itaque homines alii facti sunt: nonnulli etiam queruntur quod persecuti non sitis: opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant.*

C. Asinius Pollio M. T. Ciceroni S. P. D.

X. 33. *Quo tardius*] Hoc tempore scripta videtur: quia ait Antonium habere equitatum, ac legiones sub signis armatas tres: Ventidium cum eo se conjunxisse. Si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema. Parmam direptam, L. Antonium Alpes occupasse; anni tempus majorem sibi libertatem dare, propterea quod frumenta aut in agris aut in villis sint: se deesse reip. nolle.

M. T. Cicero S. Furnio S. P. D.

X. 26. *Lectis tuis litteris*] Suadet hac etiam epistola Furnio, ut prætura petitionem in alterum annum differat: nunc autem in bellum incumbat. Quod de Planci et Bruti concordia scribat, in eo se vel maximam spem ponere victoriæ.

M. Cicero D. Bruto Imp. S. D.

XI. 14. *Mirabiliter mi Brute lætor*] Respondet litteris quibusdam, quas Brutus Id. Maii dederat, his verbis, *Scripsisti autem ad me iis quas Id. Maii dedisti, modo te accepisse a Planco litteras, non recipi a Lepido Antonium. Id si ita est, omnia faciliora; sin aliter, magnum negotium: cujus exitum ne extimescam, tuæ partes sunt.*

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

XI. 20. *Quod pro me non facio*] Labeonem ait sibi nuntiasse, Cæsarem de Cicerone questum, quod diceret, eum dixisse, Cæsarem ornandum et tollendum esse: non commissurum ut tolli possit. Se, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excessurum ait, legiones armare, parare, sperare se non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus, et impetus hominum. Data VIII. Kal. Jun. Epo-

rædia. Mendose enim vulgo legitur VII. Kal. Jun. ex manuscripto libro.

D. Brutus M. Ciceroni S. D.

XI. 23. *Nos hic valemus recte*] Scripta videtur eodem die quo superior. Itaque ait, *quæ tibi superioribus litteris mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur.* Lepidum commode de se videri sentire ait, seque, dum a Cicerone litteras accipiat, in Italia moraturum.

Cicero Planco S. D.

X. 28. *Ita erant omnia*] Data est IV. Kal. Jun. Se accepisse a Bruto litteras ait datas Id. Maii, in quibus erat, Plancum ad se scripsisse, a Lepido non recipi Antonium. Præterea ait, *qui reliquias hujus belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore.*

Lentulus Ciceroni suo S. D.

XII. 14. *Cum Brutum*] Quæstor erat Asiæ Lentulus. De Cassio et de Dolabella nuntiat. Data IV. Kal. Jun. Pergæ.

P. Lentulus P. F. Proquæst. Propræt. S. D. Coss. Prætt. Trib. Pl. Sen. P. Q. R.

XII. 15. *Si valetis, liberique vestri valent, bene est*] Nuntiat eadem de Dolabella et de Cassio, quæ in superiori epistola nuntiaverat Ciceroni. Data est IV. Non. Jun. Pergæ. Nisi malimus legere IV. Kal. Jun. ut sit eadem die scripta qua superior.

D. Brutus Imp. Cos. Des. M. Ciceroni S. D.

XI. 13. *Jam non ago tibi gratias*] Respondet epistolæ superiori Ciceronis, cujus initium est, *Tres uno die.* Rationem affert cur non statim persecutus sit Antonium. Pollicetur, si quo casu Isaram trajecerit, reip. non defuturum. Addit præterea, *vos magnum animum, optimamque spem de summa reip. habere volumus, cum et nos et exercitus nostros singulari concordia conjunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos.*

M. Lepidus Imp. II. Pont. Max. S. P. Pl. Q. R.

X. 35. *Si vos liberique vestri*] Data est III. Kal. Jun. Excusat se quod Antonium receperit. Recepit autem a. d. IV. Kal. Jun.

D. Brutus Imp. M. Ciceroni S. D.

XI. 26. *In maximo meo dolore*] Data est III. Non. Jun. ex castris. Lepidus Antonium recepit a. d. IV. Jun. ex epistola Planci, cujus initium est, *Nunquam mehercule.* Hoc autem significare videtur Brutus in hac epistola, cum ait, *hoc solatio utor, quod intelligunt homines me timuisse ista quæ acciderunt.* Et paulo post, *ad senatum litteras misi.*

M. Cicero D. Bruto Imp. S.

XI. 21. *Dii isti Segulio*] Respondet epistolæ Bruti, cujus initium est, *Quod pro me non facio.* Data est prid. Non. Jun.

M. Cicero D. Bruto S. D.

XI. 24. *Narro tibi*] Data est VIII. Id. Jun. Respondet epistolæ Bruti, cujus initium est, *Nos hic valemus recte.* Suadet ut in Galliam contra Antonium trajiciat. Neque enim adhuc audierat Antonium esse receptum a Lepido.

Plancus Ciceroni S.

X. 23. *Nunquam mehercule*] Data est VIII. Id. Jun. Civarone, ex finibus Allobrogum. Nuntiat a. d. IV. Kal. Jun. Antonium se conjunxisse cum Lepido: vix se e manibus eorum esse elapsum.

C. Asinius Pollio M. Ciceroni S.

X. 32. *Balbus quæstor*] Data est VI. Id. Jun. Cordubæ. Narrat quæ Balbus quæstor gesserit: petitque ut quid sibi agendum sit, ad se scribat.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 8. *Scelus affinis tui Lepidi*] Scripta est post conjunctionem Lepidi et Antonii. Quod ex his verbis intelligitur, *Scelus affinis tui Lepidi,*

summamque levitatem et inconstantiam, ex actis quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror. Addit præterea nuntiata quædam fuisse de oppresso Dolabella.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 9. *Brevitas tuarum litterarum*] Scripta est eodem tempore quo superior: quia ait, *tanquam clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella.* Et paulo post, *nos confectum cum putaremus bellum, repente a Lepido tuo in summam solicitudinem adducti sumus.*

C. Cassius S. D. M. Ciceroni.

XII. 13. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Cum reip.*] Data est Id. Jun. Cypro, Acromani Iacride. Nuntiat se persecutum esse Dolabéllam.

M. Cicero D. Bruto S. D.

XI. 25. *Expectanti mihi*] Data est XIV. Kal. Quint. Se vocare quotidie M. Brutum in Italiam ait.

M. Cicero C. Cassio S. P. D.

XII. 10. *Lepidus affinis tuus*] Scripta est post prid. Kal. Quint. quia ait, *Lepidus affinis tuus prid. Kal. Quint. sententiis omnibus hostis a senatu judicatus est, cæterique qui una cum illo a republica defecerunt. Quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Sept. potestas facta est.* Et paulo post, *Nos de Dolabella quæ volumus: sed adhuc sine capite.* Nondum autem superiores Cassii de Dolabella litteras acceperat.

C. Cicero Ampio S. D.

X. 29. *De meo studio*] Data est prid. Non. Quint. Videtur scripta hoc tempore, quo plurimum poterat in republica Cicero: quia ait: *Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus quam ipsi, hoc tempore prodesse possim.* Item, *fundamenta jeci salutis tuæ.*

Plancus Imp. Cos. Des. Ciceroni S. D.

X. 24. *Facere non possum*] Data est V. Kal. Sext. ex castris. Hoc tempore petebat Octavius consulatum in locum consulum occisorum. Quod in hac etiam epistola significat Plancus, cum ait, *quod vivit Antonius, quod Lepidus una est, quod exercitus habet non contemnendos, id omne Cæsari acceptum refero. Quæ mens eum a tanta gloria avocarit, et ad cogitationem consulatus bimestris transtulerit, exputare non possum.*

Hoc anno C. Cæsar Octavianus prid. quam XX. annos impleret X. Kal. Oct. cum Q. Pedio consulatum inïit in locum A. Hirtii, et C. Pansæ, qui in prælio Mutinensi ceciderant. Atque haud ita multo post Cicero, inito inter Cæsarem, Antonium et Lepidum, triumviratu, jussu Antonii interfectus est.

EPISTOLÆ ALIQUOT.

QUIBUS HAUD ITA CERTA SEDES INVENITUR.

M. Cicero M. Fabio Gallo S. D.

VII. 23. *Tantum ex Arpinati veneram*] Hæc epistola eodem tempore scripta videtur, quo epistolæ quædam in primo lib. ad Attic. quia cum utroque de signis sibi curandis agit. Nam in epistola, cujus initium est, *Quanto dolore*, ita ait, *quæ tibi mandavi, et quæ tu intelliges convenire nostro Tusculano, velim, ut scribis, cures. Nam nos ex omnibus molestiis et laboribus uno in illo loco conquiescimus, quo fratrem quotidie expectamus.* Et in ea quæ incipit, *Non committam*, scribit, *Q. frater cum uxore nunc in Arpinati prædio erat. Tu velim, si ornamenta γυμνασιῶν reperire poteris, quæ loci sint ejus, quem non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculano ita delectamur, ut nobismetipsis tunc denique cum illo venimus, placeamus.* Et in ea, cujus initium est, *Apud te est, ut volumus*, scribit, *Hermæ tui Pentelici, de quibus ad me scripsisti, jam nunc admodum delectant. Quare velim et*

eos, et signa, et cætera, quæ tibi et ejus loci, et nostri studii, et tuæ elegantiæ esse videbuntur, quamplurima quamprimumque mittas, et maxime, quæ tibi gymnasii xystique videbuntur esse. Et in ea, cujus initium est, *Cum essem in Tusculano*, legimus, *signa nostra, et Hermeraclas, ut scribis, cum commodissime poteris, velim imponas. Et quod aliud* οἰκεῖον *ejus loci, quem non ignoras, reperies, et maxime quæ tibi palæstræ gymnasiique videbuntur esse.* Et in ea, cujus initium est, *Crebras expectationes*, scribit, *quod mihi de Hermathena scribis, per mihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium meæ, quod et Hermes commune omnium, Minerva singulare est ejus gymnasii.* In his ergo locis meminit Cicero Tusculani, quod exornare cupiebat, et quo fratrem expectabat: Arpinatis, ubi frater erat. Signa præterea sibi curari cupit ea quæ gymnasio, palæstræ, et xysto, et cuidam alii loco quem ille scit, congruant, ut Mercurium et Minervam. Eadem autem fere in hac epistola scribit ad Fabium. Meminit enim Arpinatis, unde forte in Tusculanum redierat, cum ibi Q. fratrem reliquisset: meminit Tusculani, ubi tunc erat. Signa præterea se cupere ait, quæ gymnasium et palæstram exornent: cum inquit, *ea signa emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum.* Meminit etiam xysti, et alterius illius loci: cum ait, *exedria nova mihi quædam sunt instituta in porticula Tusculani: ea volebam tabellis ornare.* Xystum enim porticulam, locum illum exedria intelligit. Baccharum præterea et Martis signa loco illi convenire negat, Mercurium probat. Cum ergo tanta sit argumenti similitudo, jure eodem tempore hæc scripta esse videri poterit, atque illæ ad Att. quæ ante consulatum Ciceronis, auctore Paulo Manutio viro eruditissimo, scriptæ sunt. Hoc tamen opinantes dicimus.

Cicero Gallo S. D.

VII. 26. *Cum decimum*] Meminit cœnæ auguralis apud Lentulum. P. autem Lentulus Spinther filium in consulatu suo, Dione auctore, in adoptionem Manlio Torquato dedit, ut augur fieri posset, salva lege, quæ duos ex eadem gente fieri augures prohibebat. Erat autem augur Cornelius Faustus Syllæ fil. ex quo apparet hanc epistolam scriptam esse post consulatum Lentuli.

M. Cicero C. Munatio C. F. S. D.

XIII. 60. *L. Livineius*] Scripta videtur post exilium Ciceronis: quia ait, *summa enim ejus erga me officia extiterunt iis nostris temporibus, quibus facillime bonam benevolentiam hominum et fidem perspicere potui.*

M. Cicero L. Culleolo S. D.

XIII. 41. *Quæ fecisti*] Videtur Culleolus proconsul in Illyrico esse: quia meminit in sequenti Bylionum populorum Illyrici. Scripta est vivente Pompeio: quia ait, *tum Pompeius quotiescunque me videt (videt autem sæpissime) gratias tibi agit singulares.* Id si ita est, profecto ante primum consulatum Cæsaris scripta est. Nam Cæsar primum consul Illyricum ac Gallias a populo obtinuit in quinquennium: ac deinde prorogandum sibi imperium curavit in secundo consulatu Pompeii.

M. Cicero L. Culleolo Procos. S.

XIII. 42. *L. Lucceius*] Meminit in hac etiam Pompeii: cum ait, *sese Lucceio Pompeii arbitratu satisfacturos.*

M. Cic. Q. Philippo Procos. S.

XIII. 74. *Etsi non dubito pro*] Q. Philippus proconsule Asiam regebat. In hac enim epistola fit mentio L. Oppii, et L. Egnatii, qui negotia habuerunt Philomeli, urbe Asiæ, ut apparet ex epistolis sequentibus ad Gallium. Commendat eum ergo ei absenti L. Oppium, et L. Egnatium, quos etiam præsentes ostendit se commendasse tum cum Philippus discederet in provinciam.

M. Cicero Q. Gallio S. D.

XIII. 43. *Etsi plurimis rebus*] Pu-

to Gallium fuisse legatum Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei L. Oppium, et L. Egnatium, qui negotia habebant Philomeli. Non videtur autem adhuc Gallius in provinciam pervenisse: quia ait, *velim memoriæ tuæ causa des aliquid litterarum, quæ tibi in provincia reddantur.*

M. Cicero Q. Gallio S. D.

XIII. 44. *Etsi ex tuis*] Commendat iterum Gallio L. Oppium.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S P.D.

XIII. 45. *L. Egnatio*] Appuleius videtur Quæstor fuisse Q. Philippi proconsulis in Asia. Commendat ei negotia ejusdem Egnatii, de quo ante.

M. Cicero Appuleio Proquæst. S.P.D.

XIII. 96. *L. Nostius*] Eidem Appuleio proquæstori commendat L. Nostium.

M. Cicero Q. Philippo Procos. S.

XIII. 73. *Gratulor tibi*] Q. Philippus procos. ex provincia Asia Romam redierat. Gratulatur ei Cicero quod salvum se Romam receperit.

M. Cicero C. Memmio.

XIII. 3. *A Fusium*] Commendat A. Fusium. Hanc epistolam inter eas quæ ad Memmium scriptæ sunt, non collocavimus: quia ait, *ut mihi coram recepisti.* Quæ vero ad Memmium scriptæ sunt, ostendunt Ciceronem nusquam cum Memmio locutum esse, cum Athenis exulabat.

M. Cicero Cornificio Collegæ S.

XII. 20. *Gratæ mihi tuæ litteræ*] Hæc epistola separata est a reliquis, quas Cicero ad Cornificium scripsit. Nam cum reliquas scripsit, in provincia esse videtur Cornificius: cum hanc autem dedit, rusticari videtur. Quod quando fecerit, non liquet.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 21. *Ain' tandem*] Hæc epistola nihil ex se suppeditat, ex quo in suspicionem venire possimus, quo præcipue anno scripta sit. Multas etiam alias ad Pætum scripsit epistolas, sed non omnes uno anno, ut ostendimus.

M. Cicero Papirio Pæto S. D.

IX. 22. *Amo verecundiam*] Quod dixi de priore epistola, idem de hac judicandum est.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 22. *Illuseras heri inter scyphos*] Incerta omnino sedes est hujus epistolæ.

Cicero Trebatio S. D.

VII. 21. *Silii causam*] Item hujus.

M. Cicero Q. Valerio Q. F. Orcæ S.

XIII. 6. *Si vales, bene est: ego quidem valeo. Credo*] Reliquæ epistolæ ad Valerium Orcam scriptæ sunt, cum esset præfectus a Cæsare dividendis agris. Hæc autem scripta est cum esset in provincia: in qua quo tempore fuerit, obscurum est.

Cicero Basilio S. D.

VI. 15. *Tibi gratulor, mihi gaudeo*] Incertissimum tempus est hujus epistolæ.

Quintus M. Fratri S. D.

XVI. 16. *De Tirone*] Laudat fratrem Quintus quod Tironem in libertatem vindicaverit.

Q Cicero Tironi suo S. D.

XVI. 26. *Verberavi*] Incertum epistolæ tempus, ut etiam sequentium.

M. Cicero Q. Ancharío Q. F. Procos. S. D.

XIII. 40. *L. et C. Aurelios*]

M. Cicero Quatuorviris et Decurionibus S. D.

XIII. 76. *Tantæ mihi*]

Cicero Regi S.

XIII. 52. *A. Licinius Aristoteles*]

M. Cicero P. Cæsio S. D.

XIII. 51. *P. Messienum*]

Cicero Curio Procos. S. D.

XIII. 49. *Q. Pompeius*]

INDEX HISTORICUS,

QUI EORUM AD QUOS CICERO SCRIBIT, MORES, ET HISTORIAM PAUCIS COMPLECTITUR.

AUCTORE PHILIBERTO QUARTERIO, S. J.

Ordine alphabetico nomina describuntur, nulla prænominum habita ratione.

ACILIUS.

Hunc Senatus ipsa nocte, cum jam legiones ad Octavium Cæsarem defecissent, clanculum misit in Picenum ad habendos delectus: sed a Cæsarianis in itinere captus, et servili, uti exierat, habitu ad Cæsarem deductus fuit; Cæsar ei pœnam ad tempus remisit, ut opinionem nancisceretur clementiæ: aliquanto post cum aliis proscriptus est. Illi consanguineus Acilio, (nam affirmare non ausim eundem esse) qui Massiliensi in obsidione invictum animi robur præ se tulit, de quo Suetonius, cap. 68. lib. I. *Acilius navali ad Massiliam prælio, injecta in puppem hostium dextera, et abscissa, memorabile illud apud Græcos Cynegiri exemplum imitatus transiluit in navem, umbone obvios agens.* Aciliorum gens plebeia fuit, sed multis consulatibus, et triumphis inclyta.

AULUS ALLIENUS.

Aulus Allienus Siciliæ Rector cum auctoritate consulari: sic enim Hirtius in Bello Africano: *Cæsar deinde Allieno Prætori, qui Siciliam obtinebat, de omnibus rebus præcipit, et de reliquo exercitu celeriter imponendo datis mandatis ipse navem conscendit.* Idem Allienus postea Cæsari reliquum exercitum e Lilybæo transmisit in Africam, ut ibidem Hirtius refert. *Allienus*, inquit, *interim Proconsul e Lilybæo in naves onerarias imponit legiones decimam-tertiam et decimamquartam*, &c. *et in Africam mittit ad Cæsarem.* Successisse Acilio videtur. Ejus extat denarius argenteus cum signo Trinacriæ, et Victoria in rostro navis.

TITUS AMPIUS BALBUS.

Titus Ampius Balbus, Tribunus plebis anno U. C. 690. legem tulit, ut Cneius Pompeius ob Mithridaticam victoriam, corona laurea in ludis Circensibus, et omni cultu triumphantium uteretur. Post Ædilitatem, Prætura sortitus est; ex Prætura vero, Ciliciæ administrationem, in qua Lentulum Spintherem, de quo postea dicemus, successorem habuit.

QUINTUS ANCHARIUS.

Quintus Ancharius ad Tribunitiam dignitatem evectus est anno U. C. 694. Coss. Cæsare et Bibulo: summis a Cicerone laudibus extollitur egregia illius in hoc munere fides, ac fortitudo, cum ausus sit Publii Vatinii collegæ perniciosis actionibus palam adversari.

Anno 698. ex prætura Macedoniam sortitus obtinuit, Lucio Pisoni Proconsuli successor datus, qui ex senatus consulto ob provinciam male habitam revocatus erat.

CAIUS ANTONIUS.

Caius Antonius, Marci Antonii Triumviri avunculus, avaritiæ sordibus infamis; domi fidei dubiæ Con-

sul, dux bello infelix, iniquus provinciæ moderator, natura suspicax, imbellis animo, mente curis gravioribus impari, in amicos turpiter ingratus; Syllæ partes in civili dissensione secutus, cum Achaiam spoliasset, a Censoribus senatu motus est; restitutus tamen, Ciceronis in Consulatu collega fuit; devictoque per Petreium legatum suum Catilina, (ipse enim aberat) Imperator appellatus, laureatos fasces in Macedoniam, quæ sorte ipsi obvenerat, detulit; sed oppressus a Dardanis, et provincia per vim, et avare administrata, accusante Marco Cælio damnatus, apud Cephalonios quindecim annis exulavit, donec interfecto Cæsare, a Marco Antonio Consule revocatus, paulo post e vita discessit.

MARCUS ÆMILIUS LEPIDUS, ET M. ANTONIUS.

Antonii domus plebeia, Lepidi patricia majorum gentium fuit; utraque nobilis, summisque semper honoribus perfuncta: hic ab Æmilio Æneæ nepote: ille suam ab Hercule originem repetebat; ambo prospera diu, ac florente fortuna usi sunt; sed Antonii prosperitas egregiis erat animi subnixa dotibus: Lepidus constantem adeo fortunæ indulgentiam, nulla virtute meritus videtur; uterque Cæsaris amicitia, tribunatus vinculo, amicorum proscriptione, libertatis, ac Reipublicæ ruina famosus.

Antonio fuit eximia formæ dignitas, promissa barba, procerum corpus, frons largior, aduncus nasus, virilis ab omni parte facies, quæ pictam Herculis imaginem adumbraret: facetus ac dicax, perpotationi deditus, bello melior, quam pace; militum ad mensam comes, quorum animos ac benevolentiam nemo sibi melius conciliare didicit: mira fuit in eo morum simplicitas: in præmiis effusus, pœnisque; ad beneficia tamen, quam ad supplicia proclivior: si quem aculeis offenderet, inflicto vulneri adhibebat illico medelam, si quidem repungi poterat, et vicissim impune perstringi, ex æquo hilaris, sive rideret alios, sive ab aliis ipse rideretur.

Cæsar illos in consulatu collegas habuit, Lepidum anno 707. Antonium autem anno 709. quo Cæsar necatus est. Ambo sub eodem Dictatore magistri equitum; uterque, necem ut Cæsaris ulciscereturur, factus est cum Octavio triumvir: ille fratrem, hic avunculum proscripsit: Lepidus pontifex maximus, Antonius etiam Orientis imperator; ille non multo post copiis spoliatus ab Octavio, Circeios relegatus est; alter in Actiaca pugna victus ab Octavio, sibi mortem Alexandriæ conscivit: orbis forte futurus magister, nisi Cleopatræ servire maluisset, quam orbi universo dominari: liberali vir ingenio, et quæ virtus principum virorum propria esse solet, præcipua benignitate in eos, quos res angustæ vexabant; immensas nempe opes, non ad privata commoda, sed ad salutem amicorum congestas esse dicebat.

Levis et inconstans Lepidus, minima domi ac militiæ gloria; in quo inerat cum mediocri virtute summa vanitas.

APPIUS CLAUDIUS PULCHER.

Appius Claudius Pulcher ortus est patricia Claudiorum stirpe, viris domi, militiæque inclytis fœcunda.

Peracto consulatu anno U. C. 699. in quo Domitium Ænobarbum collegam habuerat, Ciliciæ proconsul, et Cypri renuntiatus est, Lentuli Spintheris successor, anno 700. Et quoniam in octavum ferme mensem, sublatis tribunorum intercessione comitiis, interregnum duravit, neque leges ullæ ferri potuerunt; serius, absque lege curiata, suoque propterea sumptu in provinciam abiit, uti fusius explicatum est in notis ad librum tertium.

Anno U. C. 701. Imperatoris nomen adeptus est; ex qua pugna, non liquet: rem tamen ab eo bene gestam, non modo *Imperatoris* inscriptio, sed petitio triumphi testatur.

Successori Tullio, non modo obviam prodire, uti mos erat, noluit; sed ejus præterea declinavit aspectum; sui nempe generis splendore inflatus, novum despiciebat hominem, sibique dignitate parem fieri, ægre ferebat.

Anno U. C. 702. e Cilicia decedens ad urbem accessit, ut triumphum ob egregie bello facta peteret, sed a P. Dolabella, Ciceronis paulo post genero, ambitus, et majestatis accusatus, triumphi postulatione relicta, Romam ingreditur, moxque tribunali cum accusatore se sistit; quo facto adversariorum retudit sermones, paratiorque visus, quam speraverat accusator; Hortensio deinde, et M. Bruto defendentibus absolutus est, et ambitus et majestatis crimine.

Anno U. C. 703. Censuram obtinuit cum L. Calpurnio Pisone Cæsonio, Cæsaris socero; hique ultimi fuere censores, qui libera republica, ex privatorum numero populi suffragiis creati sunt: languebat jam tum hæc dignitas in tam perverso civitatis statu, et nemo sanæ mentis hanc admodum appetebat; ne aut notandis civibus in odium, aut non notandis in populi reprehensionem incurreret. Appius autem factionis Pompeianæ contra Cæsarem fautor acerrimus, Cæsari, præter animi sui sententiam, multum profuit; plures enim cum notaret, tam ex senatorio, quam ex equestri ordine, eos a bonis alienavit partibus, atque ut Cæsarianas amplecterentur, effecit.

Lustrum vero conditum ab iis illud fuisse existimo, quo Plutarchus in vita Cæsaris scribit, ante bellum civile censa fuisse civium trecenta viginti millia, cum deinde anno urbis 707. post bellum Africanum, Cæsare jam dictatore censum agente, non ultra centum quinquaginta millia numerata sint, reliquis bello civili quatuor annorum spatio, consumptis. *En quo discordia cives perduxit miseros!*

In hac fatali dissensione Pompeium secutus, ante Pharsalicam pugnam morbo extinctus est, anno 705.

inquieto vir ingenio, spe ferox, divitiarum cupidus; provinciarum, quas rexit, non tam custos, quam expilator, scelerum ferme omnium conscius, quæ censor in aliis severe notabat; nobilitate demum sua, et insita Claudiorum familiæ superbia, præter modum elatus.

APPULEIUS.

Hunc esse credibile est, cujus meminit Tullius Philippica sexta, et ultima. Hic tribunus plebis, (anno U. C. 710.) Ciceronem populo excusavit, falsumque ostendit rumorem fuisse, qui per urbem ab inimicis sparsus erat, ipsum, consulibus orbata republica, fasces et imperium quærere; a senatu contra Antonium stetisse constat, et a triumviris cum altero Appuleio, ut refert Appianus, proscriptum: quorum alteruter idem est cum eo ad quem scripta est Ciceronis epistola: M. tamen Appuleius mortis elapsus discrimine, consulatum obtinuit cum Silio, de quo infra.

BASILIUS.

De Basilio certi nihil affirmari potest, nisi is ille sit, ut Corradus opinatur, qui cum Cæsari favisset, in Cæsarem conjuravit, et a servis interfectus est.

BITHYNICUS.

Bithynicus e Pompeia gente, cui genti cognomen hoc Bithynia devicta peperit; filius, nisi fallor, Auli Pompeii, quem Plinius scribit, in Capitolio, cum deos salutaret, repentina morte obiise, lib. VII. cap. 53. Tullius in Bruto Q. Pompeium Auli filium nominat, et fuisse secum, et cum M. Pisone amicitia, studiis, exercitationibusque conjunctum, et biennio circiter se majorem dicit: utrum autem Q. Pompeius, qui claros inter oratores a Tullio reponitur, idem sit cum eo, ad quem hanc epistolam mittit; an ejus pater, ut Manutio videtur: id enim vero asseverare nolim; uterque saltem Pompeianus in bello civili diverso tempore periit.

DECIMUS BRUTUS.

Decimus Brutus e Junia gente a Posthumio adoptatus est; unde factum, ut ei cognomen *Albini* adhæserit: Cæsari familiaris; ejusdem in Gallia legatus; designatus ab eo consul; citeriori Galliæ præpositus, ac testamento post Octavium relictus hæres; Cæsaris tamen post tot beneficia percussor.

Mortuo Cæsare eadem hæc Galliæ citerioris administratio a Senatu D. Bruto confirmata; sed cum Antonius, qui civile bellum excitare cupiebat, eam appeteret suis, utpote consiliis aptam, nec posset obtinere; ideo Brutum (anno 710.) Mutinæ inclusum per menses multos obsedit.

M. Antonius hostis patriæ judicatus est, et obsidione soluta fugere coactus: at vix Brutus liber evaserat, cum ecce nuntiatur, Octavium Cæsarem cum Lepido et Antonio societatem fœderis iniisse: viribus inferior ad M. Brutum in Macedoniam proficisci statuit, sed paulo post desertus a suis, ad Aquileiam jussu Antonii (anno 710.) interficitur, *justissimasque*, inquit Velleius, *optime de se merito viro Caio Cæsari pœnas dedit; cujus, cum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit; et fortunæ, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat, censebatque æquum, quæ acceperat a Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa dederat, periisse.*

MARCUS BRUTUS.

M. Brutus e Junia gente, quæ Roma Tarquinios ejecerat, oriundus, post Cn. Servilii adoptionem, M. Brutus Cæpio nominatus est.

Pietate in patriam, candore morum, vitæ innocentia, elegantia ingenii, litterarum ac philosophiæ studio, Ciceroni et optimo cuique carissimus extitit. Ejus pater, jussu Pompeii magni cæsus traditur; inde gravis inter utrumque simultas: civili nihilominus dissensione orta, Pompeii factionem, quod eam Cæsariana justiorem crederet, secutus est, doloremque suum reipublicæ charitati posthabuit.

Post cladem Pharsalicam, Larissam fugiens, non modo servatus est incolumis, sed ad summas quoque dignitates evectus.

Anno 707. Cæsar prius in Africam quam navigaret, cum Galliæ Cisalpinæ necdum Prætorium præfecerat, quam singulari moderationis et sapientiæ laude administravit; incorruptus judex, et integer, summis pariter et imis acceptus, exteris admirationi, ne quidem hostibus odio, quippe cui aliena mens erat a voluptatis et avaritiæ sordibus, perpetuaque in omnes et comparanda miraculo lenitas.

Anno 709. Cæsaris ejusdem beneficio præturam urbanam obtinuit; sed sui, Cæsarisque oblitus, necem ei velut tyranno, moliri ausus est, quem ut beneficum et parentem colere debuerat; etsi non tam sponte sua, quam Cassii impulsu id fecisse constat, nec sui, sed reipublicæ unius causa; quod ipsum Antonius testimonio suo comprobavit, dicere solitus, cæteros in Cæsarem conjurasse, privatum ut odium satiarent, Brutum, ut publicæ duntaxat utilitati consuleret.

Anno eodem, vix erat peracta cædes, cum Antonius, corrupto Cæsaris testamento, accitisque Romam veteranis militibus, plebem in conjuratos excitavit. M. Brutus et Cassius veteranorum, qui Cæsarem amabant, et plebeiæ factionis metu, urbe cesserunt, ambo edictis testati, libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum reipublicæ constaret concordia.

Cum Cæsar bellum Parthicum cogitans, tam provincias quam magistratus in plures annos ordinasset, M. Bruto Macedoniam, Syriam Cassio, quas ambo prætura defuncti regerent, decreverat; verum Cæsare paulo post occiso, M. Antonius et Dolabella consules, contra acta Cæsaris, et invito senatu, hic obtinuit Syriam; Macedoniam ille C. Antonio fratri, cum Galliam sibi ipse impetrasset,

concessit: at Senatus hoc anno (710) hostibus patriæ declaratis, et Dolabella, quod Caium Trebonium Proconsulem in Asia crudeliter necasset; et Marco Antonio, quod Gallia Cisalpina per vim occupata, Decimum Brutum Mutinæ obsideret, Marco Bruto Macedoniam cum Illyrico, Caio autem Cassio Syriam, bellique contra Dolabellam gerendi curam attribuit; aliis insuper additis ex Ciceronis sententia honoribus, uti scilicet omnes transmarinarum provinciarum Rectores, Bruti; et Cassii imperata facerent, exercitusque, pecunias, et classem, prout libitum esset, colligerent. Hujus decreti auctoritate, Brutus copias accepit a Vatinio Proconsule, qui per annos aliquot Illyricum tenuerat, et Caio Antonio Marci fratre, quod insidias sibi strueret, interempto, firmum et ipse exercitum, pro libertatis defensione, comparavit.

Anno 711. cum Bruto, et Cassio conjuratorum principibus, Octavius et Antonius acie decertarunt in campis Philippicis, vario primum eventu, si quidem utrimque dextra cornua vicerunt, et utrimque castra direpta sunt: sed Cassius, qui in eo cornu erat, quod pulsum est, ratus totum esse fusum exercitum, se ipse interemit. Brutus iterato post unum circiter mensem prælio, victus, et ipse mortem sibi conscivit, annum agens septimum et trigesimum: vir gloria nemini posthabendus, nisi præpostera patriæ charitate, suaque in Cæsarem perfidia, suo nomini turpitudinis labem aspersisset.

AULUS CÆCINA.

Aulus Cæcina excellenti ingenio fuit, animo forti, et magno, summa virtute, litteris haud mediocriter eruditus, scientia præsertim auguratus insignis; Etruriæ, unde Romam venerat, nobilissimus, gratiosus apud populum, auctoritate summis prope par; sed promptus lingua, scriptis maledicus, qui non modo contra Cæsarem pro Pompeio distrinxit gladium, sed stylum insuper acuit; quapropter in exilium actus, impetrare vix tandem potuit ab irato Cæsare, ut in Italiam reverteretur. De Etrusca disciplina, ut Plinius ait in indice lib. II. volumen edidit, ex quo nonnulla de fulguribus recitat Seneca lib. II. nat. Quæst. c. 56. p. 858. cum hoc elogio: *Facundus vir*, inquit, *qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illam Ciceronis umbra pressisset.*

CAIUS JULIUS CÆSAR.

Caius Cæsar Juliorum ortus est gente, qua nullam agnovit illustriorem Roma, cujus incolæ regum se dominos esse jactitabant: plus tamen familiæ splendoris addidit, quam ab ea mutuatus est; amplificandæ fortunæ suæ primarius artifex, et auctor.

In uno Cæsare collecta erant hæc naturæ dona, quæ ducem omni ex parte perfectum effingunt. Ingenii vis, animi robur, morum suavitas, corporis firma constitutio, acres oculi, statura eminens, oris eximia species, et ad majestatem facta; magnitudo cogitationum, celeritas bellandi, perpetua domi, militiæque fœlicitas: quo gravius periculum, eo firmior audacia; somnus, victusque non voluptate, sed necessitate finitus; eadem semper diversis in rebus mentis sedes, ut nec infimis unquam se deprimi, nec summis altius attolli pateretur. Vix ullus alter, in quo tam certa extiterit vitæ æqualitas, tanta in prosperis moderatio, in ferendis injuriis par lenitas; hostium semper victor, victis hostibus raro non pepercit.

Sed has virtutes, quantumvis erant magnæ, major utique vincebat ambitio, quæ nec privatum hominem, nec in Reipublicæ sinu educatum deceret. Cæsaris illa vox fuit ex Euripide deprompta:

Si violandum est jus, regnandi causa violandum est,
Aliis rebus pietatem colas.

Gadibus in Templo Herculis, ad visam imaginis statuam ingemuisse

fertur, quod ea ætate, qua Alexander orbem terrarum armis subegerat, nullum adhuc rerum a se gestarum monumentum extaret: hac æmulatione ad novas spes captandas incitatus est.

Conciliare sibi plebem; improbis esse perfugio; militum flectere quo vellet animos; optimatum frangere potentiam; libertatis in speciem defensor, ut eam opprimeret; novarum in dies legum architectus, ut antiquas everteret; eloquentiæ studiosus, ut, quos in curia defenderat, illos in perpetuum sibi devinctos teneret; in largitionibus effusior, ut corrumperet, quos opibus auxerat.

Religionis ultra fidem negligens, nihil quidquam, vita superstite, a diis immortalibus postulavit, quid sibi post mortem impenderet, parum solicitus.

Anno U. C. 692. ex urbana Prætura Lusitaniam nactus provinciam, ac rebus ibidem præclare gestis, triumphum meruerat, sed hujus certam spem Consulatus honori posthabuit.

Anno sequente, cum Pompeius impetrare non posset, ut acta sua confirmarentur, relicto senatu, se cum Cæsare, Crassoque conjunxit; sic facta potentiæ societas, ac jurejurando firmata, ut nihil deinceps, nisi ex eorum nutu, in Republica ratum esset: verum illud animo meditabatur Cæsar, ut alterum alterius opera perderet, ipseque solus aliquando dominaretur; inde civiles armorum motus, quibus orbis terrarum concussus est.

Anno 694. Cæsar Consulatum adeptus, Pompeii acta per Senatum approbavit; Stellatem et Campanum agros in plerosque cives divisit; deinde ut equestrem ordinem ab Senatu dissidentem sibi adjungeret, publicanos diminutionem flagitantes, tertia mercedum parte relevavit: Lucullo, Bibulo, Catone ipso frustra obstrepente. Solus itaque regnabat in Republica Cæsar, quasi Consulatum solus gessisset, omnis Collegæ ademptæ auctoritas; quapropter id omne quod factum est hoc anno, tam vere, quam jocose factum esse dicebatur, *Julio, et Cæsare Consulibus.*

His artibus, et infinita largitione, cum sibi ordinum omnium gratiam parasset, Galliam provinciam obtinuit, prius autem quam Roma discederet, affinitatis vinculo potentiam suam firmavit; ne quid enim, absente se, Pompeius per Gabinium, qui cum Pisone designatus erat Consul, moveret, Julia filia Pompeio collocata, Pisonis ipse duxit.

Cum autem Cicero Cæsarem asperius perstrinxisset, sensit injuriam Cæsar, ac dissimulavit; occasione nihilominus undique conquisita, qua se furtim, ac velut aliud agens ulciscereturr; nihil proposito convenientius visum est, quam ut Clodium, aliunde jam infensum Tullio, in eum suscitaret: opinioni respondit eventus; vix enim ad plebem, adoptante P. Fonteio, Clodius traductus est, et Tribunitia potestate donatus, cum summis contumeliis affectum Ciceronem exilio tandem mulctavit.

Cæsar decretam sibi provinciam novem annis rexit, ut auctor est Suetonius; quo intervallo (ab anno 695. usque ad 703.) Galliam omnem, quæ a saltu Pyrenæo, Alpibusque, Rheno, Rhodanoque fluminibus continetur, in provinciæ formam redegit: primum etiam Romanorum Germanos Trans-Rhenanos, ponte super Rhenum imposito, lacessivit; Britannos quoque adiit, quo nullus antea penetrarat.

Anno 697. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo Coss. legionibus in hiberna deductis, transgressus Alpes, ut res urbanas ipse cognosceret, Lucæ, quæ proxima Galliæ Cisalpinæ civitas erat, hiemavit; ibi cum Pompeio, Crassoque ita pactus est, ut sibi provincia Gallia in aliud quinquennium prorogaretur, Pompeius Hispaniam, Crassus Syriam sortiretur, Parthicumque bellum, amboque simul anno insequenti Consules fierent; sic Domitius Ænobarbus, qui palam minatus erat,

se adempturum Cæsari, et exercitum, et provinciam, Consulatu excidit.

Anno 701. subacta tandem Gallia, incredibile dictu est, in quantum opes Romanæ, vel ex hac una provincia creverint; certe Velleius asserit, Cæsaris auspiciis ac virtute fractam, idem pene stipendium, quod totus terrarum orbis, contulisse. Immensis igitur thesauris locupletatus Cæsar, Rempublicam largitionibus ante corrupit, quam armis evertit.

Anno 702. mortuo Crasso, cum neque parem Pompeius, neque superiorem ferre Cæsar amplius posset, civile bellum exortum est; id agentibus (anno 703) Pompeianis, ut provincia Cæsar, exercituque cederet; Cæsarianis vicissim, idem ut Pompeius faceret, annitentibus.

Anno 704. tandem Senatus decrevit, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: Curio, Antonius, Crassius, nequicquam intercedentes, fugere coguntur ad Cæsarem, qui cum copiis ad urbem properans, ita Pompeium, aliosque perterruit, ut sine mora, urbe, ac deinde tota Italia relicta, in Græciam navigarent.

Cæsar Italia tota intra sexaginta dies, torrentis fluvii more, peragrata, et in suam potestatem sine sanguine redacta, in Hispaniam proficiscitur, Afranium, Petreiumque Pompeii legatos ad Ilerdam superat, exercitu eorum in deditionem accepto: in reditu Massiliam expugnavit, primaque Dictatura donatus est, quam quidem quater, ac postremo perpetuam obtinuit.

Anno 705. in Pharsalicis campis victus est a Cæsare Pompeius.

Anno 706. confecto Alexandriæ periculosissimo bello, regnum Cleopatræ, ejusque fratri permisit; deinde Pharnacem in Ponto profligavit, tanta felicitate, et celeritate, quantam elogium illud Cæsaris testatur, *veni, vidi, vici*.

Anno 707. Scipionem, et Catonem in Africa cum Juba Rege devicit; Romamquere versus, fastos, annumque castigavit; unde anni Juliani profecti sunt.

Anno 708, Pompeii denique liberos ad Mundam in Hispania maximo, difficillimoque prælio prostravit, fudítque.

Anno 709, vix quatuor menses, tot laborum, victoriarumque fructus perceperat, cum Bruti, et Cassii, aliorumque conspiratione, in senatu ipso confossus est, anno ætatis, ut Plutarchus ait, quinquagesimo sexto, suæ duntaxat, non alienæ mortis conscius, spreto scilicet amicorum consilio, qui suaserant, ut partam armis dominationem, armis tutaretur.

CAIUS CASSIUS LONGINUS.

Cassius fuit conjurationis in Cæsarem præcipuus auctor; bello quidem nobilis, sed iracundus, et natura asper: apud milites in pretio, sic tamen ut ab iis timeri mallet, quam amari: crudelis et ferox: provinciarum, quibus præfuit, clades; hostibus implacabilis; inter familiares facetus et dicax: in beneficum sibi Cæsarem crudeliter ingratus.

Anno U. C. 701. ex quæstura Syriam aliquandiu, donec M. Bibulus advenisset, administraverat, reliquiisque exercitus post cædem M. Crassi conservatis, Parthos Antiochia fortiter repulerat.

Anno 704. tribunus plebis Pompeianam factionem amplexus est; et anno sequenti classi Syriacæ a Pompeio præpositus; sed in Cæsarem cum imprudens incidisset, se suasque naves ei tradidit: a quo deinde amplissimis honoribus decoratus est; ex animo tamen Pompeianis amicus, Cæsaremque dominum ægre ferens, in eum conjuravit.

Anno U. C. 711. ad urbem Philippos in Thessalia, cum adversus Octavium et Antonium acie decertarent conjuratorum principes, ut Cassius sensit, eam partem exercitus in qua erat, inclinare, ratus totum exercitum fusum esse, sibi manus intulit.

Percussorum porro Cæsaris nullus triennio amplius superstes fuit, et om-

nes violenta morte sublati, immo et quidam, eodem pugione quo Cæsarem confoderant, se ipsos interemerunt.

MARCUS PORCIUS CATO UTICENSIS.

Porciæ gentis gloria a M. Catone censorio duxit initium, sed in Catone Uticensi supremum apicem attigit. In eo vel a prima ætate eluxit indoles, quæ nec allici blanditiis, nec minis terreri poterat, fortunæ dominatrix, adulationis impatiens, a vitio quolibet aliena; irasci non facilis, sed ubi exarserat, difficilis placari.

In virtutem tanto studio juvenis adhuc incubuit, ut divino instinctu eo videretur impelli; victus ei tenuis, vestitus simplex, vultu, dum vixit, gravi semper ac severo: majori utique admiratione ac laude dignus, quod in lucem non prodierit Curiorum aut Fabriciorum tempore, quo frugalitatis amor Romano civi in partem cesserat, virtusque sola laboris incitamentum erat ac merces. Ea vixit ætate Cato, qua Romæ principatum tenebant avaritia, luxus, ambitio; legum jacebat auctoritas, nullus justitiæ, religionive locus; novam induerat faciem Romana respublica, et continua flagitiorum serie, ultimam sibimet cladem imprudens parabat: in tanto cupiditatum vitiorumque dominatu, Cato solus a virtute contra vitium stetit.

Si quæ nasceretur inter cives controversia, Catonis super hac judicium vim habebat oraculi; huic rei vel id unum testimonio est: de tribunatu disceptabant viri civitatis primarii, nec patrum decretis adduci poterant, ut ambitu desisterent: ii tandem jurarunt, id se ratum habituros quod Cato censuisset; hac ipsa re testati pluris a se fieri sententiam Catonis, quam auctoritatem senatus.

Anno U. C. 698. designatis per vim consulibus Pompeio et Crasso, statutum Catoni fuit præturam reipublicæ causa petere, ut imminentem tyrannidem auctoritate majori prohiberet: sed per vim, obnuntiationem, pecuniamque depulsus est: factusque prætor in ejus locum Vatinius, homo sane nequam: bonis ingemiscentibus, et Catone ipso prænuntiante, quanta reipublicæ mala ab iis impenderent, qui prætorem esse Catonem nolebant.

Sequenti tandem anno prætura donatus est, quam tanto exercuit integritatis ac sapientiæ studio, ut id solum ei videretur habere rationem quod haberet justitiam; homo, ut Velleius ait, virtuti simillimus, visusque semper mortali conditione major.

Anno 702. consulatum petierat M. Cato, non privati honoris, sed reipublicæ causa, cui perniciem nimia Cæsaris ac Pompeii potentia struebat: sed ejus petitioni utriusque fautores obstiterunt, quod palam præse ferret, se consulem arma Cæsari erepturum; sua illi quoque austeritas obfuit, cum non modo largiri nihil voluisset, ut cæteri; sed etiam a senatu contendisset, ut soli candidati per se prensarent: itaque irato in eum populo, repulsam passus est, indignante Tullio, ac merito Catonem arguente, quod reipublicæ conservandæ gratia petitionis molestias devorare recusasset.

Anno 705, profligato ad Pharsalum Pompeio, cum summum Catoni a militibus deferretur imperium, Scipioni viro consulari, ipse tantum prætorius, parere maluit.

Anno 706. fusis iterum in Africa Pompeianis, Uticæ gladio se transfixit. Libertatis, quoad licuerat, columen ac defensor; sed hostium multitudine obrutus, cum illa simul interiit: neque enim Cato libertati superstes esse poterat, neque Catoni libertas.

CLUVIUS.

Cluvius Puteolis in Campania natus, is est, nisi sum falsus, quem in epistola 56. lib. XIII. Thermo de meliori nota commendat; illum quoque Cæsar agrorum divisioni præfecerat.

CAIUS CŒLIUS CALDUS.

C. Cœlius Caldus, adolescens nobilis, acri judicio, et eximia morum suavitate, e Caldorum familia, quæ Cœliæ gentis tum antiquissima Romæ erat, et sola consularis.

Anno U. C. 703. Ciceronis in Cilicia quæstor fuit; ab eoque cum discederet, provinciæ suo loco præpositus: cujus facti rationem reddit in epistola decima quinta libri II. ad M. Cœlium Rufum scripta.

MARCUS CŒLIUS RUFUS.

M. Cœlius Rufus, e plebeio et equestri genere Puteolis natus est, sumptaque virili toga, a patre ad Ciceronem deductus, ut liberalibus disciplinis informaretur: quo magistro sic profecit, ut summos inter oratores Quintilianus eum referat.

Tribunus plebis, anno U. C. 701. quo anno Clodius a Milone occisus est, optimatum, et Milonis ipsius causam contra populi furorem studiosissime suscepit, quin et ipsi consuli, omnium qui adhuc extiterant, potentissimo resistere ausus, et leges, quas ad oppugnandum Milonem de vi et ambitu tulerat, arguere; sic indignante Pompeio, ut palam diceret, se rempublicam armis, si cogeretur, defensurum.

Anno 703. ædilis curulis fuit, Hirtio competitore dejecto, qua de re jocosius ad Ciceronem, et vicissim ad ipsum Cicero scribit. Ludos solemni exhibuisse pompa testantur ejusdem Cœlii litteræ, quibus ferme singulis Tullium rogat Ciliciæ tunc proconsulem, ut per Cibyratas Pamphyliæ populos, et venandi arte nobiles, pantheras conquiri, sibique ad apparatum sui muneris mitti quamprimum curet.

Anno 704. orto Cæsarem inter et Pompeium dissidio, neutram in partem inclinare visus: mutata mox sententia, Cæsari adhæsit, ad quem una cum Curione, ut incendio civili facem ministraret, Ravennam profectus est. Ab ipso demum Cæsare defecit; cujus defectionis hæc vulgo causa traditur.

Anno 705. prætoriam dignitatem, sed peregrinam ei Cæsar dederat; urbanam autem, quæ longe illustrior, Trebonio: id ferens indigne Cælius, de Cæsare in Græcia contra Pompeium bellante falsos in vulgus rumores sparsit, quasi victus in acie cecidisset, post novarum tabularum ac seditionis auctor, facto in Trebonium impetu, eum de tribunali deturbavit: quamobrem Servilii consulis decreto, senatu prohibitus, et concionem ad populum habere cum vellet, ab eodem de rostris per vim deductus est. Ille ignominia permotus, ac dolore, Roma egreditur, ad Cæsarem se proficisci simulans: clam vero nuntios ad Milonem mittit, qui Clodio interfecto exulabat; Cæsari, a quo reditum in urbem non impetrarat, infestus: bellum igitur ambo parant, Cælius pervenit Thurios, Tarentini sinus oppidum; ibique cum municipes aliquot, militesque promissa pecunia sollicitat, opprimitur.

Vir eloquentia Curione superior, sed non minus ingeniose, nequam, iracundus, prodigus, intemperans, audax, saltandi studiosissimus, ars quondam ingenuis vix cognita: summus orator, ut crimina tamen objiceret melius, quam defenderet: multa in eo urbanitas, verum stylus asperior: inconstantis animi, qui modo reipublicæ, modo Cæsaris, nullius modo jura propugnaret; eloquio demum, quam mente ac fortuna melior, tumultuose cum vixisset, civiles inter tumultus indecore periit.

QUINTUS CORNIFICIUS.

Q. Cornificius doctrina præstans et ingenio in eorum numero, qui de arte rhetorica scripserunt, a Quintiliano reponitur: Africam proconsul obtinuit, ut aperte satis declarant Ciceronis ad eum epistolæ. Cæsare interfecto, cum M. Antonius consul bellum cogitans, distributisque in sequentem annum provinciis, Calvisium Cornificio successorem destinas-

set, sortitionem hanc senatus irritam fecit, et Cornificio, aliisque provinciarum rectoribus prorogavit imperium, donec usque senatus consulto iis succederetur: verum aliquanto post, cum ex fœdere inter triumviros inito Cæsar junior Africam omnem cum finitimis insulis in quinquennium accepisset, cum T. Sextio, qui Cæsaris eum nomine de provincia decedere jubebat, bellum gessit, proscriptos a triumviris, et ex Italia profugos recepit, postque varia certamina prælio tandem victus et interemptus est.

CRASSIPES.

Crassipes ex nobili Furiorum gente, non alio mihi nomine cognitus, præterquam quod quæstoris officium in Bithynia obire jussus est.

MARCUS LICINIUS CRASSUS.

M. Licinius Crassus patre natus est triumphali et censorio, ipse duplici et ovatione, et consulatu clarus: angusta in domo, nec splendide educatus est; frugalis ei, dum vivit, mensa, eximia morum integritas, continentia singularis; sed avaritia tam ardens, ut virtutes ejus pariter ac vitia pene obscurarit.

Immensæ opes *Divitis* ei cognomen pepererunt; quam merito, vel ex eo collige, quod vulgo diceret, hunc duntaxat appellandum divitem, cui fructus annui ad exercitum alendum satis essent; comis erga hospites, et humanus; benefica in amicos voluntate, populo amabilis, et fastu procul omni jucundus.

Artem oratoriam coluit, qua publice ad civium defensionem uteretur: nulla tam levis causa ad quam accesserit imparatus; nemo tam abjectus, cui non succurreret, quem salutantem non comiter resalutaret, blandeque complecteretur.

Syllanas in bello civili partes secutus, multa præclare gessit; sed avaritia factum est, ut nihil inde laudis colligeret; direptione siquidem urbium, locupletum proscriptionibus, publica demum calamitate res ejus privata in immensum crevit.

Eo tempore (anno U. C. 673.) Pompeius adhuc juvenis, et *Magni* cognomen, et prius in senatum, quam lectus esset, triumphi gloriam obtinuerat; tam florenti fortunæ Crassus invidit; verum abjecta spe bellicis eum rebus æquandi, confugit ad togam, ac largiendo, sublevando, suffragando tantam ferme potestatem adeptus est, quantam vincendo Pompeius.

Absentis Pompeii illustrius erat in urbe nomen, ob res bello fortiter gestas, præsentem Crassus paululum obscurabat; quod ille insita sibi severitate multitudinem declinaret ac forum; paucisque, sibi uni commodus, advocatum se præberet; Crassus autem facili cum esset aditu, et cujusvis negotia curaret sedulo, plebi infimæ, multo quam Pompeius, jucundior erat.

In ambobus corporis majestas, orisque par facundia, perpetua laudis æmulatio, aliquandiu simultas, capitale nunquam odium; in vitæ cursu varius ac multiplex, nec amicus constans, nec inimicus difficilis placari; qui scilicet objecto quæstu amicitiam et odium ultro deponeret. Earumdemque legum, prout utilitas privata postulabat, defensor esse aut oppugnator.

Anno 690. Catilinæ favisse suspicio fuit; cum enim amplissimo exercitui Pompeius in Asia tum præesset, cupiebat cujusvis opes contra illius potentiam crescere; in hanc præterea spem adductus, si res ex sententia succederet, facile apud conjuratos principem se fore.

Anno 694. consule demum Cæsare, inter eum et Cn. Pompeium, et M. Crassum inita potentiæ societas, quæ urbi, orbique, ipsisque tandem, diverso licet tempore, exitium attulit: fecit id Pompeius, ut ea quæ in transmarinis provinciis decreverat, per Cæsarem consulem rata fierent: Cæsar autem, quod animadverteret se, cedendo Pompeii gloriæ, auctu-

rum suam, et invidia communis potentiæ in illum rejecta, confirmaturum partes suas: Crassus, ut quem principatum assequi solus non poterat, auctoritate Pompeii, viribus autem Cæsaris, obtineret.

Anno 698. Crassus et Pompeius, qui jam una consules fuerant, alterum simul consulatum iniere, qui per vim ab iis occupatus, per vim quoque, nec honeste peractus est. Lege, quam Pompeius tulit, prorogata est Cæsari in aliud quinquennium Galliarum administratio, Crasso bellum Parthicum animo meditanti, Syria decreta.

Anno 699. proficiscentem malis ominibus et execrationibus retinere frustra conati sunt tribuni plebis; at Euphratem cum esset transgressus, peteretque Seleuciam huic impositam flumini, immanibus equitum circumfusus copiis, a Surena Parthorum duce interemptus est, anno 700: *vir*, teste Velleio, *cætera sanctissimus, nec pecuniæ, nec gloriæ concupiscendæ modum ullum fecit.*

LUCIUS CULLEOLUS.

De quo nihil peculiare habeo, quod dicam, præter illa quæ breviter in notis observavi.

CAIUS SCRIBONIUS CURIO.

C. Scribonius Curio patrem habuit eloquentia, consulatu et triumpho nobilem; ipse dicendi arte et ingenio non inferior, quam pater: at mores in utroque dispares. Impurus, ut neo suæ famæ parceret, nec alienæ; prodigus, ut magnas inter opes egeret; ad facinus quodlibet audax, suoque ac reipublicæ damno ingeniosus et eloquens.

C. Clodii quæstorem in Asia fuisse, anno U. C. 698. ex epistolis libri secundi certo colligitur; unde post in urbem reversus, plebi Romanæ spectacula, ut mortui patris memoriam honoraret, sumptibus infinitis adornavit, frustra dissuadente Tullio, qui prævidebat Curionem, dissipatis opibus, et alieno oppressum ære, turbas in republica facturum.

Anno 713. tribunus plebis, Pompeio primum ac senatui favere, mox Cæsari pariter ac Pompeio adversari visus est, animo tamen ad Cæsarem inclinans: hunc demum grandi corruptus pecunia, libere contra consules ipsamque rempublicam defendendum suscepit. Unde Virgilius: *Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem Imposuit.* Quapropter cum sæpe fieret de successore Cæsaris in senatu mentio, a Curione sic intercessum, ut nihil de provinciis consularibus potuerit hoc anno decerni.

Exacto tandem magistratu, relictaque urbe, Ravennam ad Cæsarem advolavit, Cæsarianæ dominationis velut signifer, civilisque incendii primarius satelles.

Jussus est a Cæsare in Siciliam cum tribus legionibus, eaque recepta, in Africam se conferre.

Anno 704. Juba rex Mauritaniæ, idemque factionis Pompeianæ fautor, Curionem oderat, quod tribunus plebis regnum ipsius in provinciæ formam redigere voluisset: hanc injuriam ut ulciscereturr, ultimam ei cladem moliri statuit: et certe Curio secundis aliquot prœliis in Africa contra Pompeianos usus, et ab exercitu dictus Imperator, in fraudem inductus est: cum enim aliquando prodiisset in aciem quasi cum Suburra Jubæ præfecto, parvaque manu pugnandum sibi foret, ab ipso rege totoque exercitu ex improviso circumfusus, impetum non sustinuit.

Ubi Domitius præfectus equitum rem desperatam videt, Curionem hortatur, ut fuga saluti consulat, se ab eo non discessurum pollicitus: at ille: Egone amisso, quem a Cæsare acceperam, exercitu, in ejus conspectum unquam revertar? Sic prœlians interficitur, ut imprudentiæ culpam glorioso interitu utcunque pensaret.

MARCUS CURIUS.

M. Curius e Curia consulari gente,

optime semper in Ciceronem ac rempublicam animatus; quæsturam urbanam exercuit anno U. C. 691: quadriennio post ad tribunitiam dignitatem evectus, suam quoque operam auctoritatemque adhibuit, ut Tullius ab exilio revocaretur; quod Cicero ipse in oratione post reditum in senatu, honorifice testatur. Desperata libertate, ob Cæsaris et Pompeii dissidium, in Græciam se contulit, ut litterarum studiis, bello procul, tranquille et tute vacaret.

TREBONIUS ET DOLABELLA.

Dolabella splendore generis Trebonio superior, variis ambo dignitatum gradibus, familiaritate Cæsaris, et ingrati vicissim erga Cæsarem animi vitio, turbulenta mente, infelici demum vitæ exitu prope pares.

Tribunatum uterque gessit publicæ tranquillitati propemodum exitialem, Anno 698. C. Trebonius asper ad hunc honorem evectus, legem tulit, qua sancitum est, ut Cn. Pompeius Hispanias duas, M. autem Crassus Syriam, et Parthicam expeditionem in quinquennium obtinerent, bellique essent in sua quisque provincia, ac pacis arbitri. Auctor idem fuit, ut Cæsari Galliarum administratio in aliud quinquennium prorogaretur. Exacto tribunatu, in Galliam Cæsari legatus abiit; ortaque civili discordia, prætor urbanus extra sortem creatus est, anno 705.

Victis in Hispania Pompeii liberis, Cæsar quartum sine collega consulatum iniit; sed eodem deposito, sibi in residuos anni menses Q. Fabium Maximum et Trebonium subrogavit, anno 708.

Mortuo Cæsare, cujus et ipse percussor Trebonius fuit; cum Asiam, anno 709, a senatu proconsul obtinuisset, a Dolabella Smyrnæ crudeliter occisus est; quæstione primum tormentis habita pecuniæ publicæ; deinde cervicibus fractis, abscisso capite, quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abjici jussit.

Sic primus e conjuratis, suæ erga Cæsarem perfidiæ pœnas Trebonius dedit; *vir*, teste Velleio, *adversus Cæsaris merita ingratissimus, participesque cædis ejus, a quo ipse in consulare profectus fastigium fuerat.*

P. Cornelius Dolabella, M. Ciceronis gener, Cæsari familiaris, malorum consiliorum auctor, ejusdemque contra rempublicam defensor acerrimus: procax, temerarius, novarum rerum appetens; cum grandem pecuniam deberet, a patriciis transivit ad plebem, ut assequi tribunatum posset.

Hanc porro dignitatem (anno 706.) adeptus: ac lege de novis tabulis, seu de ære alieno rescindendo promulgata, maximos absente Cæsare excitavit Romæ tumultus. Id Cicero scribens ad Atticum, sæpe conqueritur, epist. 12. lib. II. *Quod me audis fractiorem esse animo, quid putas? cum videas accessisse ad superiores ægritudines, præclaræ generi actiones?* εἰρωνικῶς: nam Dolabellæ actiones turpissimæ erant. Epist. 14. *Omnium conspectum horreo, præsertim hoc genero;* id est tam turpi, tam perdito, tam flagitioso, qui Cæsarem instigabat, ut vel Pompeianorum bona proscriberet, vel tabulas novas poneret.

Ter contra cives pugnasse idem Cicero testatur Philip. II. cap. 75. *Ter depugnavit Cæsar cum civibus; in Thessalia, Africa, Hispania, omnibus affuit his pugnis Dolabella, in Hispaniensi etiam vulnus accepit, si de meo quidem judicio quæris, nollem; sed tamen etsi consilium a principio reprehendendum, laudanda constantia.*

Cæsar ad expeditionem Parthicam brevi profecturus, consulem in reliquum tempus anni Dolabellam designaverat, qui Cæsare paulo post occiso, dignitatem ejus, ac fasces invasit, licet nondum prætorius erat, nec viginti quinque annos natus.

Tum libertatis derepente factus assertor, erectam Cæsari columnam, inscriptamque, *Parenti patriæ*, evertit, seditionem a perditis de plebe hominibus excitatam compressit; ex

illa autem seditiosorum manu, qui liberi erant, de saxo Capitolino dejecti sunt, servi in crucem acti. Incredibile, quantis hoc factum laudibus a Cicerone celebretur. Phil. I. *Quem potes recordari, Dolabella, in vita tibi illuxisse diem lætiorem, quam cum, expiato foro, dissipato cursu impiorum, principibus sceleris pœna affectis, te domum recepisti.*

Anno sequente, cum Syriam, invito senatu, ac Trebonio crudeliter necato, occupasset, reipublicæ hostis, allaborante præsertim Tullio, judicatus est: Syria Cassio decreta, qui Dolabellam Laodiceæ obsessum, desertum a cæteris, a seipso desperatum ad mortem adegit.

CNEIUS DOMITIUS.

Cneius Domitius, filius, ut multi autumant, Lucii Domitii Ænobarbi, quem Cæsar suis infestissimum consiliis expertus est, Pompeianam cum patre factionem secutus, post cladem Pharsalicam, patrisque interitum, in Italiam, positis armis, rediit; incertum animi, afflictumque confirmat Cicero, et hortatur, ut se sibi, parentique suæ (erat hæc Porcia, Marci Catonis soror) incolumem, salvumque conservet.

TITUS FADIUS.

T. Fadius, vel, ut aliis placet, T. Fabius, vir novus et obscuro genere, majores magistratus, quos plerique familiæ splendori debent, virtute sua consecutus est. Ciceronis amicus et quæstor, statim atque tribunitiam potestatem (anno 696) obtinuit, nervos in ea re contendit omnes, ut Ciceronem patriæ restitueret. Videtur adversatus esse Pompeio, et hujus auctoritate in exilium pulsus; quod cum inique ferret, multa Tullius colligit, quæ Fadium consolari et ejus animum confirmare possint.

TITUS FURFANIUS.

T. Furfanio post præturam Siciliæ provincia cum exercitu (anno U. C. 703.) decreta est, in quam dicitur summa cum auctoritate singularem detulisse clementiam; gravis nemini, in omnes officiosus.

CAIUS FURNIUS.

Anno U. C. 703. C. Furnium tribunitia ornatum potestate declarat Cicero: nam superiore anno, cum proconsul abiret in Ciliciam, et Atticum ex itinere litteris rogaret, ne pateretur provinciam sibi ultra annum prorogari; addit se idem hoc Q. Hortensio et Furnio, quem sciebat anno insequenti futurum tribunum plebis mandasse.

Anno 717, proprætor Asiam obtinuit, qui L. Munatii Planci legatus in Gallia fuerat anno 710. Majorem autem prætura dignitatem non adeptum declarat his verbis Eusebius in Chronico: *Furnii*, inquit, *pater et filius clari oratores habentur, quorum filius consularis ante patrem moritur.* Anno 731, legatus Augusti rebellantes Cantabros ad internecionem prope delevit.

SERVIUS GALBA.

Ser. Galba nobili Sulpiciorum oriundus stirpe, nepos fuit, auctore Suetonio, illius Galbæ suæ ætatis eloquentissimi; proavus autem Galbæ Imperatoris. Cæsaris in Gallia legatus fuerat; sed consulatus repulsam indigne passus, in Cæsarem ipsum cum Bruto et Cassio conjuravit.

QUINTUS GALLIUS.

Q. Gallius prætor urbanus ab Imperatore Cæsare, tum consule, Africam provinciam impetraverat; visusque malo dolo agere, a collegis prætura summotus est. Domum ejus diripuit populus: senatus capitalem in eum protulit sententiam: Cæsar eum jussit ad fratrem M. Gallium abire, qui nave conscensa, nusquam postea comparuit. Sic de illius obitu Suetonius, lib. II. cap. 27. ubi impotentiam Augusti et crudelitatem describit. *Et Q. Gallium prætorem*, inquit, *in officio salutationis tabulas duplices veste tectas tenentem, suspicatus*

gladium occulere, nec quidquam statim, ne aliud inveniretur, ausus inquirere, paulo post per centuriones et milites raptum e tribunali servilem in modum torsit, ac fatentem nihil jussit occidi, prius oculis ejus sua manu effossis, &c. Anno U. C. 710. Consule epistolam 4. lib. VIII.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

Publius Lentulus e patricia Corneliorum gente, Spintheris ideo cognomen habuit, quod, cum ludis præesset, prodierit in scenam Comœdus hoc nomine, sic ei vultu similis, ut alter ab altero secerni vix posset.

Ædilis factus anno U. C. 690, scenam purpureis vestibus, argenteoque apparatu primus decoravit, exhibuitque ludos ea magnificentia, ut Crassos ac Lucullos, et quotquot ædilitio prius munere functi erant, omnes longe superarit. Patriam prope labentem fulcire visus est, vel gentis suæ damno, dum Lentulum Suram, ex eadem secum familia, Catilinariæ reum conjurationis, et capite damnandum, in custodiam ipse tradidit, Ciceronis in omnibus fidelis administer, a quo propterea suorum consiliorum particeps, et periculorum socius appellatur.

Anno 694, ex prætura Hispaniam adeptus eo se contulit, unde post Romam, consulatum ut peteret, reversus est, cum jam Cicero rogatione Clodia, impellente clam Cæsare, connivente Pompeio, Italia pulsus exularet.

Anno 696, consul, in restituendo Cicerone multum, feliciterque laboravit; palam professus, nihil prius acturum in senatu, quam de tanti viri reditu et salute peractum esset; vel hoc facto optime de patria meritus, qui patriæ parentem conservarit.

Anno post, in Ciliciam missus, provinciam hanc, cui Cyprus erat addita, per triennium dicitur administrasse; quo tempore rex Ptolemæus, quem Ægyptii ob tyrannidem ejecerant, a Senatu petiit, ut restitueretur; hoc sibi munus deferri Lentulus ardenter cupiebat, utque Lentulo deferretur, summo labore Tullius contendit; sed irrito conatu, tum regis ambitione, qui reductionem suam Pompeio Magno demandari, id utique sibi gloriosum putabat fore; tum ipsius Pompeii artibus, qui licet in speciem Lentulo faveret, clam tamen per amicos operam dabat, ut reducendi Ptolemæi provincia sibi traderetur. Hanc in rem plura nunc eloqui nihil necesse, cum epistolæ primi libri ferme omnes unum hoc argumentum tractent; jam vero quibuscum hostibus in Cilicia conflixerit, incertum est, at Imperatorem ab exercitu appellatum, et siquidem triumphavit, res triumpho dignas, qualescumque fuerint, gessisse constat.

Anno 704, in civili discordia Pompeio adhæsit, a quo delectus est, ut Asculum, et Picenum cum decem cohortibus tueretur; sed repentino Cæsaris adventu, suorumque defectione territus, surripuit se se, Corfiniumque magnis itineribus ad Domitium contendit: ibi cum Cæsaris in potestatem devenisset, veniam precatus est, veterem amicitiam, et illius in se beneficia sane maxima commemorans; per eum quippe venerat Lentulus in Pontificum collegium, Hispaniam Proprætor obtinuerat, et ad consulatum faciliores habuerat aditus.

His beneficiis cumulum humanitate sua Cæsar addidit; neque enim modo Lentulum abire incolumem passus est, sed facta insuper abeundi quo vellet, potestas; secessit ille Puteolos, inde post aliquanto navigaturus in Græciam, ut se Pompeio rursum conjungeret.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

Publii Lentuli Spintheris, qui Ciceronem restituit, filius, in Asiam extra ordinem (anno U. C. 709.) a senatu missus est, ut colligeret reipublicæ vectigalia, provinciamque præsidiis, Dolabella hoste judicato,

firmaret; occiso Cæsare, semet ultro conjuratis adjunxit, hujus facinoris participem se gloriatus; quod quidem alii fecere cum illo; sed postmodum, diverso mortis genere non secus atque conjurati omnes, a Cæsarianis oppressi, interierunt.

LEPTA.

Lepta vigilans homo, et acer, cujus industriam in rebus gravissimis Tullius adhibuit; cum Cæsar, devictis in Hispania Pompeii liberis, rempublicam unus regeret, ejus sibi conciliare gratiam, et inter domesticos obtinere locum, omni ope conatus est; an felici exitu, non mihi constat.

QUINTUS LIGARIUS.

Q. Ligarius, pro quo Ciceronis extat oratio, quam consule; legatus in Africa C. Considio proconsuli, ibidem bello civili remansit, infesto fuit in Cæsarem animo, cum vicissim Cæsar capitaliter oderat, perpetuoque statuerat exilio multare; veruntamen Ciceronis oratione delinitus, veniam Ligario et in patriam reditum concessit.

LUCIUS LUCCEIUS.

Lucius Lucceius eximia fuit integritate morum, singulari eruditione, neque minori orationis elegantia, mansuetudinis laude præsertim cumulatus; historiarum, quæ tamen injuria temporum exciderunt, politissimus scriptor; vel hoc ipso nomine faciendus plurimi, quod illum Tullius maximi faceret, rerumque a se gestarum auctorem habere ardentissime cuperet.

SERVIUS SULPICIUS RUFUS, ET MARCUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Ser. Sulpicius Rufus, et M. Claudius Marcellus consules eodem anno, U. C. 702, sine vi, sine largitione creati sunt: generis ambo splendore clari; ille antiquissima Sulpiciorum stirpe, multis consulatibus inclyta; hic gente Claudia, quam dictaturis quinque, censuris septem, triumphis sex, duodetriginta consulatibus nobilitatam esse, in Tiberii vita Suetonius tradit: et ne quid ad gloriæ similitudinem deesset, utraque demum imperatoriam dignitatem adepta.

Ille, quod juris civilis scientia floreret, Jurisconsultus; hic ob eloquentiam Orator appellatus est: tractabili Sulpicius, et facili ingenio: paulo vehementiori Marcellus: libertatis ex æquo studiosi; sed ille pacis conditionibus, hic libertatem armis contra Cæsarem tuendam censebat.

Marcellus, inito magistratu, Galliarum administrationem ante legitimum tempus adimere Cæsari conatus est, simul et potestatem, quam ei populus permiserat, ut consulatum absens peteret: restitit ei collega Sulpicius, quod iniquum putaret ea rescindi, quæ populus jusserat, idque belli civilis occasionem fore intelligeret: hic leniori sententia, sibi, et reipublicæ consulebat; severiorem ille secutus, se, et rempublicam funditus perdidit: vicit enim ejus opinio, et concordiæ spes omnis erepta.

In bello civili Sulpicius a Cæsare contra Pompeium, Marcellus a Pompeio contra Cæsarem stetit; alter Cæsarianam factionem amplexus, quod firmior; Pompeianam alter, quod honestior videretur.

Anno 707, post victum in Thessalia Pompeium Sulpicius Achaiæ, et beneficio Cæsaris, et nomine præfuit, non tam lætus privato bono, quam publica calamitate solicitus: in exilium Marcellus ultro discessit, ne vel supplex ad Cæsarem accedere, quod imbecilli animi; vel bellum in Africa cum aliis renovare cogeretur, quod imprudentis esse censebat.

Sulpicius, qua valebat apud Cæsarem auctoritate, totam in id contulit, ut miseris civibus gratificaretur; unum id cogitabat in exilio Marcellus, ut philosophiæ, sibique vacaret: ille in alienis calamitatibus, misericordia; hic in suis propriis, patientia spectatus.

Marcello statutum erat procul a patria deinceps vivere; at precibus, et consilio Ciceronis adductus, ad Cæsaris clementiam confugit; jamque Romam, impetrata venia, redibat, cum a Magio quodam cliente suo interfectus est.

Anno 710. Sulpicius in legatione ad Antonium pro rebus publicis obita, ætate jam grandis, interiit.

CAIUS CLAUDIUS MARCELLUS.

Tres Marcelli; unus *Marci*, duo *Caii* prænomine, per triennium deinceps consulatum gessere; primum Marcus, cum Sulpicio anno U. C. 702. quibus consulibus in provinciam Cicero discessit: deinde anno 703. cum L. Paulo Caius, Marci non frater germanus, sed patruelis; hisque consulibus Cicero, absoluto imperio Romam e Cilicia reversus est. Tertio tandem anno, id est urbis 704. belli civilis primo, alter Caius, Marci biennio ante consulis frater germanus, cum L. Lentulo; cujus anni primis diebus Cicero proconsul ad urbem accessit, ut triumphum peteret. Hic ille est Caius, qui ex Octavia minore Augusti sorore, duas Marcellas reliquit, illumque Marcellum, qui jam ædilitius in spem imperii adolescebat, cum immatura morte sublatus est.

MARCUS MARIUS.

Suspicatur Corradus hunc esse M. Marium Gratidianum, qui Quinti fratris in Asia legatus fuit, et cognatione cum Ciceronibus conjunctus.

CNEIUS MATIUS.

Cn. Matius multiplicis vir doctrinæ, de quo, ni fallor, A. Gellius, cap. 6. lib. VI. Noctium Atticarum, quem consule.

CAIUS MEMMIUS GEMELLUS.

Hic ille est, opinor, qui L. Lucullum ex Mithridatica expeditione redeuntem, die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit.

Anno U. C. 695. præturam adeptus Vatinium in jus vocavit, ob gestum seditiose magistratum, legesque contra auspicia moremque majorum factas; quin etiam ad senatum retulit, ut C. Cæsar, qui superiore anno consul fuerat, actorum suorum rationem reddere cogeretur; sed quæstionem cum exercere vellet in Vatinium, vi de tribunali deturbatus aufugit.

Post triennium cum Appio et Ænobarbo consulibus, obtinendi consulatus gratia, turpi pactione coivit, eodemque anno de ambitu accusatus damnatusque, Athenas in exilium profectus est.

Memmia gens plebeia fuit, quam a Mnestheo Æneæ socio originem duxisse auctor est Servius.

QUINTUS METELLUS CELER.

Q. Metellus Celer ex illustri Cæciliorum gente, quæ licet plebeia, reliquas tamen, si Corneliam exceperis, rerum gestarum splendore æquavit.

Anno U. C. 690. prætor urbanus Ciceronem consulem ad opprimendum Catilinam enixe juvit: nam Piceno præfectus e conjuratis plurimos conjecit in vincula, et Catilinæ in Transalpinam Galliam properanti omnes interclusit aditus; unde a Tullio rerum a se gestarum socius appellatur. Ex prætura Galliam adeptus est, adjuvante Cicerone ipso, qui provinciam hanc deposuerat, biennioque post consul creatus, in eo magistratu ita se gessit, ut Cicero ad Atticum scribens, virum bonum et consulem egregium vocet.

Hujus uxor Clodia fuit, P. Clodii soror, a quo dicitur veneno sublatus interiisse.

QUINTUS CÆCILIUS METELLUS NEPOS.

Q. Cæcilius Metellus Nepos, Celeris, de quo supra, frater; cum prætor esset, anno U. C. 693. legem de portoriis in urbe et Italia tollendis tulit; lex bonis accepta, etsi legislator ipse displiceret, cui ob seditiose gestos priores magistratus infestus erat senatus.

Ciceronem penitus oderat; sed factus consul anno 696. ei reconciliatus est, operamque dedit cum Lentulo Spinthere collega suo, ut ab exilio revocaretur.

PUBLIUS NIGIDIUS FIGULUS, ET M. TERENTIUS VARRO.

Ciceronis ætas præstanti viros eloquentia paucos tulit; multiplicis autem doctrinæ, inquit Gellius, habuit columina M. Varronem et P. Nigidium; sic tamen ut primas eruditionis adeptus sit Varro, Nigidius Varroni proximus accedat: ille stylo dilucidiori scripsit; obscurus hic et subtilis: quare Varronis opera in medio posita sunt, et in usu communi; Nigidii subtilitas a plerisque negligitur. Laude dignior uterque; Varro quidem, si limatius; alter vero, si clarius scripsisset.

Utriusque tamen scientia pluribus veterum testimoniis celebratur. Nemo unquam, teste Lactantio, non Romæ modo, sed ne quidem in Græcia, Varrone doctior extitit: ætatem patriæ, inquit Tullius, descriptiones temporum, domesticamque disciplinam, sedem regionum, divinarum humanarumque rerum nomina, genera, officia, causas aperuit; tam multa eum legisse testatur divus Augustinus, ut mirum sit aliquid ei ad scribendum superfuisse temporis; tam multa scripsisse, ut ea vix a quoquam legendo percurri possint. Sed neque prætermitti silentio debet Quintiliani de eodem judicium; qui doctissimum hunc, scientissimum antiquitatis, Latinis, Græcisque rebus eruditum affirmat, ut nihilominus majori sit ad scientiam, quam ad eloquentiam adjumento.

Tantæ eruditioni laus quoque militaris accessit; bello quippe Piratico Pompeii legatus coronam navalem ea ætate celeberrimam obtinuerat: ejusdem postea partes secutus, eandem in Hispania legationem obiit; sed tradito Cæsari exercitu, imperiique depositis insignibus, ad doctrinam totum se contulit, tanta celebritate nominis sui, ut bibliothecis tum comparandis, tum dirigendis, operam ejus Cæsar feliciter adhibuerit. A triumviris deinde proscriptus, amicorum et Fusci in primis Caleni studio incolumis servatus est.

P. Nigidius ex eo *Figuli* cognomen accepit, quod interroganti cur gemini eodem tempore in lucem editi diversa conditione nascerentur; exemplum rotæ a figulo maxima rapiditate revolutæ attulerit, ut diversam eodem temporis puncto cæli affectionem ex celerrima conversione et incredibili motu probaret.

Ejus quoque varia et admirabilis rerum cognitio in fama est; astrologica scientia præstitisse scribit Dio, lib. XLV. imperiumque prædixisse Octavio Augusto, eo ipso quo natus est die, unde Lucanus, lib. I. v. 639. *At Figulus, cui cura deos, secretaque mundi Nosse fuit, &c.* Maximus rerum indagator vocatur apud Macrobium, lib. *Saturnalium* II. cap. 12. Verum ad Nigidii laudem nihil illustrius, quam quod narrat Cicero in procemio libri de Universitate. *Fuit,* inquit, *vir ille cum cæteris virtutibus, quæ quidem dignæ libero essent, ornatus omnibus, tum acer investigator et diligens earum rerum, quæ a natura involutæ videntur. Denique sic judico post illos nobiles Pythagoreos, quorum disciplina extincta est, quodam modo, hunc extitisse qui illam renovaret.*

Senatores ambo fuerunt, primariisque in republica dignitatibus inclyti; ædilitate plebis et prætura Varro donatus est; prætura et tribunatu Nigidius: amicissimus uterque Ciceroni, Pompeii uterque adversus Cæsarem defensor: ille demum, anno U. C. 725. annos nonaginta natus interiit, eundemque videndi fecit, et scribendi modum: Nigidius a Cæsare veniam cum non impetrasset, in exilio mortuus est, anno 708.

CAJUS OPPIUS.

C. Oppius Cæsari familiaris amicus, quique res ejusdem absentis cum Balbo curabat: a nonnullis cre-

ditur auctor operum, quæ ab aliis Hirtio tribuuntur. Huic summa erat, si Tullio credimus, et in consilio capiendo prudentia, et in dando fides.

PAPIRIUS PÆTUS.

Papirius Pætus, quorum majores summis in republica honoribus perfuncti sunt, lepido fuit et polito ingenio, amabili, ut ait Tullius, indole, et in omni genere jucunda, quique imaginem antiquæ et vernaculæ festivitatis egregiæ repræsentaret.

LUCIUS PAULUS.

Æmiliæ gentis patriciæ, quem cum Cæsar suis infensissimum partibus intelligeret, mille et quingentis talentis ad se traduxit; sed eatenus tantum ut non adversaretur.

CNEIUS PLANCIUS.

Anno U. C. 695. Cn. Plancius, L. Apuleii in Macedonia quæstor, equestri natus est familia, cujus pater publicanus, avus, majoresque omnes, equites Romani: nemo Ciceroni constantior amicus; solus enim ex magistratibus hujus anni exulem illum excepit, juvit, tutatus est; Dyrrachium usque missis obviam lictoribus processit, peramanterque susceptum Thessalonicam perduxit. Ejus in se beneficia passim fatetur Cicero: illum sui capitis custodem appellat, additque omnibus provincialibus ornamentis commodisque depositis, totam suam quæsturam in eo sustentando et conservando collocasse; idcirco etiam ex senatus-consulto gratias Plancio fuisse actas testatur.

Anno 697. cum esset plebi ob suavitatem morum acceptissimus, tribunitiam dignitatem ex quæstura statim obtinuit; cujus magistratus frequenter fit a Cicerone mentio in ea oratione, qua reum ambitus eundem defendit. Biennio post ædilis curulis creatus est.

LUCIUS MUNATIUS PLANCUS.

L. Munatius Plancus, frater hic fuit T. Planci Bursæ, qui graves cum Cicerone inimicitias gessit; reipublicæ ac D. Bruti contra Antonium aliquandiu defensor: destituta tandem republica, ad Antonium cum Asinio Pollione transiit. Vell. lib. II. *Plancus dubia, id est sua fide, diu quarum esset partium secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, et nunc adjutor D. Bruti, mox ejusdem proditor.*

Anno U. C. 709. Galliam ulteriorem cum tribus legionibus obtinuit, in qua Lugdunum paulo post condidisse ab Eusebio traditur.

In ipso quasi funestissimæ proscriptionis æstu (anno 710) duos Roma, dum undique cadaveribus inquinata erat, triumphos videre, et in summo luctu lætitiam simulare coacta est. Lepidus ex Hispania triumphavit, ex Gallia vero Plancus: sic enim imperatum est a triumviris: *Sacris omnes, et epulis dent hunc diem: qui contra fecerit, proscriptus esto.* Itaque solemni pompa invectus est in Capitolium Lepidus, cum interim proscriptorum diriperentur ædes, et eorum bona sub hasta publice venderentur. Biduo ante triumphaverat ex Gallia Plancus; quam ob causam incertum est; at Velleius utriusque sic meminit: *Nec Planco defuit gratia ad impetrandum, ut frater ejus Plotius proscriberetur, eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter execrationem civium usurpabant hunc versum:*

De Germanis, non de Gallis duo triumphant consules.

Lepidus enim fratrem L. Paulum proscripserat, qui tamen ad Brutum evasit: Plancus vero Cn. Plotium, qui delitescens in agro Salernitano proditus et occisus est. Consules autem erant Lepidus et Plancus in sequentem annum designati, Lepido scilicet in locum D. Bruti suffecto.

Censuram Plancus obtinuit sub Octavio, cui persuasisse referunt ut *Augustus* appellaretur.

CAIUS ASINIUS POLLIO.

Anno U. C. 709. cum Cæsar Par-

thicam expeditionem meditaretur, et magistratus per triennium creasset, provinciis quoque rectores dedit, aliis quidem alios; Lepidum autem citeriori Hispaniæ, Asinium ulteriori, qui vivo adhuc Cæsare, in provinciam discessit.

Post Cæsaris necem, contra Antonium aliquandiu pro republica stetit; sed ubi Antonius, Lepidus, Octavius, inito inter se fœdere conjuncti sunt, ad eorum partes cum duabus legionibus se contulit. Primum fortunam secutus, deinde amicitia quoque permotus Antonii. Vell. lib. II. *Asinius Pollio firmus proposito, et Julianis partibus fidus, Pompeianis adversus, exercitum Antonio tradidit.*

Vir nominis sui princeps, eloquentiæ laude, Augusti Cæsaris amicitia, dignitate consulari, Virgilii præconiis, censuræ litterariæ severitate, relato de Dalmatis triumpho celeberrimus, omnium horarum homo, seriis, utpote jocisque pariter accommodatus; invidus laudi Ciceronis, et vitiorum, quotquot in ejus scriptis deprehenderat, censor assiduus.

Antonio ad pugnam Actiacam fidus; Cæsare enim, ut ad bellum veniret, hortante, *Mea*, inquit, *in Antonium merita majora sunt, illius in me beneficia notiora; itaque discrimini vestro me substraham, et ero præda victoris.*

Primus Romæ bibliothecam aperuit, in eaque Marci Varronis imaginem viventis posuit: res Græcorum ab eo Latine scriptas, Suidas auctor est: leporum ac facetiarum pater a Catullo appellatur. Eum a bello civili scribendo deterret Horatius, lib. II. Od. 1.

Periculosæ plenum opus aleæ tractas, &c.

Ad extremum pene Augusti principatum vixisse Tacitus affirmat; e vita discessit in villa Tusculana anno ætatis octogesimo.

CNEIUS POMPEIUS MAGNUS.

Cn. Pompeii plebeia domus, patriciarum nulli, tum dignitatibus, tum maximis bellis egregia cum laude confectis, inferior extitit. Ejus pater *Strabo* dictus, ac bello sociali consul, præcipuum adversus Latinos victoriæ decus meruit; vir propria virtute conspicuus, filii tamen virtutibus et gloria longe illustrior.

Redeunti (anno U. C. 673) ex Africa, ubi regem Hiarbam, Syllanis infensum partibus, vicerat; Sylla ipse tum dictator, summusque reipublicæ moderator ac dominus, processit obviam, palamque *Magnum* salutavit: eidem, licet adhuc equiti, et quatuor duntaxat supra viginti annos nato, concessum est ut solemni pompa triumpharet.

Anno 682. confecto feliciter bello Sertoriano, et servili prorsus extincto, Romanus iterum eques triumphavit: toties Imperator antequam miles.

M. Licinius Crassus, et Cn. Pompeius consules creati sunt anno 683. ille prætorius, hic ne quæstorius quidem: cognomen utrique singulare, huic, *Magni*, illi vero, *Divitis*. Tribunos plebis, nocendi potestate per Syllam privatos, ambo restituerunt, maximo tandem et reipublicæ et ipsius Pompeii damno.

Anno 686. extraordinarium a Gabinio tribuno plebis imperium nactus, piratas, qui a Mithridate solicitati, maria omnia et oras infestabant, brevissimo tempore perdomuit.

Anno 692. Ciliciæ ac Bithyniæ administratio, cum Mithridatica expeditione, Pompeio delata est, summaque in omnes exercitus, quotquot essent extra Italiam, potestas nemini ad hunc usque diem concessa: bellumque ejus auspiciis et virtute terminatum est, quod annos quadraginta durasse Florus affirmat. Sic Romano imperio incredibiliter amplificato, cum jam antea Pompeius de Europa atque Africa triumphasset, Asia demum subacta, de universo orbe triumphasse visus est.

Anno 696. cum annonæ summa esset caritas, et frumenti inopia Romana plebs laboraret, Pompeio per

quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum, credita est, addita classe, exercitu, et majori in provinciis imperio, quam esset eorum, qui tum illas regerent; nec multo post, qua singulari erat industria, et sedulitate, navibus pelagum; urbem, Italiamque frumento implevit.

Anno 698. Pompeius, et Crassus, alterum hoc anno consulatum adepti, cum jam libertati publicæ perniciem ambo meditarentur, hos ferme duntaxat, ad reliquas dignitates admitti passi sunt, quos suorum consiliorum fautores cognovissent, Pompeio utraque Hispania, Syria Crasso cum Parthica expeditione in quinquennium assignata est.

Clodianam cædem cum maxima rerum perturbatio excepisset, nihil tutius senatui visum est, quam ut uni Pompeio, cujus erat maxima auctoritas, pari moderatione conjuncta, urbis regimen attribueretur; quare anno 701. consul tertium sine collega renuntiatus, ac dictatoria propemodum armatus potestate, rempublicam solus, legibus, et armis aliquandiu administravit; qui tamen, ut invidiam delatæ sibi monarchiæ vitaret, sua sponte in quinque menses anni extremos Quintum Metellum Scipionem socerum sibi in consulatu collegam adjunxit.

Anno 704. statim atque civilis exarsit discordia, *Magni* titulus in Pompeio consenescere visus est: cum enim sibi persuasisset, exercitum Cæsaris, diuturnis fessum laboribus, studiosumque patriæ, ad suas partes facile transiturum, nec delectus fecit, nec apparatus ad tantum bellum necessarios; audito deinde Cæsaris adventu, relicta turpiter Italia, in Græciam præpostere navigavit; ad Pharsalum tandem inconsulte congressus, victusque, suis de rebus illico desperavit, nec sapienter: Appianus enim tres exercitus commemorat ex Pompeianis reliquiis collectos, quos, inquit, suus imperator, diis mentem adimentibus, neglexerat.

Anno 705. incertus animi quid faceret, in Ægyptum abiit, ubi Ptolemæi jussu trucidatur, ætatis anno quinquagesimo nono. Corpus in littore ab ejus liberto combustum est, et in arena tumulatum: sic discordante secum in eodem viro fortuna, ut, cui modo ad victoriam terra defuerat, deesset ad sepulturam.

Egregia excelluit, ac liberali forma, morum integritate, victus temperantia, affabilitate sermonis. Nemo importune minus rogare, aut hilare magis largiri solitus, adeo ut in dandis beneficiis frontem serenam, gravem in accipiendis præ se ferret. Bello strenuus imperator, pace civis optimus; modo ut primus esset: orator mediocris, amicus constans, inimicus placabilis, nemo quisquam cætera omnia minus, gloriam autem magis concupivit: honorum appetens; sic tamen, ut eos sponte sibi deferri, non per vim occupare vellet, et, quos lubens inierat, iis moderate uteretur: ter consul, toties triumphalis; Romæ per seipsum, Hispaniæ per legatos, orbis pene totius, victoriarum fama, dominus ac rector: profunda vir dissimulatione, aliud sentire solitus, aliud loqui; domi, civium deliciæ; foris, hostium terror, admiratio.

RUFUS.

Lucius Mescinius Rufus, Ciceronis in Cilicia (anno 702.) quæstor, de quo sic ipse Tullius ad Atticum scribens, *Illud*, inquit, *difficillimum relinquendus erat ex senatusconsulto, qui præesset; nihil minus probari poterat, quam quæstor Mescinius; nam de Cælio nihil audiebamus.* Porro Rufi mores sibi displicuisse palam declarat, cum ineptum judicet, quem suo loco Ciliciæ præficiat: *Quæstorem*, ait, *nemo dignum putat, etenim est levis, libidinosus, sagax:* idque causæ fuit, quamobrem Cælium, licet paulo ante suum e provincia discessum, advenisset, Rufo prætulerit. Reliquit tamen in Cilicia Mescinium, ut rationes conficeret.

Orta civili Cæsarem inter, et Pom-

peium dissensione, incertus animi quid faceret, per litteras Ciceronem consuluit, a quo, opinor, adductus est, ut castra Pompeii, tam sua, quam reipublicæ causa, sequeretur.

MARCUS RUTILIUS.

Idem cum Cluvio, jubente Cæsare, munus exercuit; majorum suorum gloria commendatus; quos inter enituit Publius Rutilius Rufus, qui consulatum gessit anno urbis sexcentesimo quadragesimo octavo, ut Pighius habet; tum de vita sua, tum de bello Numantino scripsit; vir quo nemo Romæ extitit, morum innocentia illustrior.

CNEIUS SALLUSTIUS.

Cneius Sallustius Marci Bibuli in Syria proconsulis quæstor fuit, anno U. C. 702. quo Parthi Antiochiam obsidione cinxerunt.

PUBLIUS SERVILIUS ISAURICUS.

Cum summos in reipublica magistratus obiisset, consulatum tandem adeptus est anno U. C. 705. solusque Romæ dignitatem hanc exercuit, Cæsare in Macedonia contra Pompeium bellum gerente; ad eundem honoris pervenit gradum anno 712. cum proconsul Asiam prius gubernasset anno 706. quo scriptæ sunt ad eum Ciceronis epistolæ.

CAIUS SEXTILIUS RUFUS.

Ciceronis ad Sextilium epistola, aliquandiu post Ciceronis e Cilicia reditum scripta est, postquam devicto Pompeio, et transmarinis provinciis in potestatem redactis, Cæsar (anno U. C. 706.) Cyprum insulam quæstori Sextilio commisisset; quæ insula prius videtur Ciliciæ proconsulibus paruisse, ab eo tempore, quo a Catone provinciæ formam acceperat. Cæsare interfecto, classi sub Caio Cassio in Asia præfuit: quæ quidem omnia ex Tullii epistolis colliguntur.

PUBLIUS SEXTIUS.

Caii Antonii consulis Romæ, et in Macedonia proconsulis quæstor fuit: sic enim Tullius: *Quæstor hic Caii Antonii collegæ mei, Judices, fuit sorte, sed societate consiliorum meus.* Et in eadem pro Sextio oratione: *Par prope laus Publii Sextii esse debet, qui suum ita consulem observavit, ut et illi quæstor bonus, et vobis optimus civis videretur.* Ibidemque obiter narrat quæ Publius Sextius in hoc magistratu pro salute, et tranquillitate reipublicæ prudenter, fortiterque gesserit, quemadmodum Capuam a conjuratis attentatam metu seditionis liberarit, maximumque postea, ad victoriam de Catilina referendam, momentum attulerit.

Anno U. C. 692. cum munus quæstoris exerceret in Macedonia, scripsit ad Ciceronem, petiitque, efficeret in senatu, ne sibi succederetur, cum tamen anni superioris exitu ad ipsum Ciceronem, ad Q. Fusium tribunum plebis designatum, amicosque cæteros aliter scripsisset: effecit itaque Cicero, ut Caio Antonio proconsuli, et P. Sextio proquæstori, in hunc adhuc annum Macedoniæ prorogaretur administratio.

Anno U. C. 696. tribunus plebis factus, junctis statim cum Milone studiis, legem de revocando Cicerone contra Clodiam promulgavit. *Reliqui magistratus*, inquit Tullius, *pene omnes fuerunt defensores salutis meæ, ex quibus excellenti animo, virtute, auctoritate, præsidio, copiis T. Annius, et P. Sextius præstanti in me benevolentia, et divino studio extiterunt.* Fatetur insuper Cicero, bonis, clientibus, libertis, familia Sextii in calamitate se usum, ac sustentatum fuisse, non secus ac fratris; immo benevolentiam, et fidem suam, non solum animi dolore, sed etiam corporis vulneribus ostendisse Sextium: cum enim et ipse obnuntiaret consuli Metello ad templum Castoris, Clodianorum infestis armis circumseptus, tot plagis affectus est, ut semianimus in eodem loco remanserit.

PUBLIUS SEXTIUS.

Publius Sextius diversus est, ut

plerique conjiciunt, ab eo, pro quo Tullius orationem dixit: primum quidem fuit ille, pro quo Ciceronis extat oratio, Lucii filius, non Publii, uti docet inscriptio epistolæ sextæ libri V. deinde Sextius Publii filius, quo tempore hanc Tullius epistolam scripsit, exulabat, judicio damnatus; alter vero non modo non statim post Alexandrinum bellum, sed etiam post devictos in Hispania Pompeii filios, lege Pompeia causam dixit; sed fratrem illius patruelem fuisse Pighius opinatur.

P. SILIUS NERVA.

Publius Silius Nerva post tribunatum, ac præturam, Bithyniam et Pontum proprætor administravit anno U. C. 702. Cicero ad Atticum e Cilicia scribens, *Thermum, Silium*, inquit, *vere audis laudari; valde honeste se gerunt.*

Consulatum longe post gessit eodem anno (U. C. 731.) quo Augustus signa Crassi, et aquilas a Parthis recepisse traditur; Augusti tandem legatus Alpinas subegit gentes, Pannoniosque cum Noricis in Istriam incursantes, ad pacis conditiones adegit.

TERENTIA.

Terentia quater nupsit: Ciceroni, Sallustio Historico, Messalæ Corvino Vibio Rufo. Sic lib. LVII. A Cicerone eo nomine repudiata est, quod ejus domum ære alieno opprimi passa esset. Vixit centum et tres annos.

QUINTUS MINUCIUS THERMUS.

Anno U. C. 701. Quintus Minucius Thermus ex prætura provinciam Asiæ proprætor sortitus est, eamque prorogato imperio diutius administravit. Vir consilio bonus, et prudens animo; summa integritate, gravitate, clementia, et singulari in miseros liberalitate: eo majori laude dignus, quod ex iis, qui provincias tum regebant, paucissimi avaritiæ, et crudelitatis crimine vacarent.

Anno U. C. 704. in bello civili Pompeii partes amplexus, Iguvium in Umbria cum quinque cohortibus obtinuit; verum perspecta Iguvinorum erga Cæsarem voluntate, et Curionis adventu cognito, cohortes ex urbe educit, profugit, milites in itinere ab eo discedunt, et revertuntur. Lucanus:

Iguvium, pulso, jam perdidit Umbria, Thermo:

sic enim forte melius versus ille legeretur, quam ut legitur vulgo, *jusque sui pulso.*

TIRO.

Tullius Tiro de vita patroni sui Ciceronis, cujus libertus fuit, libros scripsit, quorum quartum citat Asconius Pedianus in oratione pro Milone; Gellius, lib. XIII. cap. 9. *Tullius Tiro*, inquit, *Marci Ciceronis alumnus, et libertus, adjutorque in litteris studiorum ejus fuit. Is libros complures de usu, atque ratione linguæ Latinæ: item de variis, atque promiscuis quæstionibus composuit. In his esse præcipui videntur, quos Græco titulo* Παιδιστορικα *inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continens.* Et libro VII. cap. 3. *Tiro autem Tullius Marci Ciceronis libertus, sane quidem fuit ingenio homo eleganti, ut haud quaquam rerum, litterarumque veterum indoctus.*

PUBLIUS TITIUS.

Publius Titius ille est, ut auguror, qui mortuo Cæsare, tribunatum gessit anno U. C. 710: ad quidlibet Octavio devotus, Cascæ collegæ suo magistratum per seditionem abrogavit; legem de Triumviris reipublicæ constituendæ in quinquennium creandis per vim tulit; verum haud multo post diem obiisse traditur; idque, quod jamdudum observatum fuerat, exemplo confirmasse suo, nemmnem scilicet, qui collegam suum magistratu dejecisset, ei superstitem anni spatio vixisse.

CAIUS TITIUS RUFUS.

Quæstura, tribunatu, ædilitate plebis perfunctus, urbanam demum

jurisdictionem sortitus est eodem anno, quo C. Curtius Peducæanus prætor, ut vocant, peregrinus extitit; ad quem scripta est lib. XIII. ep. 59.

TORANIUS.

Caius Toranius Niger ad prætoriam dignitatem evectus est anno U. C. 692: idemque videtur esse cum eo, qui senex, a proprio proditus filio, neci addictus fuit a Triumviris, prætoriusque a Valerio Maximo appellatur; cujus hæc verba sunt, lib. IX. cap. 11. *Hanc crudelitatem, cui nihil adjici posse videtur, Caius Toranius* (de filio loquitur) *atrocitate parricidii superavit: namque Triumvirum partes secutus, proscripti patris sui prætorii, et ornati viri latebras, ætatem, notasque corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum persecuti sunt. Senex de filii magis vita, et incrementis, quam de reliquo spiritu suo solicitus; an incolumis esset, et an imperatoribus satisfaceret, interrogare eos cœpit. E quibus unus: Ab illo, inquit, quem tantopere diligis, demonstratus, nostro ministerio, filii iudicio occideris: protinusque pectus ejus gladio trajecit. Collapsus itaque est, infœlix, auctore cædis, quam ipsa cæde miserior.*

AULUS TORQUATUS.

Aulus Torquatus e Manlia gente antiquissima, cui *Torquati* cognomen a torque inditum est, quem Gallo singulari pugna victo Titus Manlius detraxit. Is, de quo jam sermo est, civis erat optimus, gravitate morum, et sanctimonia præstans; omni laude, inquit Cicero, et honore dignissimus. Ex prætura (neque enim consul unquam fuit) Africam sortitus est, ibique impressa moderationis vestigia reliquit.

Pompeianæ factionis defensor in Græciam ante Ciceronem ipsum navigavit; exilio propterea cum bene multis aliis affectus est.

TREBATIUS.

Caius Trebatius Testa, jurisconsultus, divitiarum paulo appetentior, in Galliam discesserat, ut gratiam iniret apud Cæsarem, ejusque auctoritate et opera rem augeret suam; sed cum aliunde quietam tumultu procul, et discrimine bellico, vitam agere mallet, summoque urbis desiderio teneretur, de sua illum sententia deducere conatur Cicero, plurescque per jocum super ea re litteras ei scribit. Tradit Pighius, tribunum plebis fuisse anno septingentesimo sexto, Caio Julio Cæsare Dictatore secundum.

TREBIANUS.

Nusquam comperi quis ille esset; nulla enim de Treblano, nisi memoria me fallit, ab Historicis mentio facta est; id duntaxat ex epistola ad eum scripta colligitur, non mediocrem inter Ciceronis amicos locum obtinuisse, cum quo Pompeii partibus contra Cæsarem adhæserat; quapropter in exilium pulsus, Dolabellæ tandem opera reditum in Italiam impetravit.

VALERIUS.

Valerius nulla re, quod sciam, præterquam Ciceronis amicitia, civilisque juris, etsi non apprime illud callebat, professione notus.

QUINTUS VALERIUS ORCA.

Quintus Valerius Orca prætura perfunctus anno U. C. 697. Africam obtinuit; quem paludatum Cicero, quod ejus etiam opera in patriam rediiset, prosecutus est. Idem postea Cæsaris legatus in Gallia, ejus in bello civili partibus adhæsit.

Primo belli civilis anno, Sardiniam a M. Cotta relictam, Cæsaris jussu, una cum legione occupavit, ab eodemque deinde agris in Etruria dividendis præpositus est, addito Proprætoris nomine, ut majorem in provincia sua potestatem haberet.

PUBLIUS VATINIUS.

Moribus homo profligatissimis, cupiditatum Cæsaris administer, funes-

tissima civilis incendii fax: reipublicæ pestis, ac pernicies, diis pariter, et hominibus detestabilis; *nemini*, ut Velleius ait, *non postferendus; in quo deformitas corporis, cum turpitudine certabat ingenii, adeo, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur.* Quia tumidam struma cervicem haberet, *Struma*, dictus, ex quo, *inflatus orator* per jocum a Cicerone appellatus est, eodemque spectat illud in oratione contra eum habita in senatu: *Repente enim te tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti.*

Anno U. C. 694. tribunatum plebis, excluso Catone, nactus, illum pro Cæsaris libidine gessit, Bibulumque ejus collegam duci jussit in carcerem.

Infestissimus Ciceroni, quem Cicero vicissim capitaliter oderat, et reipublicæ causa, et sua; quod primum tribunus plebis, contra senatus voluntatem multa commisisset; deinde quia testimonium dixerat in Publium Sextium, cujus in primis opera Cicero patriam reviserat: nihilominus cum eodem postea rediit in gratiam; eumque rogatu Cæsaris, ac Pompeii, bis in judicio defendit.

In bello civili Cæsaris partes amplexus, Octavium navali pugna superavit. Anno deinde 706. ferme exacto, consul una cum Caleno renunciatus est. In brevem hunc Vatinii consulatum, Ciceronis apud Macrobium jocus extat: *Magnum ostentum*, inquit, *anno Vatinii factum est, quod illo consule, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit.*

Indignus eo magistratu omnium judicio habitus est; hinc secum Catullus Poeta stomachatur.

Quid est, Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet;
Per consulatum pejerat Vatinius.
Quid est, Catulle, quod moraris emori?

Anno 707. a Cæsare in Illyricum cum tribus legionibus missus est, ut huic provinciæ, quæ nondum pacata satis erat, imponeret tributa, ab eaque obsides acciperet.

Anno 711. post necem Cæsaris, legionibus suis a Marco Bruto proconsule spoliatus, Romam reversus, est, a Triumviris triumphum obtinuit.

PUBLIUS VOLUMNIUS.

Publius Volumnius, notæ dicacitatis, ac limati judicii homo, interioribus instructus litteris; cui urbanitas et facetiæ *Eutrapeli* nomen fecerunt. Hunc Antonius, ut multi opinantur interpretes, in bello civili præfectum fabrum habuit.

INDEX

QUI MULTIPLEX LITTERARUM GENUS INDICAT.

Acusatoriæ, Lib. II. Epist. 10.
Admonitoriæ, IV. 15. VII. 7. XI. 20. 26. XII. 19. XIV. 10. 12. 14. 18. 20. 21.
Apologeticæ, III. 7. 8.
Commendatitiæ, I. 3. II. 6. 8. 14. III. 1. V. 5. VI. 9. VII. 5. 21. VIII. 6. IX. 13. 15. X. 17. XI. 29. XII. 6. 12. 21. 24. 26. 27. 29. XIII. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 69. 70. 71. 72. 74. 75. 77. 78. 79.
Condictitiæ, IX. 23.
Consolatoriæ, I. 6. II. 2. III. 3. 5. 13. V. 16. 17. 18. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 10. 12. 21. 22. IX. 6.
Deliberativæ, II. 16. IV. 1. 2. V. 19. IX. 3. 7. XI. 1. 9. XIV. 24.
Excusatoriæ, I. 1. II. 1. 7. 16. III. 8. V. 2. 17. VI. 2. 7. 11. VIII. 1. 5. IX. 26. X. 2. 8. 23. 31. 35. XV. 3. 5. 13. 15.
Gratulabundæ, II. 5. 7. 9. 10. III. 9. 12. VI. 12. 13. 16. VII. 15. 17. VIII. 12. IX. 12. XII. 13. 16. XIII. 73. XV. 5. 7. 8. 9. 10. XVI. 16. 21.
Hortativæ, II. 1. 4. 8. 12. IV. 8. 9. 10. V. 21. VI. 12. 14. VII. 6. 17. IX. 14. X. 1. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. XI. 5. 7. 15. 23. 25. XII. 1. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. XIII. 68. XIV. 8. XV. 1. XVI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 14. 15. 17. 23. 25. 26.
Jocosæ, I. 10. VII. 10. 12. 13. 14. 16. 18. 30. 32. IX. 4. 15. 16. 18. 19. 20. 22. 25. XII. 20. XV. 16. 18.
Laudatoriæ, VII. 18. IX. 14. XII. 5.
Monitoriæ, VI. 21. VII. 6. 9. 10. VIII. 5. 9. IX. 12. 17. 24. XII. 28. XIV. 23. XVI. 11. 12. 13.
Nuntiæ, I. 2. 5. 7. IV. 12. V. 6. VI. 19. VII. 1. 26. VIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 14. 15. IX. 6. 16. X. 15. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 28. XI. 8. 11.
Objurgatoriæ, II. 7. 8. V. 5. VII. 8. X. 27. XI. 18.
Officiosæ, II. 11. III. 10. X. 29.
Petitoriæ, II. 11. III. 2. 3. 9. V. 4. 9. 12. VI. 7. 17. VII. 29. VIII. 3. IX. 8. X. 21. 24. XI. 2. 4. XIII. 12. 57. 73. 76. 77. XV. 4. 7. 8. 10. 12. 13. 20.
Præceptoriæ, VII. 19.
Purgatoriæ, III. 10. 12. V. 20. VII. 3. XI. 27. 28. XII. 18. 29. 30. XV. 17.
Queribundæ, VIII. 13. XI. 10. 12. XII. 2. 3. 4. 8. XIV. 1. 6.
Suasoriæ, II. 18. IV. 7. 8. 9. V. 19. VI. 8. 23. VII. 11. VIII. 16. IX. 2. 9.
Variæ, XII. 17. XIV. 2. 3. 4. 5. 6. XV. 14. XVI. 18. 22. 24.
Ad benevolentiam significandam, III. 1. 4. VI. 18.
Ad beneficium commemorandum, III. 5.
Ad confirmandum, VI. 6. 10. 14. 17.
Ad confutandum, III. 7. IX. 21.
Ad defendendum, I. 9. V. 2. VII. 3. IX. 5.
Ad deplorandam calamitatem, IV. I. 13. VII. 28. 30. IX. 11. X. 1. 33.
Ad dissuadendum, II. 3. V. 14. VI. 20. VII. 20. X. 6. 25.
Ad expostulandum, II. 17. III. 6. V. 1. 7. VII. 24. VIII. 17. X. 28. XI. 3.
Ad gratias agendas, XIII. 28. 41. 54. 62. 64. XV. 11. XVI. 16.
Ad gratum animum testificandum, III. 13. VII. 29. X. 11.
Ad invitandum, VII. 31. IX. 1.
Ad narrandum, I. 1. 4. 8. 9. II. 1. 10. IV. 4. X. 8. 30. 32. XII. 13. 15. 22. 23. 24. 25. 30. XIV. 7. 11. 15. XV. 1. 2. 3. 4. 17. XVI. 9. 10. 11.
Ad reprehendendum, XII. 28. XVI. 17. 26.
Ad respondendum, II. 17. XV. 19. XVI. 21. 27.
Ad respondendum accusationi, VII. 27.
Ad respondendum commendationi, V. 11. IX. 24. XI. 6.
Ad respondendum consolationi, IV. 6. V. 13. 15.
Ad respondendum excusationi, XV. 6.
Ad respondendum gratulationi, IV. 14. VIII. 2. XV. 6.
Ad respondendum hortationi, IV. 11. X. 4. 7. XI. 24.
Ad respondendum monitioni, II. 13. VII. 25. XI. 21.
Ad respondendum nuntiæ, II. 15. XI. 14.
Ad respondendum petitioni, V. 10. X. 22.

EORUM NOMINA, AD QUOS SCRIBIT CICERO.

Acilius, XIII. a 30. ad 39.
Allienus, XIII. 78. 79.
Ampius, VI. 12. X. 29.
Ancharius, XIII. 40.
Antonius, V. 5.
Appius Pulcher, III. a 1. ad ult.
Apuleius, XIII. 45. 46.
Auctus, XIII. 50.
Basilius, VI. 15.
Bithynicus, VI. 17.
D. Brutus, XI. 5. 6. 7. 8. 12. 14. 15. 16. 17. 18. 21. 22. 24. 25. 26.
M. Brutus, XIII. 10. 11. 12. 13. 14.
Cæcina, VI. 5. 6. 8.
Cælius, II. a 8. ad 16. & 19.
Cæsar, VII. 5. XIII. 15. 16.
Cæsius, XIII. 51.
Caninius, II. 17.
Cassius, XII. a 1. ad 10. XV. a 14. ad 18.
Cato, XV. 3. 4. 6.
Cicero Fil. XIV. 1. 2. 3. 4. 14.
Cluvius, XIII. 7.
Cornificius, XII. a 17. ad ult.
Crassipes, XIII. 9.
Crassus, V. 8.
Culleolus, XIII. 41. 42.
Curio, II. a 1. ad 7.
Curius, VII. 28. 30. 31. XIII. 49.
Curtius, XIII. 59.
Dolabella, IX. a 10. ad 14.
Domitius, VI. 22.
Fadius, V. 18.
Furfanius, VI. 9.
Furnius, X. 25. 26.
Gallus, VII. 24. 25. 26. 27. 28. XIII. 43. 44.
Lentulus, I. a 1. ad 9.
Lepidus, X. 27.
Lepta, VI. 18. 19.
Ligarius, VI. 13. 24.
Lucceius, V. 12. 15.
C. Marcellus, XV. 7. 8. 10. 11.
M. Marcellus, IV. 7. 8. 9. 10. XV. 9.
Marius, VII. 1. 2. 3. 4.
Matius, XI. 27.
Memmius, XIII. 1. 2. 3.
Mescinius, V. 19. 20. 21.
Metellus Celer, V. 2.
Metellus Nepos, V. 4.
Munatius, XIII. 60.
Oppius, XI. 29.
Pætus, IX. a 15. ad ult.
Paulus, XV. 12. 13.
Philippus, XIII. 73. 74.
Plancius, IV. 14. 15.
Plancus, X. 1. 2. 3. 5. 10. 12. 13. 14. 16. 19. 20. 22. XIII. 29.
Pompeius, V. 7.
Rex, XIII. 52.
Rufus, V. 19. 20. XIII. 48.
Rutilius, XIII. 8.
Servilius, XIII. a 66. ad 72.
Sextius, V. 6. 17.
Silius, XIII. 47. 61. 62. 63. 64. 65.
Sulpicius, IV. a 1. ad 4. XIII. a 17. ad 28.
Terentia, XIV. a 1. ad ult.
Thermus, II. 18. XIII. 53. 54. 55. 56. 57.
Tiro, XVI. a 1. ad ult.
C. Titius, V. 16. XIII. 58.
T. Titius, XIII. 75.
Toranius, VI. 20. 21.
Torquatus, VI. 1. 2. 3. 4.
Trebatius, VII. a 6. ad 22.
Trebianus, VI. 10. 11.
Trebonius, X. 28. XV. 20. 21.
Tullia, XIV. 1. 2. 3. 4. 5. 14. 18.
L. Valerius, I. 10.
Q. Valerius, XIII. 4. 5. 6.
Varro, IX. a 1. ad 8.
Vatinius, V. 11.
Volumnius, VII. 32. 33.

EORUM NOMINA, QUORUM ALIQUÆ IN HIS SEXDECIM LIBRIS EPISTOLÆ EXTANT CICERONIANIS ADJUNCTÆ.

Bithynicus, VI. 16.
D. Brutus, XI. 1. 9. 10. 11. 12. 13. 19. 20. 23. 26.
M. Brutus, XI. 2. 3.
Cæcina, VI. 7.
Cælius, VIII. a 1. ad ult.
Cassius, XII. 11. 12. 13. XV. 19.
Cato, XV. 5.
Cicero Fil. XVI. 21. 25.
Curius, VII. 30.
Dolabella, IX. 9.
Galba, X. 30.
Lentulus, XII. 14.
Lepidus, X. 34. 35.
M. Marcellus, IV. 11.
Matius, XI. 28.
Metellus, V. 1. 3.
Plancus, X. 4. 7. 8. 9. 11. 15. 17. 18. 21. 23. 34.
Pollio, X. 31. 32. 33.
Quintus Frater, XVI. 8. 16. 26. 27.
Sulpicius, IV. 5. 12.
Trebonius, XII. 16.
Vatinius, V. 9. 10.

DELECTUS
COMMENTARIORUM

EX

EDITIONE

JOSEPHI OLIVETI.

IN VOLUMINIS TERTII PARTEM SECUNDUM.

EPISTOLAS AD ATTICUM,

Q. FRATREM, ET BRUTUM.

VITA
TITI POMPONII ATTICI,

PER

CORNELIUM NEPOTEM.

Pomponius Atticus, * ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuo a majoribus acceptam equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, et, ut tum erant tempora, diti, imprimisque studioso litterarum. Hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa suavitas oris, ac vocis; ut non solum celeriter arriperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret: qua ex re in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque explendescebat, quam generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius C. filius, M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.

II. Pater mature decessit. Ipse adolescentulus propter affinitatem P. Sulpicii, qui tribunus pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio fratri Sulpicii. Itaque, interfecto Sulpicio, posteaquam vidit Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam; neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cum alii Syllanis, alii Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: neque eo secius adolescentem Marium, hostem judicatum, juvit opibus suis: cujus fugam pecunia sublevavit. At ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum. Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus. Nam præter gratiam, quæ jam adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Cum enim versuram facere publice necesse esset; neque ejus conditionem æquam haberent; semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram unquam ab iis acceperit, neque longius, quam dictum esset, eos debere passus sit. Quod utrumque erat iis salutare. Nam neque indulgendo inveterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit; ita ut singulis septem modii tritici darentur, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur.

---

* *Ab origine ultima stirpis Romanæ generatus*] Certant in eluendo hoc loco Docti: quorum princeps Manutius corrigebat *e stirpe Romana generatus*. Lambinus vero *τὸ generatus* expungendum, reponendumque censet *generosus*. Bosius divisim legit, *genere natus*. Barthius, Advers. XLII. 29. *ab origine ultima stirpis R. generatus*, illudque *R.* putat significare *Regia*. Rutgersius Var. Lect. XI. 8, mallet, *ab origine ultima stirpis Rom. generatus*, vel *Romano genere natus*. Grævius.

III. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur; quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent, civemque facere studerent. Quo beneficio ille uti noluit: quod nonnulli ita interpretantur,* amitti civitatem Romanam alia adscita. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipsi, et† Phidiæ, locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procuratione reip. actorem auctoremque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet, et domum. Hoc specimen prudentiæ, quod cum in eam se civitatem contulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrina, præstaret omnes, ei unus ante alios fuerit carissimus.

IV. Huc ex Asia Sylla decedens cum venisset; quamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis humanitate et doctrina. Sic enim Græce loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem erat suavitas sermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum. Idem poemata pronuntiabat et Græce, et Latine sic, ut supra nihil posset. Quibus rebus factum est, ut Sylla nusquam eum a se dimitteret, cuperetque secum deducere. Cui cum persuadere tentaret; *Noli, oro te,* inquit Pomponius, *adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui.* At Sylla, adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ Athenis acceperat, proficiscens jussit deferri. Hic complures annos moratus, cum et rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias, et omnia reliqua tempora aut litteris, aut Atheniensium reipublicæ tribuerat, nihilo minus amicis urbana officia præstitit. Nam et ad comitia eorum ventitavit; et si qua res major acta est, non defuit: sicut Ciceroni in omnibus ejus periculis singularem fidem præbuit: cui ex patria fugienti, H-S. ducenta et quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, et L. Torquato consulibus: quem diem sic universa civitas Atheniensium prosecuta est, ut lachrymis desiderii futuri dolorem indicaret.

V. Habebat avunculum Q. Cæcilium, equitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura: cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam; quo facto tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens testamento adoptavit eum, heredemque fecit ex dodrante, ex qua hereditate accepit circiter centies H-S. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni, easque nuptias M. Cicero conciliarat; cum quo a condiscipulatu vivebat conjunctissime, multo etiam familiarius, quam cum Quinto: ut judicari possit plus in amicitia valere similitudinem morum, quam affinitatem. Utebatur autem intime Q. Hortensio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula.

VI. In republica ita est versatus, ut semper optimarum partium et

---

* *Amitti civitatem Romanam alia adscita*] Vide Orat. pro Cæcina, et pro Corn. Balbo.

† *Phidiæ*] Adi de hujus loci lectione disputantem Lipsium, Elect. I. 14. *Rutgersium*, Var. Lect. V. 1. *Scioppium*, Verisimil. III. 8. *Barthium*, Advers. XXIX. 12. ANONYMUS.

esset, et existimaretur; neque tamen se civilibus fluctibus committeret; quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem: quod neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus neque geri e republica sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque præs, neque manceps factus est. Neminem suo nomine, neque subscribens accusavit. In jus de sua re nunquam iit; judicium nullum habuit. Multorum consulum, prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus; rei familiaris despexerit fructum, qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, cum præturam gerere noluisset, asseclam esse prætoris. Qua in re non solum dignitati serviebat, sed etiam tranquilitati, cum suspiciones quoque vitaret criminum: quo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, cum eam officio, non timori, neque spei tribui viderent.

VII. Incidit Cæsarianum civile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta. Usus est ætatis vacatione, neque quoquam movit ex urbe. Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. Ipsum Pompeium sibi conjunctum non offendit. Nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut cæteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Cæsari fuit grata, ut victor, cum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula.

VIII. Secutum est illud. Occiso Cæsare, cum respub. penes Brutos videretur esse, et Cassium, ac tota civitas se ad eos convertisset; sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiarius, quam hoc sene: neque solum eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est a quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab equitibus Romanis constitueretur. Id facile effici posse arbitrati sunt, si et principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaque appellatus est a Caio Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, semperque a talibus se consiliis removisset; respondit, si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantum eæ paterentur; se neque cum quoquam de ea re collocuturum, neque coiturum. Sic ille consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. Neque multo post superior esse cœpit Antonius: ita, ut Brutus et Cassius provinciarum, quæ iis * necis causa datæ erant a consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum cæteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto, Italiaque cedenti H-S. centum millia muneri misit: eidem in Epiro absens trecenta jussit dari: neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit.

IX. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantum

---

* *Necis causa*] Plurimi mallent *dicis causa*, quam olim emendationem Ranconetus, Turnebus, Cujacius, Lambinus et Schottus approbarunt. Omnes tamen MSS. habent *necis causa*, neque mutari vult Savaro, quia provinciæ illæ datæ erant a consulibus propter cædem illatam Julio Cæsari.

cum prudentem dicam; minus, quam debeam, prædicem; cum ille potius divinus fuerit; si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus augetur, neque minuitur. Hostis Antonius judicatus, Italia cesserat; spes restituendi nulla erat. Non solum ejus inimici, qui tum erant potentissimi, et plurimi, sed etiam amici adversariis ejus se dabant; et in eo lædendo se aliquam consecuturos sperabant commoditatem, familiares insequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus, cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto: non modo nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed e contrario familiares ejus, ex urbe profugientes, quantum potuit, texit; quibus rebus indiguerunt, adjuvit: P. vero Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviæ, cum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, cum illa fundum secunda fortuna emisset in diem; neque post calamitatem versuram facere potuisset; ille se interposuit, pecuniamque sine fœnore, sineque ulla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum, memorem gratumque cognosci, simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Quæ cum faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensus ejus a nonnullis optimatibus reprehendebatur, quod parum odisse malos cives videretur.

X. Ille autem sui judicii, potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid illi laudaturi forent. Conversa subito fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis et Bruti. Itaque ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebatque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paulo ante, opem tulerat. Tanta varietas in his temporibus fuit fortunæ, ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. Habebat secum Q. Gellium Canum, æqualem, simillimumque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeo conjuncte vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solum ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eosque vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii: et ei, cum requisisset, ubinam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimque ad se veniret: se eum, et Gellium Canum de proscriptorum numero exemisse, ac, ne quod in periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solum sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit; neque enim suæ solum a quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim, ut appareret nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quod si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hyeme, marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

XI. Quibus ex malis ut se emersit, nihil aliud egit, quam ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Cum proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit. Nemini non ibi perpetuo manendi potestas facta est: quin etiam post prælium Philippense, interitumque C. Cassii, et M. Bruti, L. Julium Mocillam prætorium, et filium ejus, Aulumque Torquatum, cæterosque pari fortuna percussos institit tueri, atque ex Epiro his omnibus Samothraciam

supportari jussit. Difficile enim est omnia persequi, et non necessaria. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quod non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Serviliam Bruti matrem non minus post mortem ejus, quam florentem, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quod neque lædebat quemquam; neque, si quam injuriam acceperat, non malebat ulcisci, quam oblivisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia: quæ autem ipse tribuerat, tandiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui receperat. Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur, *Sui cuique mores fingunt fortunam.* Neque tamen prius ille fortunam, quam se ipse finxit, qui cavit, ne qua in re jure plecteretur.

XII. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate conjunctus adolescenti Cæsari, cum propter suam gratiam, et Cæsaris potentiam, nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum ejus deligeret affinitatem, præoptaretque equitis Romani filiam generosarum nuptiis. Atque harum nuptiarum conciliator fuit (non enim est celandum) M. Antonius, Triumvir reipublicæ constituendæ; cujus gratia cum augere possessiones posset suas, tantum abfuit a cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorum, aut periculis, aut incommodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam cum L. Saufeii, equitis Romani, æquialis sui, qui complures annos, studio ductus philosophiæ, Athenis habitabat, habebatque in Italia pretiosas possessiones, Triumviri bona vendidissent, consuetudine ea, qua tum res gerebantur; Attici labore atque industria factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse, et recuperasse. Idem L. Julium Calidium, quem post Lucretii, Catullique mortem multo elegantissimum poetam, nostram tulisse ætatem, vere videor posse contendere; neque minus virum bonum, optimisque artibus eruditum; post proscriptionem equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum a P. Volumnio, præfecto fabrum Antonii, absentem relatum expedivit. Quod in præsenti utrum ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare; quod in eorum periculis, non secus absentes, quam præsentes, amicos Attico esse curæ, cognitum est. Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam civis.

XIII. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est; nam domum habuit in Colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed silva constabat: ipsum enim tectum, antiquitus constitutum, plus salis, quam sumptus, habebat; in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, et plurimi librarii; ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchre facere posset. Pari modo artifices cæteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. Neque tamen horum quenquam, nisi domi natum, domique factum, habuit: quod est signum non solum continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam et non intemperanter concupiscere, quod a pluribus videas, continentis debet duci; et potius diligentia, quam pretio, parare non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus: splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. Supellex modica, non multa; ut in neutram partem conspici posset. Neque hoc præteribo: quanquam nonnullis

leve visum iri putem: cum in primis lautus esset eques Romanus, et non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret; scimus non amplius, quam terna millia æris peræque in singulos menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum: atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpe enim, propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus.

XIV. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, quam anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbitramur. Neque unquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est; ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores a suis non abhorrerent. Cum tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ consuetudine: tantaque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre acceperat, parum se splendide gesserit; neque in sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat, pariquc fastigio steterit in utraque fortuna. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam: neque in Italia, præter Ardeatinum, et Nomentanum, rusticum prædium: omnisque ejus pecuniæ reditus constabat in epiroticis, et urbanis possessionibus, ex quo cognosci potest, eum usum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri solitum.

XV. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiose promittebat; quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel annuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotii eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. Quo fiebat, ut omnia Ciceronum, Catonis, Marii, Q. Hortensii, A. Torquati, multorum præterea equitum Romanorum negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio fugisse reipublicæ procurationem.

XVI. Humanitatis vero nullum afferre majus testimonium possum, quam quod adolescens idem seni Syllæ fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto; cum æqualibus autem suis Q. Hortensio, et M. Cicerone sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus: quanquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in his non appareat; et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit, ut vates.

XVII. De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem et sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam unquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. Neque id fecit natura solum: quanquam omnes ei paremus: sed etiam doctrina; nam et principum

philosophorum ita precepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem, uteretur.

XVIII. Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populi Romani, quæ non in eo, suo tempore, sit notata: et, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu, Juniam familiam a stirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit, notans, qui, a quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset: pari modo, Marcelli Claudii, Marcellorum; Scipionis Cornelii, et Fabii Maximi, Corneliorum, et Fabiorum, et Æmiliorum quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poeticen; credimus, ne ejus expers esset suavitatis. Namque versibus, qui honore, rerumque gestarum amplitudine cæteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita, ut sub singulorum imaginibus facta, magistratusque eorum non amplius quaternis, quinisve versibus descripserit: quod vix credendum sit, tantas res tam breviter potuisse declarari. Est etiam unus liber Græce confectus de consulatu Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, edita hæc a nobis sunt.

XIX. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur: et quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut supra significavimus, *Suos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris Divi filii, cum jam ante familiaritatem ejus esset consecutus, nulla alia re, quam elegantia vitæ, qua cæteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam ante detulerit; et conciliarit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi. Nata est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæsar vix anniculam, Ti. Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit: quæ conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem.

XX. Quamvis ante hæc sponsalia, non solum cum ab urbe abesset, nunquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret in primis, quid legeret, quibusque in locis, et quam diu esset moraturus: sed et, cum esset in urbe, et propter suas infinitas occupationes minus sæpe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies temere intercessit, quo non ad eum scriberet: cum modo aliquid de antiquitate ab eo requireret: modo aliquam quæstionem poeticam ei proponeret: interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas. Ex quo accidit, cum ædes Jovis Feretrii in Capitolio ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. Neque vero a M. Antonio minus absens litteris colebatur; adeo ut accurate ille ex ultimis terris quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui judicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Cæsarem, atque Antonium; cum se uterque principem non solum urbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet.

XXI. Tali modo cum septem et septuaginta annos complesset, atque

ad extremam senectutem non minus, dignitate, quam gratia fortunaque crevisset, (multas enim hereditates nulla alia re, quam bonitate est consecutus) tantaque prosperitate usus esset valetudinis, ut annis XXX. medicina non indiguisset: nactus est morbum, quem initio et ipse, et medici contempserunt: nam putarunt esse tenesmon: cui remedia celeria, faciliaque proponebantur. In hoc cum tres menses sine ullis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset: subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies dolores accrescere, febresque accessisse sensit; Agrippam generum ad se arcessi jussit, et cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Peducæum. Hoc ut venisse vidit; in cubitum innixus, *Quantam*, inquit, *curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil necesse pluribus verbis commemorare; quibus quoniam, ut spero, satisfeci, nihilque reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores, sine spe salutis. Quare a vobis peto, primum ut consilium probetis meum; deinde ne frustra dehortando conemini.*

XXII. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare; cum quidem Agrippa eum flens, atque osculans oraret atque obsecraret, *ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret;* et, *quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reservaret;* preces ejus taciturna sua obstinatione compressit. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leviorque morbus esse cœpit: tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, pridie Kal. April. Cn. Domitio, C. Sosio coss. decessit. Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est juxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Cæcilii avunculi sui.

PETRUS VICTORIUS

LECTORI.

Cum olim fidelis liber epistolarum M. T. Ciceronis ad Atticum ad manus meas pervenisset, causa ille quidem mihi fuit multorum laborum: studiosis autem humaniorum litterarum non parvæ utilitatis: adhibita enim multa cura ac diligentia, contuli cum ipso vulgata exemplaria earum epistolarum: sustalique inde infinitum pene numerum fœdissimarum macularum. Præcipue autem egregiam operam navavi ope illius exemplaris, in Græcis vocibus, totisque sententiis ejus sermonis restituendis: quarum pulcherrimarum gravissimarumque plenum hoc volumen est. Quam multæ autem lacunæ prius illic essent, aut verba Græca parum apte expressa, facile omnes animadvertere potuerunt, qui sumpserint in manus epistolas has, ante id tempus excusas. Præstiti igitur quod potui tunc summa cum fide ac studio in hoc opere expoliendo, ut omittam labores, quos etiam sustinui maximos in cæteris operibus politissimi scriptoris, orationibus exceptis, emendandis. Extitere postea alii, eruditi et ingeniosi homines, qui et ipsi non parum operæ posuerunt in iisdem his epistolis corrigendis, multis undique calamo exaratis libris collectis: illi tamen ita integrum fideleque exemplar, uti meum est, nullo suo labore, invenire potuerunt: in quibus etiam fuit, qui hoc a me non sine causa tantopere laudatum, Ferrariæ vidit, atque optimum quoque semper existimavit, cum ipsum Benedicto Accolto Cardinali, diserto viro ac valde studioso eloquentiæ Ciceronianæ, commodassem, apud quem tunc erat Octavius Pantagathus, vir probus et satis acutus in scriptis veterum auctorum examinandis, quod testari volui ut sciant omnes me semper, quidquid potuerim adminiculi omnibus, qui possent illustrare suis vigiliis optimos scriptores, præbuisse, non mihi soli facultatem hujus rei ordine gerendæ custodisse: cujus animi mei testimonia multa atque exempla, si opus esse judicarem, afferre possem. Quia autem liber hic non penitus mihi cognitus tunc fuit, cum fidelitatem ejus perspexi: neque etiam Angelo Politiano, qui ipsum cap. LIII. suorum Miscellaneorum valde laudavit, et de fato quodam ipsius diligenter locutus est; volo de origine ipsius quædam prædicare: fuisse igitur Politianus narrat quatuor suæ cujusque ætatis eruditissimorum virorum, etsi de primo, qui Franciscus Petracha fuit, non plane ipsi constitit, qui tamen (ut postea inventum a me) non solum ipsum possedit, verum etiam sua manu scripsit, expressum a vetere exemplari, quod ille reperit, cum diu multumque (ut in epistola quadam sua narrat) epistolas has Ciceronis conquisisset, quæ ante id tempus in tenebris latebant: nec solum volumen hoc ipsum descripsit, sed etiam illarum, quæ Familiares vocantur: quæ, cum apud nos in divi Marci bibliotheca custodiantur, creduntur hujus diligentissimi viri manu exaratæ esse: constansque hæc est opinio de illis in animis nostrorum hominum; cujus etiam rei argumentum est, quod Gallicis litteris liber exaratus est: quis enim nescit vixisse Petrarcham in provincia Galliæ longo ætatis suæ spatio? quare imitabatur in scribendo characteres ejus terræ peculiares: agnoverunt autem formam earum litterarum plures adolescentes Galli, studiosi humanioris doctrinæ, quibus co-

dicem hunc ipsum ostendi, cum transirent hac, Romam proficiscentes. Quod autem omnem scrupulum evulsit, hujusmodi est. Ludovicus Beccatellus archiepiscopus, senex optimus, et omni honore dignissimus, de cujus eruditione, probitate, usu magno reipublicæ Christianæ, in qua administranda summa cum laude versatus est, supravacaneum esse accuratius disputare, in aliis nonnullis egregiis monumentis antiquitatis, quæ habet, habet etiam epistolas plures, quas suspicabatur, conjecturas quasdam secutus, Francisci Petrarchæ esse: neque enim integræ voces hæ illic sunt, sed primæ tantum et prænominis et nominis litteræ in illis notatæ. Cupidus igitur veritatis investigandæ, quæsivit ex me an verum foret, quod aliquando audisset, extare apud nos Ciceronis epistolas Petrarchæ manu scriptas. Respondi id quod erat, me ita opinari, cunctas ipsius, quæ vetustate consumptæ non sunt, in duobus voluminibus hic inveniri: quorum alterum apud me esset. Contulimus igitur accurate epistolas illas Petrarchæ pusillas: minutæ enim sunt tenuesque, (quæ causa fortasse fuit, ut postea in volumen, quod editum est, redactæ non fuerint) cum meo epistolarum Ciceronis volumine: singulisque litteris formisque ipsarum ponderatis, convenire omnia mirifice inter se animadvertimus, ut prorsus et illæ et codex meus ab eodem homine scriptus intelligeretur. Utinam inveniretur exemplar, unde has ad Atticum descripsit Petrarcha, ut extat illud, quo usus est in describendis alteris illis, quæ Familiares appellantur (de cujus libri antiquitate, omni veneratione digna, magnifice multa, vereque alio loco prædicavi) confiderem me auxilio ejus antiqui libri non pauca adhuc loca in his epistolis emendare posse, præsertim ubi Græca aliqua vocabula sunt, cujus sermonis Petrarcha, vitio illius ætatis, imperitus fuit: nec tamen non (ut erat omni in re accuratus) ita etiam verba illa, ignota sibi, pingebat, ut cuncta pene non magno labore legantur. Namquantam caliginem afferat sæpe unius litteræ perversio facile omnes animadvertere potuerunt, qui in hoc munere corrigendi antiquos auctores, aliquantum versati sunt. Cum autem (ut opinor) hujus vetusti libri jactura facta sit, ereptumque e manibus auxilium majus purgandi has epistolas, affirmare ausim multis judiciis testimoniisque hujus rei perspectis, nullum fidelius exemplar harum epistolarum inveniri, quam hoc ipsum est, quod jampridem ego canto: cæteraque, quæ calamo exarata visuntur, fluxisse ab hoc prorsus puto, aut fortasse ab illo ipso, unde hoc descriptum fuit: neque enim negarim fieri etiam hoc potuisse; cujus tamen rei vestigium certum nullum vidi, nihilque contra correctum adhuc in his epistolis cognovi, cujus veræ lectionis non appareant vestigia in hoc meo exemplari, præterquam si qua conjectura restituta sunt: quæ ratio corrigendi veteres auctores quam lubrica et periculosa sit, arbitror me multis argumentis docuisse. Cum igitur post spatium XXXV. annorum voluntas tulisset, ut rursus hoc præclarum opus recolerem, atque id nunc facere a quibusdam familiaribus meis impulsus essem ac pene coactus, confugi iterum ad eundem illum librum, a quo primo tantum præsidii accepi, atque ipsum sedulo tractavi. Observavi autem in hoc quod soleo, et quotidie magis verum esse, custodirique debere intelligo, ut ne latum quidem unguem discederem ab auctoritate antiquorum librorum: in primis autem hujus, merito quidem mihi probati, exemplaris. Vellem Deus opt. max. mentem dedisset, ut idem facerent, non paucis, doctis et ingeniosis viris, et non tantopere illi, acumini sui ingenii indulgerent, meliore loco (ut arbitror) veteres scriptores forent. Quod si aliquando etiam labis aliquid mendique ipsa occupavit, quod speciem recti habeat: et non aperte culpa librariorum commissum esse

cognoscatur (neque enim inficior errata quædam hujusmodi in ipsis etiam aliquando inveniri) malo cum antiquis libris errare, quam nimio amore rerum mearum, arrogantiæque quodam genere unum aut alterum locum emendare, dum tamen, quod illis contigit, in multo pluribus labar ac peccem: quod commemorasse volui instituti mei defendendi causa, non consuetudinis aliorum insectandæ. Cum autem olim, incumbens in hanc curam, loca fere solum harum epistolarum, quæ videbar mihi restituisse, brevibus scriptis meis comprobassem, et non nulla quoque, quæ mihi suspecta erant, mendosaque videbantur, indicassem: nec multum studii potuissem in illis, quæ obscuriora sunt, declarandis, nunc in hoc meo iterato labore me aliter gerere decrevi: ac quæcunque putabo explicatione egere, aut aliquo pacto illustrari ornarique posse, notabo: nec cessabo etiam aperire suspiciones quasdam meas, et non pauca quæ in mentem mihi venerunt, non aliena (nisi fallor) a sententia auctoris elegantiaque Latini sermonis, quæ tempori illi reservavi: neque enim me adeo hebetis ingentii hominem esse puto, ut non possim, si velim, loca multa quæ depravata hic sunt, ita reconcinnare, ut sensus aliquis commodus inde eliciatur: enitarque demum utilissimum hoc multisque de causis amandum M. Ciceronis opus, quacunque ratione potero expolire. Quod tamen, ne nunc faciam, impedior nonnullis institutis meis laboribus ac pene ad exitum perductis, quos si absolvero, statim animum convertam ad hanc curam, ac fidem meam liberabo, utinam, in quo plurimum nunc laboravi, plenius efficere potuissem: cunctaque menda hinc tollere: restant enim non pauca: atque ea quidem adeo molesta, ut non videantur posse sine ope fidelioris libri alicujus ingenio tuto deleri: placet enim mihi plagas hujus pulcherrimi corporis aperire, quod sane non sine dolore facio: studium certe meum non defuit ac desiderium acre præstandi hoc, quod desiderium nunquam in animo meo, dum vivam, extinguetur: usu enim mihi venire credo in honesto amore harum epistolarum fidelissimique ipsarum exemplaris, quod in libidinoso amore semper contingere affirmat apud Euripidem Hecuba, ubi suadet Menelao ne patiatur imponi in eam navim, qua ipse (domum rediens) veheretur, recuperatam longo bello, impuram ac consceleratam mulierem, metuens ne vetus flamma rursus in pectore tenesi viri accenderetur: atque ita ipsa gaudere non posset supplicio Helenæ, quæ sibi universorum malorum, quæ cadere in hominem possunt, causa extitisset. Inquit igitur illa, Nullum unquam inventum esse amatorem, qui non perpetuo amaret: dilexi enim ego quoque vehementer, cum primum ipsum nactus sum, librum hunc, ac quotidie magis, perspecta ejus bonitate, multisque testimoniis confirmata, diligo: qui etiam amor me impulit ut ipsum collocarem in pulcherrima ac copiosissima totius orbis Medicea bibliotheca: ita namque ille magis ab omni periculo vacuus erit, quam si in privata domo custoditetur: et in claro illustrique loco positus, ante oculos non solum meos, verum etiam studiosorum omnium manebit: cum enim studium Cosmi Medicis, magni nostri Ducis, adjuvare volens, qui præclaram supellectilem librorum, acceptam a majoribus, auctamque magnis suis sumptibus, et gratia, qua floret, in pulcherrimo a se absoluto ædificio, consecravit, utilitatibusque litteratorum hominum exposuit, libros omnes meos antiquos, et Græcos et Latinos, quos longo studio ac diligentia mihi paraveram, ei dono dedissem, hunc etiam, delicias atque amores meos, ipsis adjunxi. Quo ex consilio hoc etiam boni redundabit, quod liber hic, in publico loco situs, me fide usum esse omni tempore in hoc munere obeundo, declarabit, et ne minuta quidem ulla et pusilla in re, fuco illo, aut fal-

lacia usum, quod in primis ego opto et officio famæque meæ opportunum esse judico. Sed de hoc nimis fortasse multa: quare desinam. Rogabo tantum cupidos liberalium studiorum, ut laborem hunc meum æqui bonique faciant; nec cessent ipsi, si aliqua ratione efficere possint, admovere manus huic maculoso operi: dummodo in eo caute moderateque se gerant.

Florentiæ, M. D. LXXI.

SEBASTIANUS CORRADUS LECTORI.

Quinque jamprope sunt anni, cum ego Venetiis cum Sylvestro Mauroceno Joannis F. viro, quem semper honoris causa nominabo, ita vivebam, ut nihil mihi neque ad animi tranquillitatem, neque ad otium deesse videretur. Id otii cum ego in Græcis litteris majorem partem consumerem, et jam tum deinceps in sacra philosophia consumere constituissem, adolescentes non pauci nobilissimi, et studiosissimi, qui me vel apud Egnatium præceptorem illum nostrum norant, vel Quæsturam, et τὰ σχόλια in epistolas, quæ familiares dicuntur, nostra tum primum descripta legerant, a me cum per se, tum per amicos communes summopere contenderunt, ut sibi Ciceronis epistolas ad Atticum subsecivis operis explicarem. Illos ego libenter sane quidem ad alios rejecissem, quod onus mihi gravius imponi videbam, quam quod possem sustinere; sed cum et illi valde instarent, nec ego soleam, quod a me honeste petitur, negare, id suscepi, et, ne, quæ interpretando vel invenissem, vel excogitassem, prorsus perirent, ea scriptis mandavi, non eo medius fidius consilio, ea, ut unquam apparerent, sed si unquam alias accideret, ut eas epistolas interpretandas susciperem, ea mihi soli ut prodessent, ut tres jam annos, quibus eas epistolas Regii publice sum interpretatus, profuere. Ut enim amicissimi mei Petrus Victorius, et Paulus Manutius viri doctissimi, et de litteris latinis optime meriti, plurimum operæ, et studii in eam rem contulerint, quia tamen neuter illorum totum opus exposuit, sed alter castigationibus, ut vocat, alter σχολίοις centum septuaginta summum contentus fuit: atque in eo opere declarando is est labor, cui nunquam exhausti satis est, ut inquit Poeta, mihi necesse fuit hisce tribus annis non ea modo, quæ Venetiis scripseram, iterum legere, sed alia etiam addere, multa comminisci, et nihil non tandem tentare, ut quam expectationem mei apud cives meos absens concitaveram, eam præsens sustinere, ac tueri possem. Non dico quid in ea re sim consecutus; illud dico, M. Antonium Flaminium, et Romulum Amasæum viros optimus, et homines doctissimos, mihique summa benevolentia conjunctos, superioribus mensibus Regium cum venissent, Pontificem Max. comitati, mihi auctores fuisse, ut, quæ intellexissent a me in epistolis ad Atticum interpretandis explicata, ea foras dari sinerem, nec paterer, quantum esse in me, librum longe omnium re vera, et doctissimi cujusque judicio utilissimum, de manibus hominum, rerum, quæ in eo sunt, ignoratione quasi deponi. His ego etsi poteram respondere: οὗτοι πέφυκα μάντις, et cur vos bovi clitellas, cum vestrum hoc sit onus? quia tamen sciebam et eos in aliis rebus multo majoribus, quæ ut spero, brevi apparebunt, occupatos esse, et id a me quasi debitum jam postulari, et pene flagitari, ut quemadmodum familiares olim, ita nunc epistolas ad Atticum illustrarem; quæcunque in eas vel scripseram, vel a me excogitata, et de superiori loco dicta memineram, collegi, et in commune contuli, sperans fore, ut aliquid opis, atque adeo lucis harum episte-

larum studiosis videar attulisse. Hæc tu, benigne lector, ita leges, ut ab homine profecta, qui unum illud egerit, ut tibi prodesset, putaritque id vel maximum suorum laborum præmium fore, si id esset consecutus; atque, ut ea commodius legas, et melius intelligas, placet rationem, quam secuti sumus, paucis exponere. Librum igitur cum libro, rem cum re, et tempus cum tempore ita conjunximus, ut, quod scripsit Cornelius Nepos, qui sexdecim hæc volumina epistolarum ab consulatu Ciceronis usque ad extremum tempus ad Atticum missarum legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Et sane Cicero historiam quasi contexere videtur voluisse, cum epistolas non solum suas, sed alienas etiam in hæc volumina referendas curarit. Epistolas nos ipsas multis locis ita permistas, et confusas, ut tibi chaos quoddam plane referrent, ad arbitrium nostrum et conjecturam secuimus, et divisimus, arbitrati, quamvis suo prorsus loco non fuerint sectæ, et divisæ, sic tamen et rem totam facilius intelligi, et, ne eadem sæpius repeterentur, te lector ad singulas epistolas ita numero signatas commodius rejici posse: præsertim cum sub eodem numero epistolas, et τὰ σχόλια nostra simus complexi. Neque tamen cur ita fecerimus, semper nobis rationem reddendam esse duximus: quæ et quivis per se intelligere poterit, et nos brevitatis in primis studuimus: in quo Græcos interpretes, et præsertim Homericum sumus imitati. De propriis nominibus cum doctorum hominum diversas opiniones esse videremus, quæ alii ne quærenda quidem putarent, alii vero epistolas hasce a nemine posse interpretari crederent, nisi ab eo, qui historias omnes etiam privatorum hominum ut ungues nosset suos, nos, qui neque multum, neque nihil operæ dandum huic rei semper censuimus, nomina eorum, qui vel ita ignobiles fuere, vel ita rejecti a scriptoribus, vel recepti illi quidem, sed ita cum illorum libris desiderati, ut vix, ac ne vix quidem inveniri posse viderentur, curiosis quærenda reliquimus, præsertim si ea cognosse non magni referre putavimus: illa vero, sine quibus res intelligi non poterat, quam diligentissime potuimus, sumus persecuti, neque tamen veriti sumus, ne, qua in re multis est Cicero ipse in his præsertim epistolis, in ea nos nimis curiosi esse videremur. Atque illud quidem in primis curavimus, ut Ciceronis epistolas ex Ciceronis epistolis, cæterisque ejus libris potissimum interpretaremur, et sæpe locum cum loco conferremus. Quod si forte quid occurrit, ut multa occurrere, ubi cæterorum scriptorum auxilio esset opus, nullum fugimus laborem neque illis legendis, neque his, quæ multa in hisce epistolis græce scripsit, recte vertendis. Quibus quidem in rebus nullius scriptoris nomen, quod in nostris familiarium σχολίοις scimus desideratum, tacuimus. A primo quidem non ita cogitaram, ut minima quæque quasi interpres persequerer: sed me postea et rei susceptæ amor et communis utilitas movit, et pene monuit, ut nihil fere, de quo vel dubitari posset, prætermitterem, præsertim si ab aliis aliter vel descriptum, vel interpretatum fuisset. Videmus enim nullum esse librum, in quo tam librarii, quam interpretes minus operæ, et studii posuerint: semper tamen excipio Andream Cratandrum, Petrum Victorium, et Paulum Manutium, qui pro virili parte laborarunt, ut librum nobis hunc quam emendatissimum traderent: quod illi, quæ fuit illorum diligentia, essent assecuti, si plures libros manu scriptos habuissent: sed cum duo tantummodo hujuscemodi libri qui auctoritatis aliquid habeant, hodie reperiantur, alter in Italia apud Petrum ipsum Victorium, qui Francisci Petrarchæ fuisse dicitur: alter in Germania, quem Beatus Rhenanus legit, et Cratander videtur secutus, et hi quoque, ut apparet, dimidiati, et corrupti, ex his difficile esset, vel po-

tius plane ἀδύνατον ita omnia restituere, ut nihil desiderares. Quare nobis et ea, quæ illi in medium protulere, accuratius consideranda fuere, et libri tum novi, tum veteres ad unum omnes legendi. Qua in re quid laboris tulerim, et intelligere possunt omnes, qui semel sunt experti, et tu, Lector, legens judicabis. Mitto nunc, quot libri manu illi quidem, sed male scripti, et pene lacerati nobis vel Venetiis, vel Bononiæ, vel alibi fuerint volvendi: quot de conjecturis doctissimorum hominum quasi conjecturæ faciendæ, quot denique opiniones, et interpretationes ex amicorum libris describendæ. Nihil dico de tempore, quod locis explicandis, quod αἰνίγμασι solvendis, quod notis interpretandis consumpsimus. Taceo quoque leges, plebiscita, senatus-consulta, et prætorum edicta: quæ nobis omnia vel invenienda, vel certe fuerunt explicanda. Illud unum dico paucis, nos pedibus et manibus contendisse, nullum fugisse laborem, nullam rei familiaris, aut temporis habuisse rationem, ut quod opus longe omnium difficillimum propter rerum ignorationem videbatur, nunc per nos quam facillimum, et planissimum exiret: quod si consecuti sumus, tu, Lector, Deo Opt. Max. gratiam habebis, et id boni consules, nosque amabis; sin sæpe, ut veremur, offendimus, tuum erit existimare nos homines esse, et quod præstare potuimus, ad omnium usum libenter contulisse. Vale. IV. Kal. Jan. M. D. XLIII. Regio Lepidi.

LEONARDI MALÆSPINÆ PRÆFATIO.

Non eram nescius, Lector, cum primum induxi animum, ut in his epistolis M. Tullii Ciceronis ad Atticum, vel emendandis vel explicandis elaborarem: quam difficile arduumque negotium, quam etiam invidiosum, calumniæque subjectum susciperem. Namque, ut omittam, quantum mihi, jam tum animo prospicerem, subeundum esse laboris, in conquirendis undique comparandisque vetustis libris, quorum est ingens inopia præsertim bonorum: quantum operæ in his uno tempore, non modo perlegendis, sed, quod est subodiosum, inter se etiam conferendis consumendum: illud, quantum videri debuit, quam periculosum ac lubricum, in summa lectionum varietate, varietate autem? fœditate ac deformitate, vel recte ac prava dijudicare, vel depravata corrigere, suamque his, quoad ejus fieri potest, speciem restituere, aut eam certe adumbrare? Tantum scilicet, quantum ii modo intelligunt, qui sunt in hac arena aliquando versati. Ut est enim dulce, quod dici solet, inexpertis bellum, ita iis, qui hoc luctationis genus non attigerunt, ludus fortasse videatur ac jocus, ex *Quidem erit, Quid emerit:* ex *Sciebam, Scribam:* ex *Sit tibi, Syttibæ*, facere. Tantumne est, inquiunt, in unius litterulæ aut syllabæ vel mutatione, vel trajectione, vel adjectione negotii? Sic illi, puto, cum locum emaculatum nacti fuerint. Quibus ego, ne diutius opinione fallantur, vehementer auctor sum, ut locum sibi ipsi aliquem male affectum proponant: suppeditabunt ii libri vel D C: in quo periculum faciant sui ingenii. Sentient, profecto sentient, quam sibi inaniter ipsi subblanditi fuerint: quam suam de se ipsi expectationem deceperint: esseque sibi negotium intelligent, cum monstris plus quam Herculeis. Quid? tu igitur, dicat aliquis, hancne tibi sapientiam asciscis præter cæteros, ut illud profiteare, cujus tu spem quodam modo reliquis, aut diminuas, aut præcidas? Minime ego quidem: nec sane est, cur asciscam: sed hoc volui dicere, opus quod institueremus, operosum esse, multæque contentionis:

et nos jam inde ab initio sic prævidisse, ut illud quoque, multos fore qui hoc nostrum consilium institutumque reprehenderent.

Audisse enim me quosdam memoria teneo, in eos graviter stomachantes, qui huic ipsi operi manus admoverent: non enim purgari libros, sed fœdari: non tolli vitia, ut existimantur, sed alia super aliis cumulari: dum quisque vel ex suis libris si suppetant, vel ex suo sensu, aliter atque aliter emendat, jam tutum ac certum quod sequamur, nihil relinqui: ut jam præstet ad Aldinos, atque his etiam vetustiores se referre. Jam vero, quod ad rem ipsam attinet, negotium sane leve esse, et ad eloquentiæ summam, nihil aut parum conducens. Quid enim tantum obsit, inquiunt, unius atque alterius vocis aut sententiæ nonnunquam ignoratio, quæ tamen nihilo minus aliunde, non uno ex loco, sed pluribus si res poscat, abunde tibi possis comparare? Prudentis enim gubernatoris esse, quoad ejus fieri potest, scopulos declinare, nec committere, dum, aut animi pertinacia, aut levitate evectus, rectum tenere cursum prorsus contendat, vel ad saxum adhærescat, vel, si illud tamen veluti Xerxes perfregerit, cursumque sibi aperuerit, serius in portum, quam suis rationibus expediat, pervehatur: magnaque boni otii jactura, tantula victoria constet. Postremo addunt: hoc, eo etiam odiosius, minusque ferendum esse, quo hoc malum, optimo fortasse animo commotum, ita brevi, non serpserit, sed irruerit atque invaserit, ut et novi quotidie emendatores per ambitionem existant, et libri per licentiam deteriores: ut nisi provisum sit, sane paucis annis, non Ciceronem ac Livium, non Plautum ac Terentium, sed mera insomnia audacissimorum hominum simus habituri.

Hæc illi, atque his fortasse plura: quæ, cum mihi videantur per delicias potius atque ineptias, occultæ tamen invidentiæ, sed quæ appareat, implicitas, quam vere atque ingenue prolata, deterrere me ab hoc conatu non potuerunt. Sunt enim quidam sensu sic depravato, ut cum alienæ industriæ habere gratiam debeant, invideant: et quod ipsi præstare non possunt, damnent in aliis: laudemque prudentiæ atque doctrinæ, non tam ipsi scribendo, quam aliorum scripta insectando, aucupentur. Qui tamen ipsi (ut animi morbum agnoscas) si quid in eo genere forte excogitaverint, hoc non modo non dissimulant, non comprimunt, sed quasi Ilium expugnaverint; ostentant, triumphant: nec minus, quam qui thesaurum invenerint, exultant: ut intelligamus hæc eos, non judicio, cum hinc sibi laudem petant: sed obtrectandi studio culpare. Et me Hercule, si verum dicere volumus, quotusquisque est hodie, qui si in locum depravatum, inter legendum inciderit non primum ægre ferat, in ipso quasi cursu, velut ad metas adhærescendum esse? deinde, ne lectionis fructu privetur, semel atque iterum tentet, si quam rationem possit inire explicandi sui, locumque corrigendi? et, si id ex sententia ceciderit, non vehementer lætetur, non modo quia mentem auctoris assecutus sit, sed multo etiam magis, quia auctor ipse sibi sententiæ illius quodammodo videatur, cui in mentem venire potuerit, quod et illi ipsi? Natura comparatum est hoc, et, ut cognoscendi cupiditas, nobis penitus insitum. An vero naturæ opus esse negemus, ad quod æque omnes desiderio duci fateamur? Ergo animum inducere sustinebimus, ut messes improbemus illas, quorum sementem in nobis ab ipsa fieri sentiamus? Nimirum pravitatis hujus fons atque origo, livor est. Nam de iis, qui sensus infirmitate atque imbecillitate delinquunt, nihil plane dicimus: qui quanquam minus sunt odiosi, quam qui malevolentia concitantur (levior enim offensio est ejus, qui per imprudentiam, naturæque vitio, quam qui sciens ac prudens, in fraudem incidit) tamen emendari vix possunt. Hos ergo

missos facio: cum his mihi negotium est, qui peccant dedita opera, et fortasse etiam deliciarum causa: quibus tamen respondere supersedissem, ratus, doctis et judicio præditis hominibus, satis jam factum esse: nisi vererer, ne, si isti tacitum ferant, non tam noluisse nos, quam non potuisse respondere, prædicent. Et simul iis consultum esse voluimus, qui longius videre non queunt. Ergo, quid illi criminantur? Contaminari libros, non purgari. In quo eos justissimam habere causam fateremur, si quemadmodum sibi suo quodammodo jure ipsi sumunt, ita esset. Nunc, quis est adeo rerum imperitus, quis ita peregrinatur a litteris, quin sciat, hæc Ciceronis ad Atticum epistolarum volumina, (nam de cæteris ejus scriptis atque etiam aliorum silebo) hæc vero quis ignorat ante annos quadraginta, perpaucorum hominum in manibus fuisse? Quid ita? Aiunt nonnulli, quod ænigmatis de industria obscurata, nulla vi ingenii possint intelligi. Non negamus esse quædam illiusmodi; sed ea tam rara esse dicimus, ut a reliquorum lectione arcere homines non debuerint. Vulnerum quibus confixa erant calamitas, hanc culpam verius sustinebat: quæ cum essent innumerabilia, rem in eam opinionem adduxerunt, ut quidquid minus perciperetur, id ænigma putaretur: cum plerumque peccata essent, tum librariorum, dum minus quam oportet, officio suo intenti essent, tum fortunæ cujuspiam culpa, contracta: qua hæc, præter cætera scripta Ciceronis, misera adversaque usa sunt. Quare quid sibi velint ii, qui mendis, nostra opera inquinari libros queruntur, non satis percipio: illud quidem intelligo, doctissimorum hominum cura ac diligentia factum esse, ut quæ antea vix ab ullo attingerentur, nunc omnium manibus tractentur, volvantur, terantur. An vero ii visi sunt, cum hoc fecerunt, oleum, et operam perdere, cum instrumentum nobis illud restituerunt, quo haud scio an aliud inveniri possit majus, sive quis pure, apte, copioseque dicere, sive prudenter velit? Nam mea illa semper opinio fuit: cum dicendi ratio, tum verbis, hisque vel singulis vel conjunctis, tum rebus ipsis constet: neque res hic deesse, cum memoria annorum circiter triginta (ut omittam alias utilitates) his colligata libris sit: et verborum in omni genere dicendi, sed in fortuito ac familiari sermone, ingens hinc vis et copia suppetat. At possis eadem ex aliis ejusdem libris, ne sit tantum boni temporis consumendum. Quid si illi itidem corrupti sint? Quid si in his singularia quædam sint, quæ alibi non reperias? Nimirum putida est hæc et odiosa sedulitas. Illa propemodum non injusta, quæ modum in his quærit, et licentiam cohibet, novarumque lectionum cupiditatem; qua factum sit, ut legentium sæpe sententia fluctuet, certique nihil habeat.

Nos tamen sic statuimus, cum duæ sint emendandi rationes, una quæ in veterum librorum integra scriptura, altera quæ in conjectura suspicioneque cernatur; illam quidem tutam esse, sed quæri optarique sæpius, quam optanti quærentique occurrere, ac se ostendere. Quod ita esse, eos intelligere certo scio, quibus studium fuit, hæc, vel primoribus digitis attingere. Hæc ergo felicitas, cum perraro contingeret, hanc sibi veniam docti postulaverunt, ut altera liceret uti, quæ in conjectura sita est: quam qui omnem prorsus exsibilant, et quasi majestatis damnatum, aqua ignique interdicunt, ii mihi mala ratione facere videntur; nec satis quid in quaque re sit, posse dispicere. Ego contra nullam rejicio: sæpe enim ad veritatem ducit: sed non omnibus locum do. Cum enim conjecturæ ratio multiplex sit, ex mutatione, trajectione, additione, mutatione litterarum: ex sententia atque historia, penitus damnata ac repudiata scriptura: quæ a proposito declinet, quæve collimet, vel mediocriter eruditi facile sentiunt. Protinus enim, si bo-

nà est, animus acquiescit, ultroque arripit: sin minus acquiescat et arripiat, certe melius desiderat. Quare de hac re ita censeo: ei quæ doctorum hominum judicio probetur, sive illa ex scripturæ vestigiis, quæ et tutior est; sive, ubi vel desint, vel certe non extent vestigia, ex historia atque ex ingenio facta sit: dum ne verbis inferciendis, corrosa mutilataque loca, quasi rimas expleat, locum esse, in serie verborum, velut justis equitibus in quatuordecim ordinibus, dandum. Quod quidem hactenus factitatum esse, vel ex uno atque altero harum epistolarum libro, sexcentis in locis facile possim ostendere: in quibus aliter atque in manuscriptis legitur, impressum est, et communi quasi judicio admissum. Siquidem non esse omnia in consensu exemplarium, judicioque aliquid dari, illud argumento est, quod non raro unius auctoritas multis præponitur. Cui vero animus vix, aut ne vix quidem assentitur, ne ei quidem conjecturæ, theatri aditu prorsus interdicendum puto, dum ne eadem sede dignetur. Nam neque aliarum luminibus obstruit, in imo jacens, et sæpe ascensum, quamvis per incisos maleque hærentes scalarum gradus, fortibus parat. Hujus ergo modi conjecturæ, seu mavis suspiciones ac divinationes, (sic enim appello eas, quæ prorsus a scriptura discedunt, citiusque sententia, quam scripto nituntur) in medio relictæ, quid tantum officiant, non video, etiam si variæ inter se, dissidentesque sint. Nam et in locis depravatis adhiberi solent, ut damni jam nihil fiat: et ad veritatem aliquando perducunt, atque adeo perduxerunt, aut etiam ipsæ veræ sunt.

Sed neque illud obest, plurimos hodie huic operi manus admovisse. Si enim ubi complures diutius jaculantur, ibi accidit aliquando, ut aliquis signum feriat: cur non hic etiam usu venire credamus, ut hoc, quod multi petant, quoque nervos ingenii sui contendant, aliquis assequatur? Vidi ego nonnullos, qui, quæ alii pro derelicto habuerint, ipsi, ut postea ex vetusto aliquo exemplari cognitum est, sanaverint et illustraverint. Quo in genere, solertissimum cognovi Gabrielem Faernum, amicum meum; cujus ego, paulo ante extincti, aut potius ad meliorem vitam (ea innocentia fuit) traducti, desiderium ferre vix possum. Hoc scripti ab eo libri in Terentium, Plautum, Livium, ipsum denique Ciceronem, testarentur, si foras dati fuissent. Sed eos audio, apud studiosissimum bonarum artium adolescentem simulque et clarissimum Cardinalem Carolum Borromeum eo consilio servari, ut commodius edantur. Hic tamen, licet perspicax fuerit, ad Octavii Pantagathi gloriam in hoc, sicut nec cæteris in rebus ac disciplinis, non pervenit. Hunc enim unum ex omnibus, in omni judicio politissimum et elegantissimum, sæpe mirari soleo: quem qui Varronem seculi hujus appellant, næ illi mihi visi sunt, quid maxime deceat intelligere. Sed, ut in pauca conferam, non est eorum hominum industria contentioque infringenda, quæ nocere nihil posset, juvare possit. Eorum tamen, si qui sunt, quos equidem nescio, licentia ferenda non est, qui ut uni sapere, et sui aliquid afferre videantur, recta etiam depravant: sed censeo tamen etiam atque etiam videndum, quæ illi prava, quæve recta vocari velint.

Nos quidem non pauca in his ipsis epistolis deprehendimus, speciem quidem præferre naturalis partus, sed adulterina esse, et subdititia. Deprehendimus autem hoc modo. Cum enim ita statuerim, nihil ab hoc prudentissimo, omnibusque et doctrinæ et naturæ præsidiis munito ad dicendum magistro, nisi perfectum, atque omnibus numeris absolutum gigni posse: sive ei meditata et elaborata, sive subita et fortuita oratione utendum esset: si quid in ea inveniatur nonnunquam, non dicam parum latinum, aut secum ipsum vel cum veritate pugnans, (nam id quidem piacu-

lum, nedum stultum esset cogitare) sed involutum, inane, jejunum, frigidum, subinsulsum: illud sine controversia, mendo non carere: nec satis illud esse sententiam habere aliquam, cum optima ab eo postuletur. Ergo in hoc casu, si quis locos id genus in dubium vocet, quod nos quandoque fecimus, is recta depravare existimandus non est: quin illi gratia habenda, ut bene merito: cum recta, sua se vi et veritate tueantur ac defendant, prava, nisi aperiantur, corrigi non possint. Omnino persuasum mihi est, antiquorum libros, erroribus carere non posse. Nam si M. ipse Tullius, se vivente, et prope dixerim, spectante, queritur suos libros, scriptorum negligentia corrumpi: quid nobis de his sentiendum, post mille sexcentos prope annos, jam inde ab eo tempore, tot hominum manibus exscriptis: quibus, ad negligentiam, linguæ etiam imperitia accederet? Equidem mirarer magis, portentique simile ducerem, si integri ad nos singuli pervenissent. Atque hæc calamitas, cum ad omnium veterum scripta, tum hæc Ciceronis ad Atticum pertinuit, quæ malo quodam fato pessime accepta fuerunt, atque ita toto corpore discerpta ac deformata, ut cum nihil his candidius, purius, castius cogitari fas esset, jam miserius, perditius, fœdius inveniri nil posset. Quo minus fraudi mihi esse debebit, sicubi videbor, quod multis annis ratum alii habuerunt, illud ipse quasi rescindere. Rationum momenta attendenda erunt, non illorum præcepta opinio, qui, misera quadam et importuna religione impediti, dum scripturam defendunt in eaque omnia ponunt, fatua quædam nonnunquam, et a vera sententia discrepantia comminiscuntur.

Ergo ut ad te aliquando me referam, Lector prudentissime, tute ipse cum animo tuo reputes licet, quam illi inique faciant, quamque de hominum genere male mereantur, qui hanc ipsam emendandi rationem ac potius pietatem damnent, aut certe non laudent: nunc mea mihi apud te causa agenda est contra eos, qui cum rem studiumque non reprehendant, me tamen, qui jam inde ab adolescentia in cœnobio degam, eamque vitæ rationem secutus sim, quæ in dicendi exercitatione tantum operæ ponat, quantum sibi ad honestissimarum artium perceptionem, sensuumque nostrorum explicationem, satis esse videatur: reliquos suos conatus et studia, ad sacrarum scripturarum intelligentiam vel referat, vel referre debeat: ea nunc omnia, in his facultatibus tractandis explicandisque consumere, quæ Christianæ religionis nihil habeant, haud sane probent. Nam quod hæc quidam nostra contemnunt ante, quam legant, aut ne legant quidem, ut hominis ex eorum numero hominum, quibus illi fortasse disputandi facultatem scholastico more institutoque concedant, ornate dicendi auferant: subtilitatum Divi Thomæ, Scotique et reliquorum classis ejusdem tribuant, oratorum poetarumque gustum adimant: non valde me perturbat. Equidem sic statuo, quod et ipsi, nisi nos stipites ac truncos esse velint, fateantur necesse est, nostris ingenium nec deesse, nec defuisse unquam; sed sui ordinis instituta studiaque secutis, magna atque præclara, si in his minores apparent, ignoscendum esse: dicendi gloria delectatis, non esse auctoritatem abrogandam: nec ex aliquorum infantia, de omnibus judicium faciendum. Sane e familia nostra, ut de reliquis taceam, in suo quibusque studio nobilissimis, unum atque alterum possim afferre, ne plures dicam, cum quibusvis ætatis hujus eloquentissimis hominibus conferendos: qui si huc se rejecissent, nihil esset, cur ii nostrum genus tantopere fastidirent: sed alius illi intuentur, majora divinioraque spectant, quæ neque nos unquam negleximus, idque nos aliquando declaraturos speramus: sed alia quædam ratio, non injusta qui-

dem, alio nos traduxit: quam si tibi probare velim, candide Lector, ut honoris mei causa sane cupio, vetustior mihi memoria repetenda est. Namque ab hinc annos paulo plus duodecim, cum optimum et clarissimum virum Nicolaum Rodulfum Cardinalem patronum meum, decus et ornamentum ordinis illius, Balnearium secutus essem: quo se ille quotannis, prolatis rebus conferebat: non modo, ut æstivos calores Romanæ urbis declinaret (est enim locus ille umbrosus et salubris, fluentesque et gelidas habet aquas, atque eas uberrimas, illius opera, in latissimum vivarium primum exciso monte, inde in oppidum, ædesque adeo ipsas deductas, ut alsius, venustius, suavius esse nihil possit) sed etiam, ut aliquando sibi ab arbitris et quotidiana interpretatione remoto, liceret vivere: cumque ibi pomeridianis horis, cum se jam calor paululum fregisset, hoc ipsum epistolarum volumen strictim attingeremus, egoque ut sunt hominum sensus dispariles, ab iis, qui insigne aliquod in eas ingenii sui monumentum reliquissent (omnes enim habebamus) alicubi dissentirem: et ne hoc uno studio tantum delectatus viderer, periculum aliquando ipse facerem, num loca ab eis vel neglecta, et quasi percipi non possent, deposita et desperata, vel emendata quidem, sed non ita, ut sibi ipsi satisfacerent, ipse aperire, in melioremque formam, vel exemplarium, quæ tum pauca habebamus, auxilio, vel ingenii vi, cujusmodi in me esset, restituere possem: atque ea essent non pauca: placuit eidem patrono meo, ut litteris consignarem. Itaque toto illo calorum tempore, quinque libros confeci. Sed heu, mens hominum, heu venturi nescia fati! cum redissemus in urbem, ecce fulmen: Paulus Farnesius Pontifex Maximus, quem propter immortalia in omne hominum genus beneficia, æquum erat, nostrisque rationibus conducebat, esse immortalem: sed is tamen cum suum diem obiisset, extremumque vitæ spiritum edidisset, haud ita post, et patrono ipsi meo, dum Patrum senatus ad novi Pontificis creationem convocatus esset, resque, ut sæpe accidit, longius duceretur: repentina quædam vis morbi, in optima spe altissimi gradus civitatis, vitæ finem attulit, et studia illa nostra restinxit. Quapropter annos aliquot, litteram eo in genere nullam fecimus. Nam, etsi in his indormire non plane soleo, attamen hominis illius nutus et significatio quantam mihi facem admovebat? Tantam scilicet, quantam decuit admovere eum, de cujus egregia erga me voluntate, certa sæpe pignora cepissem? quique litteratos homines, et insigni aliqua arte ornatos, quos ille domi, non inani quadam specie, aurave populari, qua plerosque duci non ignoramus, sed veritatis virtutisque amore incensus, complures haberet, summisque honoribus ac præmiis afficeret: ipse, cum liceret per rempublicam, nullam pene horam amitteret, de rectis studiis, cum iis vel loquendi vel meditandi. Fuit omnino vir ille, cui passim omnes testimonium moderati et ad honestum otium nati animi, sine controversia darent: fortis etiam et prudentis, qui eo familiarius uterentur: quo id minus testari orbis terrarum posset, quidam hominum fraudem et perfidiam (nam reliqua satis prolixa videbantur) accusant: nos fata tantummodo, aut potius inscrutabilem summi numinis voluntatem, causam fuisse judicamus. Esset hic forsitan locus, casum hominis vicemque deplorandi, nisi tanto intervallo verendum esset, ne non modo importuni, sed etiam inepti videremur. Quare, abeat ille optimis ominibus, nos ad institutum sermonem revertamur. Hanc dicimus cessandi nobis causam, complures annos fuisse: quoad jussu doctissimi et gravissimi viri Marcelli Cervini tum Cardinalis, in cursum revocati sumus. Jamque opus ad finem pene perduxeram, cum ille Pontificatum cepit. Sed, ut sunt res hominum fluxæ atque incertæ, ante erep-

tus e vita, quam quid esset agnoscere, ut ita dicam, posset. Ergo ut hæc rursum abjicerem ac damnarem, cum acerbum hominis fatum, tum consecuta nostra tempora, quibus usque adeo vexati fuimus, vix ut consistere potuerimus, effecerunt.

Verum, quo hæc nostra tam longa spectat oratio? ut si quis forte in persona hominis sacerdotis, studium hujusmodi, quod quidam profanum solent appellare, reprehendat, huic nos duos præstantissimos sacrorum, religionis, ceremoniarumque antistites, quorum de sententia et auctoritate rem suscepimus, opponeremus: quibus omnino impium fuit hominibus sanctissimis non obtemperare et obsequi. Quanquam, si hoc quidem vitio datur, eripiatur e sacerdotum manibus vel Aristoteles ipse: abjiciatur vel Plato: quorum neuter, omnium bonorum sententia, nec scriptor gravior aut religiosior: nec civis integrior, aut honestatis, temperantiæ, justitiæ, constantiæque retinentior. Divum certe Augustinum, Christianæ reip. columen, insignique doctrina et pietate præditum, non puduit fateri, et litterarum quoque monumentis testatum relinquere, se, viri hujus lectione, principio mentem avertisse a mundo, et ad Deum erigere sustollereque cœpisse. Sed quid ago? Quasi non hæc in eis culpari soleant, qui posthabita cura sacratissimorum librorum, in his versentur tantummodo et acquiescant. Quod equidem ego pro vitæ meæ ratione, ne mihi posset objici, etiam atque etiam cavi. Nam ne tum quidem, cum huic uni rei maxime studerem, diem ut præterirem commisi, sine linea: quin idem mihi dies finem pene attulit eorum studiorum, qui et viris illis vitæ. Itaque jacuerunt hæc dein in tenebris, et jacerent adhuc, (neque enim ego ea multum amabam) nisi amicorum, quos complures habeo eruditissimos, non modo vocibus, sed quodammodo etiam conviciis, in aspectum lucemque evocata fuissent, et quasi ab Orco excitata. Qua in re (fatendum est enim) plurimum apud me valuit, eximia spe, summæque virtutis adolescens Alfonsus Cardinalis Carafa: quem ego cum ad reliqua studia præclarissima, tum ad dicendi gloriam ita incitatum vidi; ita magnos progressus jam fecisse, ut aliis disciplinis avitum nomen æquaturus esse videatur, dicendi laude, etiam superaturus. Et sane apud me, eo etiam pluris esse illius auctoritas debuit, quod tota natio familiaque nostra, in ejus fide jamdiu clientelaque sit: ut suo etiam jure quodammodo, ut patronus imperare potuerit. Ii ergo auctores mihi fuerunt, ut hæc emitteremus: quibus haberi gratiam volumus, si hoc industria nostra assecuti sumus, ut ex parte aliqua, studia juventutis juvaverimus: sin minus, ignosci tamen facilitati meæ, qui officio monitus, illorum obsequi voluntati maluerim, quam existimationi meæ. Me tamen res una illa consolatur, quod multis sæpe argumentis didici, paria in his momenta et integritatis animi, et judicii reperiri: ut nec aliter ac sentiant loqui, nec sentire nisi egregie ac sapienter potuerint. At, prope est, dicat aliquis, ut eam tibi laudem tribuas, quam nescio an quisquam nemini: ut nihil offenderis, nihil titubaveris. Nequaquam vero: neque enim usque adeo insanio: sed fateor me, ut non pauca recte excogitare, ita non raro etiam, ut fert hominum natura, in saxum ut dicitur impingere, et existimatione falli potuisse: sed tamen illa ipsa, quæ recte dici viderentur, viros illos in eam mentem induxisse, ut me ad editionem hortarentur.

Satis jam mihi videor, causam tibi meam probasse, Lector candide, adversus eos, qui in mea persona, hæc studia non ferant: restat ut fidem moresque meos probem. Sunt enim qui emendatores in hanc calumniam vocent, ut eos dicant, quo suis opinionibus fidem faciant, falso nonnunquam vetusta exemplaria laudare, contentos confuse atque permixte di-

cere, Quidam libri sic, aut sic habent. Nos ergo quo eam fugeremus, nunquam aut perraro hoc modo nostra confirmamus: et tamen si quando accidit, unum aut plura ex his intelligi volumus, quæ nominatim appellavimus. Undecim vero habuimus, ex quibus quinque cum vulgata Manutii atque etiam Victorii editione, diligentissime conferentes, a carceribus, ut dici solet, ad calcem usque percurrimus: nempe Faerni duos: quorum unum, Romanum exemplar appellare soleo, quod sub id tempus Romæ impressum fuerit, quo hæc typis excudendi ars, divinitus est inventa: alterum Faerni ipsius nomine, valde probum et antiquum: quos ambos apud eos esse arbitror, qui librorum ipsius fuerunt heredes. Guidonis Lolgii item duos: unum manu Poggii Florentini (ita enim in fine libri legitur) descriptum, ab editione Victorii, sive Græca sive Latina spectes, non magnopere diversum: alterum recentiorem, quem librum Lolgii ubique, ut illum Poggii voco, quos qui volet (ea est hominis humanitas) arbitratu suo poterit inspicere. Quintum e bibliotheca Dominici Grimani Cardinalis accepi, quam vir ille clarus et magnus, in nostris ædibus Antonianis Venetiis exædificavit, omniumque librorum copia et varietate instruxit atque ornavit: quæ nemini clausa est, invisere volenti. Hos ergo quinque in potestate habui, totosque cum totis syllabatim fastidioseque contuli: reliquos sex, quod nihilo meliores comperiebam, prout res tulit, consului potius aliquando, quam legi: in quibus tres fuerunt doctissimi viri Bernardini Maffei Cardinalis, quos penes heredes reperire licet: unus Cardinalis mei, qui post obitum illius, cum reliqua optimorum librorum bibliotheca, in manum venit clarissimi Imperatoris et fortissimi hominis Petri Strozæ, non minus latinis græcisque litteris, quam animi magnitudine, qua cæteros superavit, præcellentis: quam omnem bibliothecam, audio Philippum filium, cum reliqua cum pecuniarum, tum virtutum paternarum hereditate crevisse. Reliqui duo libri, alter apud Octavium Pantagathum erat, cujus ille mihi copiam, quoticscunque volui, ultro fecit: quem tamen aiebat fuisse eruditissimi viri, et innocentissimi episcopi, Antonii Augustini: de quo vere hoc tempore affirmare possumus, quod suo de Q. Scævola dixisse Crassum, M. Tullius scribit: esse illum jurisperitorum eloquentissimum, et eloquentium jurisperitissimum: alter in nostris ædibus Divi Servatoris Bononiæ, in locuplete et ornatissima bibliotheca: quem ego ea præteriens, aliquot in locis, ut fit, nullo ordine attigi. His ergo omnibus usus sum: quos ego, quorum in manu essent significare volui, ut, si cui fides nostra in suspicionem veniret, is haberet unde eam posset deponere. Nos certe ut a culpæ conscientia absumus, ita omni suspicione mendacii carere volumus.

Emendationum vero et *suspicionum* inscripsimus: ne eodem loco videremur habere et quæ ex ingenio, et quæ ex vetustis libris restituta sunt. Nam cum sciam, scriptum, imaginem esse scriptoris voluntatis, hæc atque illa, in æqua lance non pono: sed correctiones et conjecturas, his divinationibus præfero, quas nobis ipsi formamus: si et Cicerone dignæ illæ sint, nec historiæ sententiæve repugnent. Ita enim judicium sequi malo. Siquidem ob easdem causas, unius libri auctoritatem, multorum sæpe consensione, potiorem antiquioremque ducimus. Et tamen ubique fere assensionem sustinemus: nostrarumque omnium existimationum, doctorum hominum judicium esse volumus. Unde factum est etiam, ut cum his nostris vigiliis, epistolas ipsas, de integro ne excudendas curaremus: sed postremam editionem Manutii, epistolarumque sectionem omnem secuti pene simus: lectores monentes tantummodo, si quid aliquando vel aliter scriptum in meis exemplaribus inveniretur, vel melius

a nobis excogitatum videretur. Nam si undique purgata esset, vitiique nihil haberet, inanis et ridiculus fuisset conatus hic noster. Nunc vero, non paucis adhuc mendis inquinatam accepimus: atque ita dimittimus, ut campus aliis quoque relictus sit (vellem ereptum) ubi ingenium industriamque suam atque vires exerceant. Nobiscum præclare actum videbitur, si possimus dicere, ut quando omnem non valuimus, aliqua ex parte meliorem reddiderimus. Qua quidem in re, sæpe mihi Octavius Pantagathus, oraculum, ut sic dicam meum, subsidio fuit: sæpe Donatus Jannoctius; ad quem dum Nicolaus Rodulfus vitam ac spiritum duxit, nosque una fuimus, si quid deliberationis egeret, referebam: hominem acri certoque judicio: quod testatum esse volui ad memoriam sempiternam. Studiosos autem bonarum artium oratos velim, ut se nobis benignos æquosque præbeant: ut si non pauca commode dixisse videbimur, ne quod non potuimus reprehendant; et, si qua in re, ut necesse est, offendimus, id tanti ne sit, ut illa etiam quæ forsitan sint laudanda, obscuret et obruat. Sane quidam hodie iniquissime faciunt, qui in alienis laboribus, vitia acutissime videant; et magna voce pervulgent; ad recta conniveant; ac perpetuo silentio involvant; tantum suæ laudi, demptum existimantes, quantum cedant alienæ. Illud admonendum videtur, nos officium quidem correctoris, sed sicubi quid mihi aut mei similibus, dilucidum minus est visum; vel ab aliis omissum: (neque enim actum agere volebamus) vel aliter ac mihi videretur explanatum: etiam expositoris executos esse. Argumenta in libros singulos earum rerum, quæ historiam tantum illorum temporum, non etiam res privatas domesticasque contineant, confecimus: moniti in primis, Cornelii Nepotis verbis, quæ sunt in vita Attici, de eo sic scripta. *Quanquam eum præcipue dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros in quibus de eo fecit mentionem, qui in vulgus sunt editi, sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus, ad Atticum missarum. Quæ qui legat, non multum desideret historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in his non appareat; et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solum quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Hæc ille; quæ huc eo libentius transtuli, ut ad horum lectionem librorum, animatus vehementius sis Lector, unde intelligas te, non modo eloquentiam, latinique sermonis puritatem, sed prudentiam quoque et sapientiam posse referre. Atque hic mihi modus finisque sit præfationis meæ. Anno MDLXIII.

SIMEO BOSIUS LECTORI.

Usus sum in his epistolis emendandis tribus exemplaribus manuscriptis; quorum duo antiquissima erant et optima, Tornæsianum, ex cujus fide pleraque integritati suæ restituit Lambinus, quæ erant antea valde depravata: et Decurtatum, quod ipse ante annos quindecim a gregario quodam milite cum aliis aliquot libris calamo exaratis comparavi, et bibliothecæ cujusdam sacræ direptione, tamquam e periculosissimo naufragio, servatum. Id autem plurimis in locis emendatius scriptum reperi quam Tornæsianum. Quanquam erant in eo multa lacera, deerantque alicubi integræ paginæ, totique ultimi duo libri. Qua de causa codicem eum Scidas, aut Decurtatum appellare soleo. Tertium mihi

præbuit ornatissimus doctissimusque vir Erricus Mommius, secretioris consilii Regii consiliarius, qui eum a clarissimo viro J. Huralto Boetalerio utendum accoeperat, ut ejus mihi copiam faceret: quo libro usum etiam Lambinum video. Sed is, ut non tam vetus erat, quam superiores illi duo, ita scripturæ integritate multum illis cedebat. Adjutus eum præterea codice quodam excuso Lugduni, qui olim fuerat Petri Crusellii, medici apud nostrates celeberrimi; ad cujus libri oras doctus ille vir varias lectiones appinxerat, a se, ut ipse dicebat, diligentissime, et summa fide e vetustissimo, et castigatissimo libro Noviodunensi descriptas. Horum igitur librorum fretus auxilio, infinitas propemodum maculas ex his epistolis abstersi, et, quantum in me fuit, lumen obscuris multis locis attuli. Sed de toto hoc studio, opera, industriaque nostra judicium penes lectorem esto.

De ordine epistolarum, quæ his libris continentur, hoc semel dictum volo: quicunque eas primum digessit, ut hodie legantur, eum non servasse temporum rationem quo scriptæ fuerunt. Verum quia non alio ordine extant in libris antiquis, quam in vulgatis, hunc errorem potius ferendum duxi, quam ex opinione quicquam mutandum.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS LECTORI.

Habes sic sedecim Ciceronis ad Atticum epistolarum volumina, quæ partim per diritatem temporum, partim per fatorum insignem illum bibliopolam, Danielem Elsevirium, qui illorum editionem suis typis procurandam susceperat, nobis eripientium acerbitatem, dirutius aliorum spe, nostrisque votis inter operarum manus fuerunt jactata. Quam rationem in iis edendis secuturus fuerim, declaravi dudum in proœmio, quod præfixum est illis, quæ dicuntur ad Familiares scriptæ. Ipsum Ciceronis contextum maxime composui ad Petri Victorii, cui Cicero præ cæteris salutem debet, editionem postremam, quæ Florentiæ prodiit apud Juntas M. D. LXXI. Hanc, cum rarissima sit, et a paucis in his terris visa, mecum communicavit magnum illud non Etruriæ solius, sed Europæ decus, omnium eruditorum amor ac deliciæ, Antonius Magliabechius, cujus bene de omni doctrina, et quicunque dignitati ejus tuendæ serviunt, merendi studium ut nunquam fatiscit, sic nec laus ejus, omnium ore celebrata, sed omni præconio major, unquam conticescet. Post Victorium, Ciceronis et multorum aliorum præstantium scriptorum Æsculapium unicum, quamvis multi, iique primarii in republica litteraria viri, Paulus Manutius, Sebastianus Corradus, Leonardus Malaspina, Dionysius Lambinus, Fulvius Ursinus, in istis epistolis integritati restituendis, adhibitis omnibus ingenii, doctrinæ, industriæque præsidiis, elaborarint; nemo tamen plus opis ad præclaram hanc rem contulit, nemo plures fœdioresque maculas delevit, et plura dilucidavit obscurissima loca, quam Simeo Bosius Lemovicum prætor eruditissimus, usus tribus optimis codicibus vetustis. Ingenio is erat acuto, sed nimis ingenio suo favebat et indulgebat, conjecturas non paucas, quas ex corruptis et exoletis membranarum vestigiis faciebat, ipsi Tullio supponens, invitis Musis et Gratiis, quæ pudorem in primis requirunt in iis, qui antiquorum scripta recognoscunt et interpretantur. Excessit medicina modum. Remedia vulneribus ipsis sunt graviora. Si suas de locis depravatis cogitationes in annotationibus subjectis exponunt, nemo reprehendit: sed si suspiciones suas pro genuinis scriptorum dictis venditant et inculcant, merito damnantur a cunc-

tis, qui reverenter habent istas venerandas priscæ sapientiæ et doctrinæ tabulas, quæ emerserunt ex illo fœdissimo naufragio. Admisi ego quæcunque librorum antiquorum fide refinxit Bosius egregie; conjecturas meras et ipsius et aliorum, nisi Euclidea quadam ratione firmentur, ut ne Pyrrho quidem de iis dubitare possit, rejeci, maluique cum Victorio corruptam veterum codicum scripturam retinere, quam nostrorum hominum commenta Tullio subdere. Miror Janum Gruterum, naris emunctæ senem, in sua Ciceronis editione, quam merito magni faciunt omnes, in his epistolis ad Atticum ne latum unguem a Bosio discessisse. Ego quidem probo plurima in Bosio, sequor divisionem ejus epistolarum, pulcherrimas emendationes ex optimis libris depromptas arripio, sed audacem nimis interpolationem, nulla suffultam librorum auctoritate, probare non potui. Præter notas, quas ipse juris publici fecit Bosius, leges hic nonnullas ineditas ante, quibus priores auxerat sua manu. Eas excerpsit, et mihi misit civis Bosii, Stephanus Balusius, non minus candore et diligentia in eruendis antiquis Ecclesiæ Christianæ monumentis, quam solertia et doctrina in iis illustrandis ubique gentium celebris. Vellem in Balusii manus incidissent quoque, quæ Bosius paucis diebus ante mortem ei a sceleratissimis hominibus clam illatam, ad amicum suum Ludovicum Carrionem, se notis suis adjecisse scripsit, testatus se epistolas ad Atticum relegisse et recensuisse, multa addidisse, quæ præterierit, in quibus hæc haud inscita, necdum a quoquam satis intellecta, de perscriptionibus, plurium nominibus, et parariis; de servorum, qui populo placuerant, coacta manumissione, de gentis populis, de matrum testamentis ante SC. Orphitianum: de legibus viaria et alimentaria Curionis: de prædiatoribus, de Ἡρακλειδῶν Ciceronis: de Varronis πίνακι: et alia, ut ex ejus litteris prodidit Carrio, in Emendationibus. Sed hæc frustra optamus. In libri primi prioribus septemdecim epistolis videbis non paucas annotationes magni Isaaci Casauboni, nunquam antehac in publico visas. Monspelii cum litteras politiores promitteret, publice interpretatus est epistolas ad Atticum. Acroases has in paucas illas, quas dixi, meæ fidei per Cl. V. Jacobum Gronovium commisit non multis ante beatum suum decessum mensibus filius patre tanto dignissimus, meique, eum superesset, studiosissimus, Mericus Casaubonus. Ex iis delibavi, quæ cæterorum interpretum studium et solertiam fugerant. Quod si in alios libros incomparabilis viri notas nobis non invidisset fortuna, magna lux, magnum ornamentum accessisset huic editioni. Nam quæ fuerit capitalis illius ingenii excellentia, quæ doctrinæ latissime diffusæ varietas et copia, nemo ignorat nisi hospes in litteris, nemo negat nisi livore perditus: quod vero fuerit ejus in his epistolis evolvendis studium, mihi fidem fecit editio Bosiana, quam detriverat, et cujus margines implerat rerum, quas in iis scitu dignas observarat, annotatione. Ejus copiam mihi fecit vir itidem eximius, καὶ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, E. Bernhardus, Matheseos Oxonii Professor celeberrimus, probitate, doctrina, multisque aliis dotibus mihi, et qui eum norunt, (quis autem paulum humanior eum non norit?) carissimus. Ex hoc quoque libro invenies subinde notarum istarum penu instructum esse. Bernhardi liberalitati debeo præter hæc editionem Lambini omnium Ciceronis operum Argentoratensem, quam cum veteri codice commisit ὁ πάνυ Petrus Pithœus. Quid dicam de symbolis pulcherrimis, quas ad harum epularum apparatum contulit summus ille doctor meus, Joannes Fredericus Gronovius ὁ μαιαφίτης? Adolescentibus interiorum litterarum cupidis epistolas has explicarat domi, multaque in illis, qua erat sagacitate et ingenii perspicacia viderat, aliis

aut invisa, aut male visa. Ea ne desideres benignitati filii, Jacobi Gronovii, ingenii doctrinæque laude paterni nominis gloriam propagantis, accepta feres. Nec hæc sola, sed et veteris codicis Anglicani, quem cum adolescens beatam illam insulam perlustraret, in Balliolensi Collegio reconditum et ignotum invenit, et cum Michaelis Bruti editione Lugdunensi composuit, varias lectiones. Hic est codex Balliolensis, quem toties laudo, et qui mihi plurimum profuit in his litteris perpoliendis. Ei accesserunt excerpta codicis Academiæ Juliæ, quem Helmstadiensem appello: quemque vir amplissimus et doctissimus Lucas Langermannus, cum ibi ad capessendum ingenii cultum in primo ætatis vere degeret, cum editis contulit. Nec sine ingratæ voluntatis nota præteriri potest illustrium Falconeriorum fratrum, Octavii τοῦ μανάφτου et Pauli beneficium, quo me, et Tullii studiosos devinxerunt, cum Mureti notas, quas apposuerat editioni Roberti Stephani, jusserunt describi, et ad me curari. Eas passim cæteris adpersas reperies. Vides quantum æris alieni contraxerim in adornanda hac editione. Quæ si tibi probabitur, satis magnam gratiam sibi persolutam existimabunt, qui nobis commodarunt; ego vero satis magnum laborum tulisse fructum existimabo. Vale, cæteraque Tullii opera, si Deus vitam et otium indulserit, expecta. *Anno* M.DC.LXXXIII.

JOSEPHUS OLIVETUS LECTORI.

Præfationum hoc satis esse arbitror, ut ejus generis ne quid a me confici oporteat: sed erant tamen nonnulla, quæ breviter et articulatim proponerem.

I. Grævii diligentia cum fuerit magna in omnibus, quæ attigit, Ciceronis operibus; tum vero in Epistolis ad Atticum, singularis. Ac mihi quidem locupletandæ hujus editionis subsidia undique omnia conquirenti, nihil admodum, quod Grævium fugerit, oblatum est. Nisi forte aliquid putatur esse *Antonii Governi in duos primos libros Commentarius*, in lucem missus Lutetiæ MDXLIV. At illic ita nihil est, quod non alibi melius; ut a Grævio neglectus videri potius debeat, quam ignoratus.

II. De posterioribus Simeonis Bosii *Notis*, quas primus vulgavit Grævius, hoc dicere habeo. Bibliothecam in Regiam e Colbertina migravit codex, qui eas continet. Frons hoc præfert inscriptum: *Ea, quæ in margine adscripta sunt, descripta fuere ex autographo V. C. Simeonis Bosii, qui ea addiderat in suo editionis istius exemplari Stephanus Baluzius Tutelensis descripsit Ratiasti Lemovicum VIII. Kal. Augusti, M.DC.LXVI.* Hujus igitur codicis facta mihi copia, additamenta illa lustravi diligenter: lectionum varietates (vix quidquam aliud) offendi: probaret Bosius, an improbaret, nullum indicium. Cum tamen usus esset Grævius exemplo non bene emendato, hanc ego sumpsi operam, omnia ut conferrem. Sic recognita suis quæque locis inferam, cum hac subscriptione Bosius Baluzianus, qua significetur, ea, quibus adjuncta sit, non ex Bosianis olim editis, sed ex illo, quem dixi libro, petita esse.

III. Quoniam de variis lectionibus cœpi dicere, hoc non omittam. Quas, ut institutum est meum, dabo Victorii signatas nomine, non suppeditavit illa operum Ciceronis omnium Veneta editio MDXXXVI. sed Florentina MDLXXI. in qua repastator ille Ciceronis, ac vindex, industriæ monumentum suæ, et criticæ, ut ita dicam, religionis esse voluit.

IV. Haberi possim, quod esse nolo, immemor et ingratus, nisi prædicem; quantum Nicolaö Huberto Mon-

galto debeam, qui elaboranda ea, quæ sermonem patrium ditavit, epistolarum ad Atticum interpretatione elegantissima id assecutus est, ut in illis acutius Grammaticis omnibus sæpissime cerneret. Equidem opus laudo, quoniam esse ipsum laude dignissimum judico. Quoniam autem ejusmodi est, ab amico esse ac sodali profectum gaudeo, et Academiæ Franciscæ, cujus fovemur ambo in sinu, gratulor.

V. Restat, ut adumbratam historiæ totius, quam hæ litteræ complectuntur, informationem habeamus. Quamobrem collecta hic statim dabo argumenta librorum XVI. quæ Leonardus Malaspina singulis singula præfixit.

LIBER I.

Libri hujus epistolæ partim ante consulatum Ciceronis, partim post consulatum scriptæ sunt. Nam toto consulatus illius tempore Atticus Romæ fuit, omnium consiliorum et actionum ejus monitor, adjutor, et administer. Porro illæ, quæ consulatum antecedunt, quæ sunt numero novem, nimirum usque ad eam quæ incipit, *Tecoris illa*, nihil sane continent quod ad historiam magnopere pertineat. Consequentes vero, usque ad epistolam, *Nihil mihi*, M. Messala et M. Pisone Coss. datæ, primum, rem Clodii narrant, ut domi C. Cæsaris cum vestitu muliebri deprehensus fuerit, cum pro populo fieret; totumque de re illa judicium, quo non modo præter fas et æquum, sed etiam præter omnium hominum opinionem, absolutus fuit: deinde, quam mortuo plausu populus Romanus Pompeium exceperit e nobili illa Asiatica expeditione redeuntem. Nam cum nobiles homines, in iis L. Lucullum cum primis, haberet infensos: illos, quia hominis potentiam ægre ferrent, adeo crevisse, ut jam formidabilis posset esse; hunc, quia erepti sibi triumphi de Mithridate, jam fere debellato, hæreret memoria: non modo obtinere nunquam potuit ut acta sua a populo confirmarentur, deque militum præmiis decerneretur: sed ne illud quidem, ut rebus ab se gestis recitandis plausus ex animo daretur. Atque id est quod ait epistola XII: *Prima concio Pompeii qualis fuerit, scripsi ad te antea: non jucunda miseris, inanis improbis, beatis non grata, bonis non gravis.* Quæ quidem res omnium, quæ deinceps secuta sunt, malorum fons et origo fuit. Nam quod nec per Messalam et Pisonem primo anno, nec per Metellum et Afranium, ex quibus hunc omnibus inuitis per largitionem et ambitum, quo acta sua confirmarentur, creandum curaverat sequenti anno: quod per Flavium tribunum pleb. ut lex agraria perferretur, impetrare non potuit: coitione facta cum Cæsare et M. Crasso, anno tertio obtinuit; Cæsare in primis consule declarato. Tres ultimæ epistolæ, Q. Metello Celere, L. Afranio Coss. missæ sunt: quorum consulatu de Clodio ad plebem traducendo agi cœptum est. Quare si ratio temporum subducatur, intelligemus tam paucas libri hujus epistolas, annis amplius octo scriptas fuisse: nempe a consulatu minimum L. Cæcilii Metelli Cretici, et Q. Marcii Vatiæ, qui ædilitatem Ciceronis statim secutus est, usque ad eos quos proxime diximus coss. Scite autem Manutius primas epistolas distribuisse videtur, et quasi in suum locum singulas revocasse; ut nullo negotio, quando primum inter eos initium scribendi factum est, cognosci possit.

LIBER II.

Duæ primæ libri hujus epistolæ, scriptæ sunt, item ut ultimæ superioris, Q. Metello Celere, L. Afranio: reliquæ omnes, C. Julio Cæsare, M. Bibulo Coss. mensibus fere XVII. Continent vero contentionem Clodii, ut tribunus pl. fieret: quod demum obtinuit, Cæsare adnitente; cujus item opera, quo magistratum illum capere posset, plebeius factus est. Nam Ciceroni iratus, *quod quodam in judicio statum temporum deplorasset,*

ejus inimicum Cladium, frustra jam pridem a patribus ad plebem transire nitentem, eodem die, horaque, nova lege de adoptione ejus lata, traduxit. Auctor est Suetonius. Idem hoc ipso anno, agrarium legem pertulit, contradicente Catone: quem ea de causa e senatu abreptum in carcerem duci jussit, invitis optimatibus, et collega: quem obnuntiantem, armis foro depulit; seque domesticis parietibus, reliquo anni tempore, continere coegit; ut, nisi per edicta, prorsus nihil ageret: quæ tamen ille acerbissima in collegam proponebat; hisque comitia in mensem Octobrem distulit. Perlata igitur lege, xx. millia hominum, qui tres pluresve liberos haberent, in campum Stellatem majoribus consecratum, ut Tranquillus ait, in agrumque Campanum, ad subsidia reipublicæ vectigalem relictum, induxit. Publicanos a Catone vexatos, remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit. Et ut in quosdam diversæ factionis cives sævire posset, Vettium quendam præmiis adduxit, qui se ab illis, de inferenda Cn. Pompeio nece solicitatum diceret: quamvis irrito conatu, propterea, quod unum atque alterum, frustra, nec sine suspicione fraudis, nominaverit. Quare tam præcipitis consilii eventum desperans, intercepisse veneno indicem creditus est. Hæc fere in hoc secundo libro continentur ad rempublicam spectantia. Alia, privata sunt.

LIBER III.

P. Clodius ope Cæsaris consulis, tribunus pl. declaratus, ut magistratum iniit, illud unum spectavit, ut M. Tullium inimicissimum suum ulciscetur. Itaque duabus legibus, quarum altera frumentum, quod antea semis seris ac trientibus esset in singulos modios, gratis dabatur: altera non solum collegia, quæ senatus sustulerat, restituta sunt, sed nova etiam ex omni vulgi fæce atque servitio constituta. Plebis voluntate sibi adjuncta rogationem promulgavit contra eos, qui sine judicio populi, civem Romanum necavissent, quæ tametsi cum nullo nominatim agebat, nemo tamen dubitabat, quin Ciceronem peteret, qui in suo consulatu, quanquam ex senatus-consulto, tamen injussu populi, contra leges in cives animadvertisset. Id cum agi videret Cicero, mutavit vestem, et cum eo, velut in communi calamitate, ad hominum xx. millia. Verum cum se a Cn. Pompeio, M. Crasso, Caioque Cæsare destitutum videret, ne sua causa cædes civium fieret, invidorum, ut ipse palam queritur, consilio, circiter Kalendas Aprilis, urbe cessit, Gabinio et Pisone consulibus: domus ipsius a Clodio statim incensa: area Libertati consecrata: bona publicata: prædia direpta sunt: lex de ejus exilio perlata: eique aqua et igni interdictum: et ne quis tectum intra quadringenta millia passuum ab Italia præberet: ne quis de eo ad senatum referret: ne decerneret: ne disputaret: ne loqueretur: ne pedibus iret: ne scribendo adesset, ut in oratione post reditum in senatu et pro domo legitur. Ille ergo in Macedoniam transmittens, Thessalonicæ apud Cn. Plancium, toto fere illo exilii tempore mansit: unde, præter paucas ex itinere missas, omnes fere libri hujus epistolæ datæ sunt.

LIBER IV.

Hoc libro, quatuor annorum epistolæ continentur. Tres primæ P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote: quinque consequentes, Cn. Lentulo Marcellino, L. Philippo: post has, totidem Cn. Pompeio Magno II. M. Crasso: reliquæ usque ad finem, Ap. Claudio Pulchro, L. Domitio Ahenobarbo Coss. scriptæ sunt. Necesse est autem aut eas una fuisse, aut non plures ab eo, qui epistolas congessit, inventas. Primæ igitur, reditum Ciceronis continent: qui fuit prid. Non. Septembris, duodevigesimo mense, post ejus fugam: Quomodo area domus illius, pontificum sententiis liberata fuerit: domus ac villa

publica pecunia restitutæ: et cum in reditu ejus, summæ annonæ caritas esset, S. C. in sententiam illius factum est, quo Cn. Pompeio rei frumentariæ per quinquennium cura dabatur; eum eodem imperio, quod is bello Piratico habuisset: item, ut T. Annius Milo sæpe cum Clodio, ædilitatis candidato, manu armisque dimicaverit, ne ejus comitia haberentur. Hæc in tribus primis epistolis. In proximis, quæ Cn. Lentulo Marcellino et L. Philippo Coss. scriptæ sunt, nihil est historia dignum, nisi de Domitii repulsa in petitione consulatus: qui etiam foro per vim pulsus sit: servo illius, qui lucernam præferebat, interfecto: creati vero sunt ex interregno et per vim, Cn. Pompeius II. M. Crassus II. quorum anno scriptæ litteræ reditum Ptolemæi in regnum strictim attingunt: turpemque Crassi in provinciam Syriam profectionem, dirarum obnuntiatione neglecta. Porro autem litteræ quarti anni Ap. Claudio videlicet, et L. Domitio Coss. candidatorum ambitum et contentionem habent; quæ tanta fuit, ut M. Messala et Cn. Domitius ex interregno, septimo hujus anni mense consules declarati vix denique fuerint: idque Q. Pompeio Rufo tribuno pl. qui intercessionibus comitia tollebat, in carcerem conjecto ex S. C. cæterisque, si quis impedire conaretur, deterritis. Continent etiam A. Gabinii reditum, nocturnumque in urbem ingressum, omnium hominum odium adversus illum: accusationem de majestate, quod contra senatus populique judicium, Ptolemæum in regnum reduxisset: et quædam alia, sed pleraque privata, atque domestica. Inter proxime superioris libri epistolas, atque hujus, menses octo fluxerunt: nimirum ex Kalendis Jan. ad Nonas Sept.

LIBER V.

Ex antepenultima epistola superioris libri, atque hujus secunda, intelligimus cessatum esse scribi inter eos, annos ipsos duos, et menses paulo amplius sex: nimirum ex a. d. IX. Kal. Nov. L. Domitio Ahenobarbo, et Ap. Claudio Pulchro Coss. ad usque mensem Maium, Coss. M. Marcello, et Ser. Sulpicio: quo mense Cicero proconsule, in provinciam Ciliciam, cum imperio, Roma profectus est, sibi et S. C. et lege curiata traditam extra sortem: Appioque successit. Scriptæ sunt autem libri hujus epistolæ, ex itinere magna ex parte: reliquæ ex provincia, quo pervenit prid. K. Sext. cum Roma egressus est, ut diximus, circiter K. Maii, Marcello et Sulp. Coss. Quæ ex itinere scriptæ sunt, nihil continent memorabile: quæ in provincia, tantum, qua moderatione, qua abstinentia illam gubernavit: quoque modo se comparaverit, si forte Parthi in suam provinciam irruptionem facere conarentur. Nam cum superiore anno, exercitum populi Romani, Crasso duce interfecto, miserabili clade affecissent, reliquiasque illius, haud sane magna manu, in Syriam persecuti, a Q. Cassio Longino fortissime repulsi fuissent: majori ac firmiori vi, hoc anno redierunt: ab eodemque Cassio rursum Syria excedere coacti sunt. Ita enim infra Cicero: *Interim rumore adventus nostri, et Cassio, qui Antiochiæ tenebatur, animus accessit: et Parthis timor injectus est. Itaque cedentes ab oppido Cassius insecutus, rem bene gessit: qua in fuga, magna auctoritate Osaces dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus.* Continetur item his epistolis quomodo Cicero in Amano, Pindenisso, oppido Eleuthero-Cilicum capto, nomen Imperatoris assecutus fuerit; et quædam alia, haud magni ad historiam momenti. Cessatum est autem scribi inter eos toto consulatu Cn. Domitii Calvini: M. Valerii Messalæ: item Cn. Pompeii Magni III. et Q. Metelli Scipionis.

LIBER VI.

Qui has M. Tullii epistolas in libros distribuit, is mihi videtur, libri alius initium hinc maxime fecisse,

quod hæ aliis consulibus, quam superioris libri scriptæ fuerint: nempe L. Æmilio Paulo: C. Claudio Marcello: quem Suetonius Marci Marcelli patruelem facit: Dio, sobrinum: vel, ex aliorum opinione, fratrem. Hic igitur liber, certum argumentum nullum habet, quod ad remp. pertineat. Nam bellum Parthicum, cujus hic mentio fit, in metu potius, quam re ipsa fuit: cum anno superiore, qui ab illo cœpto quartus fuit, finem acceperit. De rebus urbanis, quod odiosa quædam se Cicero audisse scribit, tale fuit. Cæsar cum vereretur, ne se iniqui sui, provincia atque exercitu spoliarent: sicque cogeretur, si consul fieri vellet, privatus ac præsens petere: L. Paulum consulem, et C. Curionem tribunum pl. antea suis actionibus adversantes, grandi mercede sibi conciliavit: quorum opera factum est, ut retineret exercitum. Nam cum de illo remittendo referretur, Curio ita est assensus, si reliqui quoque dimitterent: Pompeium notans, sine dubio. Hoc anno Cicero de provincia decessit III. Kalend. Sext. atque Idib. Octob. Athenis fuit, unde postrema libri hujus epistola data est. Reliqua sunt privata atque domestica: de Tullia Dolabellæ collocanda: et aliis rebus.

LIBER VII.

Continentes sunt libri hujus epistolæ cum superioribus, ut hæc ipsa prima illa esse videatur, quam proxima superiore, postero die se daturum, promiserat. Scriptæ porro sunt partim ex itinere, dum ex provincia redit: partim ex fuga, quam, audito Cæsaris adventu, cum consulibus totoque senatu executus est. Nam cum ad urbem prid. Non Januarii accessit, ibidemque spe triumphi, quem sibi frequens senatus, ut ipsemet scribit ad Tironem, efflagitabat, moratur: XIII. Kal. Febr. nuntio illo, ut diximus, accepto, coactus est exire, atque eam cogitationem omittere. Etenim, cum in sententiam Scipionis S. C. factum esset, ut ante certam diem Cæsar exercitum dimitteret: si non faceret, eum adversus remp. facturum videri: eique S. C. M. Antonius, Q. Cassius tribunus plebis intercessissent; de intercessione relatum, acerbissimeque decretum fuisset: illi, urbe cedentes, ad Cæsarem, se, qui tum erat Ravennæ, contulissent: Cæsar, iis maxime auctoribus, trajecto Rubicone, Ariminum, quod erat extra provinciam illius, cum venisset, tantus pavor repente urbem invasit, ut passim fuga turpissima facta sit. Continent autem epistolæ priores, a prima usque ad decimam, quæ incipit, *Subito consilium cepi*, hæsitationem, sollicitudinemque Ciceronis animi, quonam modo cum Cæsare Pompeioque se gereret, cum utrique esset amicus, et illum uterque suis annumeraret: posteriores usque ad finem libri, cum multa alia, tum querelam de Pompeio: tum sine ratione gesta esse omnia ab illo atque geri: accusationem Cæsaris impudentiæ: legationem L. Cæsaris ad Pompeium et consules, C. Cæsaris nomine; et quæ illi ad hæc responderint. Reliqua privata sunt. Scriptæ porro sunt illæ, L. Paullo, C. Marcello Coss. Illud etiam sciendum, abfuisse Ciceronem annum et menses circiter octo. Profectus est enim in provinciam ineunte Maio, Ser. Sulpicio et M. Marcello Coss. in eaque et in itinere L. Paulli et C. Marcelli consulatu consumpto, ad urbem fuit prid. Non. Jan. consulatum L. Lentulo et C. Marcello ineuntibus.

LIBER VIII.

Scriptæ sunt libri hujus epistolæ, consulibus item L. Cornelio Lentulo, et C. Claudio Marcello; continentque historiam dierum XVI. Pompeii videlicet, Pompeianorumque trepidationem: curam in delectu habendo: gesta a Cæsare in Piceno, et in Pelignis ad Corfinium; Domitii, Domitianorumque deditionem; sollicitudinem Ciceronem, aut potius æstum, Atticum consulentis, si Pompeius Ita-

lia excedat, quid sibi faciendum sit: navigandumne cum illo, an in suis prædiis manendum: et multa in utramque partem disputantis.

LIBER IX.

Continentur item hoc libro Cnæi fuga Brundisium, atque inde in Macedoniam transmissio, quæ fuit Idibus Martiis, præmissis antea consulibus L. Cornelio Lentulo, et C. Claudio Marcello, cum omnibus pene magistratibus, cunctoque senatu: æstus animi ægritudoque Ciceronis, Atticum consulentis, cum Pompeius Italia cesserit, quid sibi faciendum sit: redeuntemque a Brundisio, quo Pompeium fuerat persecutus, expectarene debeat, et quo maxime in loco, quo vultu sermoneque excipere: denique congressus ipse cum Cæsare, et utriusque discessus. Quæ omnia acciderunt diebus paulo plus viginti. Nam quotidianæ inter eos erant litteræ.

LIBER X.

Argumentum idem fere est libri hujus et superioris: Querimonia de perditis Cæsaris et Pompeii consiliis: Curionis congressus, proprætoris in Siciliam proficiscentis, largeque et liberaliter de sua Cæsarisque in Ciceronem voluntate pollicentis: Quinti filii scelus, Romam profecti, Hirtioque, tum patris tum patrui excedendi consilia indicantis: Deliberatio; an, quæ in Hispania gerantur, expectandum sit, ad quod et sui et multi alii hortabantur: Cæsaris litteræ, ne quo progrediatur, monentis: Coelii, ut aliquod oppidum eligat, vacuum a bello, rogantis; Antonii id ipsum, et mandatum sibi significantis, ne quem Italia excedere permittat: Congressus cum Servio Sulpicio: Fuga Catonis ex Sicilia in Africam transmittentis: firmum propositum proficiscendi, primum occulte, postea palam. Scriptæ sunt epistolæ ex ante diem III. Non. Aprilis, ad XIII. Kalendas Junias plus minus: iisdem L. Cornelio Lentulo, C. Claudio Marcello Coss.

LIBER XI.

Silentur menses fere novem. Conscendit enim, ut ad Pompeium navigaret, VIII. Id. Junii, Lentulo et Marcello Coss. ut ex epistola VII. ad Terentiam cognosci potest; et ex eo tempore scriptæ litteræ, ad mensem Februarium, præter primas libri hujus, nullæ inveniuntur. Nam cum Cæsar, a colloquio illo Ciceronis, quo de penultima epistola proximi libri agitur, Romam se contulisset, pecuniamque ex sanctiore ærario, nequidquam repugnante L. Metello tribuno plebis abstulisset: rebus nonnullis ad suum arbitrium constitutis, Italiaque Antonio tradita et commendata; ipse in Hispaniam, contra Pompeii legatos exercitum duxit: quo tempore Cicero in Macedoniam VIII. Id. Junii, ut diximus, transmisit, unde priores quatuor epistolæ datæ sunt; sed C. Cæsare II. et Servilio Isaurico Coss. ante pugnam Pharsalicam, partim ex castris Pompeii, partim Dyrrachio; nam Cæsar, devictis legatis illis, Hispaniisque rebus compositis, Romam reversus, consulque cum Isaurico declaratus, exeunte anno, ut ait Dio, ut Plutarchus prid. Non. Jan. jam exercitum in Epirum deportaverat. Reliquæ autem epistolæ Brundisio, quo jam acie devicto et fugato Pompeio, Cicero se contulerat, datæ sunt, nisi fallor, mense Oct. Nam ad Terentiam scribens, libro epistolarum ad ipsam, pridie Non. Nov. *Quod nos* [inquit] *in Italiam salvos venisse gaudes*, &c. ut ante eas Brundisio aliæ datæ fuerint. Fuit autem Brundisii menses minimum undecim: ab exitu, inquam, Octobris, ad VI. Kal. Octobris, anni sequentis: ut recte subducenti menses fluxerint plus minus XXI. quo toto tempore Cæsar et cum Pompeio pugnavit, ipsumque in Ægyptum persecutus est: et ibidem contra Ptolemæum bellum gessit, in quo menses novem consumpsit, ut Appianus sit: et Romam rediens in itinere Pharnacem recepit. Quæ vero datæ sunt ex Kal. Jan. usque Kal. Septem. C.

Cæsare Dictatore III. et M. Antonio Mag. Eq. scriptæ sunt. Nam, ut Dio scribit, populus Rom. audita cæde Pompeii, consulatum absenti Cæsari, in annos quinque, dictaturam in annum, tribunitiam potestatem in æternum mandavit. Qui dictaturam statim iniit, quamvis anni exitu, Calenum et Vatinium, eodem auctore, subrogaverit in ternos novissimos menses. Datæ ante pugnam Pharsalicam res fere domesticas continent: quæ post pugnam, querelam sui consilii, vel, ut ipse vocat, amentiæ et temeritatis, quod statim ab ipso conflictu, Pompeianorum causa nondum plane desperata, et postea in Africa prope revivescente, non expectato exitu, in Italiam venerit: cum neque id tutum, neque honorificum esset. Quædam insunt etiam de remittendo nuntio uxori Terentiæ: de inopia Tulliæ: de scelere Dolabellæ, qui tribunus pl. leges perniciosissimas de novis tabulis ferret, omniaque miscaret. Quædam etiam * de Q. Q. contra se scelerate loquentibus.

LIBER XII.

Omittuntur sine litteris menses non pauciores sexe nempe ex Kal. Sept. in quibus desinit liber proximus superior, ad usque tempus illud, cum jam bellum in Africa contra Scipionem et Jubam Cæsar gereret. Nam a bello Alexandrino et Ponti reversus, consulque III. cum M. Æmilio Lepido creatus, summa hyeme, hoc est II. Kal. Jan. conscendit, exercitumque in Africam trajecit: quo tempore quatuor primæ epistolæ scriptæ sunt. Quinta et sexta datæ videntur, cum jam Cæsar vel appropinquaret, vel rediisset. Rediit autem a. d. XII. Kal. Sept. auctore Hirtio. Reliquæ, cum in Hispania contra Pompeii liberos pugnaretur, eodem C. Cæsare Dictatore III. designato IV. collega, et Magistro Eq. M. Æmilio Lepido, quo tempore Tullia ex partu, ut Pedianus et Plutarchus ajunt, apud Lentulum decessit. Itaque cum se Cicero Asturæ abdidisset, quotidianas pene litteras mittebat, gemitus luctusque continentes: item preces contentionemque, ut horti sibi ab Attico curarentur, in quibus filiæ tumum condere posset. Fluxere, dum hæ scribuntur, menses plus minus duodeviginti. Nam ex Kal. Jan. ejus anni, quo Cæsar in Africam transmisit, ad æstatis initium anni illius, quo quartam dictaturam in Hispania gessit, tot fere numerantur. Æstatem porro reliquam fuisse, scriptis libri hujus epistolis, ex prima tertii decimi cognosci licet.

LIBER XIII.

Exiguum tempus mutum fuit a litteris, inter hujus libri epistolas et superioris. Scriptæ autem et hæ sunt, dum Cæsar in Hispania contra Pompeii liberos bellum gereret, ipso eodem IV. consule sine collega, ut Sigonio placet: belloque confecto rediret: spatio fere mensium septem. Nam æstatis initio, ut ex epistola prima colligitur, scribi cœptæ sunt, fingamus ex Kalendis Junii: et mense Decembri desierunt. Namque tertiis Saturnalibus, quæ fuerant XII. Kal. Januarii, apud M. Tullium Cæsar cœnavit, ut est in epistola ultima libri hujus. Quanquam ultima illa videtur esse, cui est in hoc libro locus XLI. assignatus, in qua de suo natali die agitur, qui fuit III. Non. Jan. Argumentum illarum multiplex est, sed plurimum in illis: de epistola ad Cæsarem missa: quos in suos Dialogos includere debeat; de hereditatibus quibusdam: de Quinti filii improbitate, querela: de suo Catone, et Cæsaris Anticatone; et de domesticis suis rebus nonnullis.

LIBER XIV.

Tres amplius menses nullæ extant scriptæ litteræ: ex tertiis videlicet Saturnalibus, quæ fuerunt XII. Kal. Jan. ad post. Id. Martias, quo die Cæsar occisus est. Occisus est au-

* De Q. Q.] Hoc est, *de Quinto fratre, et Quinto ejus filio.*

tem, ut Velleius ait, cum quinque menses post reditum ex Hispania Romæ fuisset. Scriptæ sunt autem hæ, M. Antonio, et P. Cornelio Dolabella Coss. Nam is, interfecto Cæsare, fasces statim, ut ait Paterculus, et insignia consulatus sibi arripuit, antea designatus ab illo, quem sibi substitueret, in Parthos proficiscens. Continent vero potissimum reip. tempestates, quæ, illo cæso, consecutæ sunt. Cicero quidem primis illis diebus, cum senatum in suam sententiam perduxisset, ut communis concordiæ causa, injuriarum memoria sempiterna oblivione tolleretur: Roma egressus est in suas villas, unde dedit has litteras, modo spei, modo desperationis plenas. Privatim vero continent querelam de ementitis actis Cæsaris: factum Dolabellæ: de Amatio humillimæ sortis homine, qui ausus fuerat in C. Marii nomen invadere, seque pro nepote illius gerere: et domestica quædam privatius. Datæ sunt post Id. Mart. ad XVI. circiter Kal. Junii.

LIBER XV.

Non valde differens est libri hujus argumentum a superioris sententia. Scriptæ enim epistolæ omnes sunt, cum adhuc Romæ negotia tumerent, Antoniusque et Octavius ita omnia miscerent, ut, quamvis neque plane bellum, neque pax esset, appareret tamen rem ad arma deductum iri. Quo quidem tempore Cicero sibi timens, simulque filium Athenis philosophiæ operam dantem, cupiens invisere; cum jus liberæ legationis a Dolabella, non autem provincialis nempe Syriacæ, ut Plutarcho placet, haberet, (id enim ex his epistolis ac Philippica prima cognoscitur) iter cepit in Græciam, eo consilio, ut Kal. Jan. adesset, quod initium cogendi senatus fore, Hirtio et Pansa consulatum ineuntibus, videbatur Dum spes vero aliqua meliorum rerum fuit, Brutusque et Cassius prætores urbani, quibus maxime recuperandæ reip. ratio nitebatur, si non Romæ, in proximis tamen locis, manebant: perque litteras et edicta cum Antonio populoque agebant; nusquam ille pedem. Cedentibus autem illis, et ipse consilium cepit abeundi. Hæc illorum temporum historia est. Privatim tamen in his epistolis plura continentur, quæ persequi longum esset. Scriptæ sunt ex ante XVI. Kalend. Jan. ad Non. Quint.

LIBER XVI.

Male affecta oppressaque civitate armis Antonii, reique publicæ salute desperata, quod adhuc C. Cæsare vivente cogitaverat, iter in Græciam est ingressus, re tamen prius lente deliberata, quod et futuris de se hominum sermonibus moveretur, et ægre a suis villulis Italiaque avelleretur. Ergo Puteolos primum progressus: inque Neside Brutum allocutus, classem una cum Cassio parantem, qua ille in Macedoniam, hic in Syriam navigarent: Kalendis Sext. Rhegio conscendens, venit Syracusas. Unde cum transmittere vellet in Græciam, bisque ad Leucopetram, quod est agri Rhegini promontorium, Austro rejectus esset, profectionis consilium abjecit: eoque magis, quod boni quidam nuntii eo Roma venerunt, fore ut Antonius esset in potestate senatus, senatores in urbem redirent, res conveniret. Hac igitur spe commotus Romam rediit, urbemque ingressus est Kalendis Septembris: et IV. Non. hoc est postridie Kalendas, ut scribitur Philip. V. eam dixit orationem, quæ est in Antonium prima. Fuit deinde partim Romæ, partim in suis prædiis: quæ omnia commemorantur sex primis epistolis. Reliquæ scriptæ sunt incertis quidem diebus magna ex parte: omnes tamen ante Kan. Jan. quo toto tempore, hæc gesta fuisse traduntur. Cum M. Antonius et Octavianus occultis potius odiis inter se, quam aperta vi certarent, alterque alterum insidiis prævertere conaretur: Antonius ante diem VII. Id. Octobr. Brundisium venit, profectus obviam legionibus Ma-

cedonicis quatuor, ut eas sibi pecunia conciliaret: quas tamen, quod quidam ab Octaviano præmissi multo plus obtulerant, attrahere ad se non potuit. Itaque et Martia et Decima illum postea deseruerant, et ad Octavianum transierunt: qui item Octavianus eo ipso tempore, quo Antonius Brundisii fuit, ipse in Campaniam pergens, magnum veteranorum numerum, ingenti spe, ingentique pecunia cepit, Nimirum denariis, ut Cicero ait, CCCC. Idque initium fuit armorum inter ipsos, cum antea neque bellum gererent, neque pacem haberent. Et hoc tempus illud fuit, cum Cicero ab Octaviano, per speciem capessendæ reip. in Antonium sollicitatus est: nihil se, nisi de illius consilio, nec nisi per senatum facturum, pollicente. Scriptæ sunt omnes, Antonio et Dolabella coss. ex a. d. VII. Id. Quint. ad Nonas circiter Decembris. Atque his quidem multa alia continentur, sed vel domestica, vel huc pertinentia.

EPISTOLÆ AD ATTICUM.

LIBER PRIMUS.

1 **CICERO ATTICO SAL.**

Petitionis nostræ] Petitionis nostræ consulatus, sed futuræ anno sequenti. Nunc enim tantum prensare cogitat, L. Cotta, L. Torquato coss. CORRAD.

P. Galba] P. Sulpitius Galba: quo de Q. Cic. in lib. de petitione cons. IDEM.

Sine fuco] Ita interpunximus hæc verba, ut monuit Malaspina: ut, *sine fuco, et fallaciis*, referatur ad denegationem suffragatorum, non ad prensationem Galbæ. BOSIUS. Sic etiam Muretus, *Var. Lect.* IX. 10.

Ita quiddam] Creber ille rumor de multorum erga nos propensa voluntate nobis nonnihil, ut spero, proderit ad obtinenda populi suffragia. BOSI.

A. d. XVI.] Notis scripsimus a. d. non, ut erat in vulgatis, *ad*, quæ præpositio huic loco convenire non potest. Nam ad decimum sextum Kalendas esset circiter decimum sextum Kalend. (id enim *ad* declarat in hujusmodi locutione) quo dicto certus dies non præstitueretur: quem tamen hic præfinisse Ciceronem liquido ostendunt hæc verba *comitiis tribunitiis*. Nam in incertum diem indici comitia non solebant. Hinc statuo hic scribendum esse, ut dixi, a. d. XVI. Concise autem dicebant *ante diem*, pro, ante diem finitum, proindeque ipso die. Inde Paulus Jurisconsultus lib. III. ad legem Papiam et Juliam, cum docere vellet his verbis, *ante diem decimum Kalendas*, et, *post diem decimum Kalendas*, diem ipsum decimum Kalendas significari, sic scripsit: *ante diem decimum Kalendarum, post diem decimum Kalendarum: neutro enim sermone undecim dies significantur*. In eamdem quoque sententiam Ulpianus lib. XIX. ad edictum, *qui*, inquit, *ante Kalendas proximas stipulatur, similis est ei, qui Kalendis stipulatur*. Hæc enim verba, *ante Kalendas*, sic accipienda putat Ulpianus, quasi dictum esset *ante diem Kalendas*. BOSIUS.

Antonius] Hic in ædilitate et prætura, Ciceronis fuerat collega, fuitque post etiam in consulatu. MAN.

Q. Cornificius] Qui trib. plcb. fuit Q. Hortensio et Q. Metello coss. *Verr. Act.* I. 10. CORRAD.

Ut frontem ferias] Frontem vel femur ferire est indignantis, tam apud Græcos quam Latinos. POPMA. Incrementum est in verbis Tullii: de Cornificio aut risum aut dolorem fore Attico; de Cæsonio indignationem: nam prius esse ridiculum, posterius indignissimum. JUNIUS.

Cæsonium] Qui mecum fuit ædilis designatus. *Verr. Act.* I. 10. CORR.

Aquilium] C. Aquilium Gallum jurisconsultum: Orat. pro A. Cecinna: qui tunc et ipse prætor erat, Ascon. in Orat. pro Cornel. IDEM.

Regnum judiciale] Dubito an referam ad judicandi rationem, an ad privatum munus respondendi de jure. Utrumque convenit Aquilio. Nam et judicem sæpe eum fuisse captum verisimile est, et ostendit Oratio pro Quintio. Malim tamen ad privatum munus referre. Fuit enim tum vere augustum id, cum quidem insignia fuerunt, teste Cicerone, olim transverso foro obambulare, postea sedere in atrio suo, in sella honorabili, sive solio. CASAUB.

Meridie non lucere] Hoc est, si de manifestissimis criminibus, quorum ille reus agebatur, judices pronuntia-

rent sibi nihil constare, ideoque illum absolverent. Bosius. Olim ediderant *si judicatum erit, ejus haberi rationem licere:* quod sic legendum esse, et ex Italis Sebast. Corradus, et ex nostratibus Æmarus Ranconetus censuissent primum: haud dubiis fortasse conjecturis ducti, deinde ab antiquæ scripturæ vestigiis non longe discedentes. Lamb.

Aufidio] De quo in Bruto, c. 48.

Palicano] *Palikanus* incisum est in antiquis denariis, quos constat a Palikano signatos esse, cujus hic meminit Cicero, quique tribunitiam potestatem a Sylla populo ademptam, tribunus pleb. cum esset, Pompeio consule adjuvante, restituit. Ursinus.

Qui nunc petunt] Ut proximis comitiis consules designentur. Nam ceteri quos nominavit, non petebant, sed prensabant ad insequentis anni petitionem. Man.

Cæsar] L. Julius Cæsar: ep. seq.

Certus] Cos. ut fuit. Corrad.

Thermus] Is est C. Minucius Thermus, qui post ex adoptione, cum in familiam patriciam transiisset, C. Marcius Figulus appellatus. Junius.

Silano] D. Julio Silano, qui cum L. Licinio Murena consul fuit. Man.

Ἀδύνατον] Quod fieri non potest.

Curium obducere] Virum flagitiis atque facinoribus coopertum; quem censores, probri causa, senatu moverant, ut refert Sallustius. Itaque cum vellet ostendere Thermum et Silanum gratia et existimatione, quo tempore hæc scribebat, parum valere, eos cum despicatissimo illo viro comparavit, aitque ἀδύνατον non esse illum adversus eos ducere ad petendum consulatum. Est ergo *obducere*, aliquem contraducere, qui alteri adversetur. De hoc Curio intelligendus est locus hic libri secundi: *jacet enim ille sic, ut πτῶσις Curiana stare videatur.* Bosius.

Quæ tum erit absoluta] Ait Cicero fore anno proxime sequenti, quo ipse petituus erat consulatum, ut Thermus, qui, cum hæc scribebantur, inops erat ab amicis, plurimum gratia valeret apud populum; quod tum facile absoluta foret via Flaminia, quam ille reficiendam curabat. Ea enim curatione sibi nullo negotio studia acquisiturus erat vulgi. Ergo post vocem *facile*, statuenda est ea distinctionis nota, qua ambitus orationis terminari solent, hoc est, τελεία στιγμή. Idem.

Eum libenter nunc cæteri consuli acciderim] Sic edidit Victorius, jubentibus quidem membranis, sed nullo sensu. Præclare conjecit Manutius: *Eum libenter nunc Cæsari consulem addiderim.* Acutior etiam Bosius, veterum litterularum vestigia persecutus, legit: *Eum libens θέρμω ciceri consul accuderim.* Hic, inquit, lepidissima est allusio ad notationes nominum Ciceronis, et Thermi; nam ut Cicero a cicere, ita Thermus ἀπὸ τοῦ θέρμου, id est, a lupino videtur appellatus. Itaque festive scribit Cicero se consulem factum libenter cusurum θέρμον, hoc est, lupinum cum cicere, indicans, se non invito animo sibi adjuncturum collegam in consulatu Thermum; nam verbum *accuderim* quam apte conveniat ciceri, et lupino, aliisque leguminibus, satis intelligi potest ex hoc proverbio Terentiano, *hæc cudetur in me faba.* Hæc Bosius. Neque hanc popularis sui conjecturam respuere admodum videtur Muretus; sed aliam inde sententiam elicit; mutato *eum* in *tum*, et particula negante addita: *tum libens Thermon, Ciceri non accuderim.* Aberat enim Bosius a Tulli mente, qui Thermum non optabat consulem fieri anno sequenti, quo ipse petiturus erat, sed verebatur ne in illum annum candidatus recideret. Quod copiose, atque eleganter, ut solet, exponit Muretus, *Var. Lect.* XIX, 10. Ego vero lectionem vulgatam, etsi insulsam, retinere cum Grævio malui, quam Tullio aliorum verba et sensa tribuere. Sit ingeniosa, ut certe est, allusio Bosiana, quis veram præstiterit? Olivet.

Informata cogitatio] Hæc est, in-

quit, vel mea vel hominum de tota candidatorum ratione opinio, atque animi judicium, imperfectum scilicet, et quod adhuc conjectura provideri possit. MALAPSINA.

Refrixerit] Hoc est, cum minus licebit Romæ judiciis vacare. Intelligit ultimos anni menses. Nam ex secunda Verrina apparet post Sextilem plerosque dies quatuor sequentium mensium dies fuisse ludis dicatos. Vide Hotom. lib. I. Observat. cap. 16. CASAUBONUS.

Legati] Non, legati ad Pisonem, sed excurremus ad Pisonem, legati. Quam autem hic legationem significat, liberam, opinor: quia senatori ab urbe diutius abesse, nisi jure liberæ legationis impetrato, non licebat. MANUT.

Pisonem] C. Calpurnius Piso Galliam Narbonensem proconsule alterum jam annum administrabat: ad quem impetrata libera legatione excurrere volebat, ut per Galliam Togatam et Cispadanam transiens, appellaret rogaretque colonias et municipia, quæ suffragii jus habebant, et Januario mense reverti ad obeunda rursus judicia. POPMA.

Prolixa] Puto vocem *prolixus* proprie de vestibus dici. Est enim prolixus quasi valde laxus, *a* in *i*, ut in *inficetus*. Notabis tamen fere apud auctores de magnitudine vel longitudine accipi videri, ut Terent. *prolixus capillus*. Plin. *prolixæ abietes*. Inde translate apud Cic. *prolixus animus* pro propensus: et *res prolixæ* apud Gell. hoc est secundæ. Sic hoc loco *prolixa* pro secunda. CASAUB.

Urbanis competitoribus] Hoc ita interpretor: Modo quidem res mihi futura sit tantum cum iis, qui nunc in urbe sunt: quasi dicat, Nam si in urbem redierint multi nobiles qui absunt, vereor ne parum firmus futurus sim candidatus. *Urbani* sunt, qui in urbe sunt. Sic apud Plaut. *Urbani fiunt rustici*. IDEM.

Illam manum] Nobiles viros, cum Pompeio in Asiam ad bellum Mithridaticum profectos. MANUT.

Cura ut præstes] Effice, ut meam petitionem adjuvent, missis Romam epistolis ad propinquos, et familiares. IDEM.

Quoniam propius abes] Cum tu in Græcia sis, minus abes a Pompeio, quam ego, qui sum Romæ: itaque per litteras et cum ipso potes, et cum iis qui una sunt, de honore meo commodius agere. Est autem, *Propius abesse*, minus distare. IDEM.

Nega] Dic illi me non tam ut veniat ad mea comitia optare, quam ut apud se retineat, quos in suo comitatu habet viros nobiles, quorum erant fortasse aliqui prætorii, qui si Romæ affuissent, Ciceroni præripere potuissent consulatum: ideo modo dicebat *his urbanis duntaxat competitoribus*. CASAUB. Non minus arguta sententia erit, si *negant* legeris. Nam quod amici Pompeii deprecabantur, id Cicero facete negare eos aiebat, ut illud Crassi de Oratore (cap. 64.) *At tu negaras te mihi molestum futurum*. Posse autem Pompeium venire ad commendandum candidatum, si non Romam, at in extremam provinciam, ex Cæsaris Commentariis perspicitur. Ipse enim quotannis, rebus relictis, veniebat. MURET.

Dolo malo] P. Varius cum æris alieni plurimum contraxisset, ut creditores fraudaret, bona sua mancipio tradiderat Caninio fratri. Id cum animadvertissent creditores, agere cœperunt adversus Caninium, quod is dolo malo, ad se fraudandos, Varii bona mancipio accepisset. Quæ actio a jurisconsultis nostris appellatur Pauliana. Sed nondum proprio nomine prodita fuerat tempore Ciceronis. Idcirco ejus loco agebatur de dolo; quod judicium dare solebat prætor, ubi propria actio deficiebat iis de rebus, quæ dolo malo factæ esse dicebantur. BOSIUS.

Lucullus] L. Licinius Lucullus, cujus familiaris erat Q. Cæcilius. *Nepos* in Attici vita. L. vero Lucullus triennio ante Ciceronis consulatum victor a Mithridatico bello revertit. CORRAD.

P. Scipio] Qui adoptatus a Metello, Q. Cæcilius Metellus Pius Scipio postea fuit appellatus. IDEM.

Magistrum] Scilicet auctionis.

Ridiculum est de magistro] Sensus hujus loci hic videtur esse: Ridiculum est nunc loqui et censere de magistro, cum incertum sit plane an Varium damnaturi sint judices, et ejus bona subjecturi hastæ, cui præsit magister. GRÆV.

Ut adessem contra Satrium] Nempe ut patronus, sive orator. CASAUB.

L. Domitium.] Hic est L. Domitius Ahenobarbus, singularis Ciceronis amicus: quod re declaravit, prætor cum esset, exulante Cicerone. ID.

Qui sine eo, quem Cæcilius] Id est, *qui sine ea persona quam ipse Cæcilius pro se, et proprio nomine, magna cum laude cuique gratam ferret.* Hæc in margine Bosii Baluziani, de quo in præfatione diximus. Nos hunc esse sensum arbitramur: Etiamsi nullus perhiberetur, qui ageret nomine Cæcilii, fore tamen satis multos, *qui sine eo facile causam communem sustinerent.* OLIVET.

Perhiberet] Exhiberet: nisi forte legendum sit, *præberet.* CORRAD.

Officio] Ne cogar contra officium accusare de me optime meritum virum Satrium. CASAUB.

Tempori] Petitionis. CORRAD.

Summam existimationem] *Summa existimatio* est res a qua omnis ejus existimatio pendet, et in discrimen venit: ut *summa respublica* est res in qua vertitur salus totius reipublicæ, ut pluribus docet Gronovius ad Liv. XXVI. 10. GRÆV.

Ἐπὶ οὐχ' ἱερήιον οὐ δὲ βοείν] *Quia non taurum, neque tergus bubulum*, supplo, *capto:* nam ex Homero sumi debet ἀρνυμαι. Homerus Iliados Ψ 159, pronuntiat hos versus de Achille, qui Hectorem contento cursu sequebatur. Virg. Æn. XII. 764, *Neque enim levia, aut ludicra petuntur Præmia*, &c. Sensus est. Quod avunculo tuo non satisfecerim, et causam fateor ambitionem fuisse, et mihi tamen arbitror esse ignoscendum, quod, ut vides, hæc me ambitio, quasi cursus quidam, non ad ludicrum, aut inane præmium, sed ad consulatum ferat. MANUT.

Hermathena tua] Signum erat in una basi commune *Mercurio* et *Minervæ:* posuit autem istud signum Cicero in gymnasio suo, id est, in Academia villæ Tusculanæ, (non in villa, quæ Academia dicebatur) propterea quod Mercurius deus est omnium gymnasiorum communis, tam eorum quæ animi sunt, quam eorum quæ corporis. Minerva autem singularis et propria erat gymnasii, quod instituerat ad cultum animi tantum, et ad disputationes commentationesque de philosophiæ studiis, cum liberalium artium præses sit. TURNEBUS.

CICERO ATTICO SAL. 2

L. Julio Cæsare] Voluit Cicero primis his verbis Atticum rerum duarum facere certiorem, designationis consulum Cæsaris et Figuli, et diei natalis filii, qui sub tempus comitiorum, quibus illi consules renuntiati sunt, in lucem editus est: Cum ergo ait, *L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo consulibus*, non tempus notat, quo illi inierunt, sed quo designati sunt; idque apertius ostendit ex iis, quæ mox subjicit de instituta defensione Catilinæ: nam causam dixit Catilina Cotta et Torquato consulibus, designatis tamen in annum sequentem Cæsare et Figulo. BOSIUS.

Defendere] Reum de repetundis ob Africam spoliatam. CORRAD.

Accusatoris] P. Clodii, qui tamen a Catilina pecuniam accepit, ut turpissime prævaricaretur. Orat. de resp. Arusp. et Ascon. IDEM.

Tuos familiares] M. Crassum, et C. Cæsarem, quos C. Antonio et Catilinæ favisse, et Ciceroni adversatos fuisse scribit Ascon. vel Hortensium, Philippum, et Lucullum, quos piscinarios, et amicos Attici vocat ep. 15. et 16. h. l. IDEM.

8 CICERO ATTICO SAL.

Quod verita sit] Ut anus religiosa, quæ sacra illa frequentaret, vel potius superstitiosa: jocatur enim Cicero. CORRAD.

Ne Latinæ] Fœminæ. IDEM.

In officio] In montem Albanum feriis Latinis convenicndi. IDEM. Vide Dionys. Halicarn. lib. IV.

Consolationem] Etiam hic jocatur cum Attico, quem fuisse Epicureum constat ex multis Cic. locis. Cum igitur moris esset, ut amici ad amicos litteras consolatorias, si occasio data esset, mitterent; ait Cicero non esse quod Atticus hujusmodi consolationem a se expectet, eam enim se scribendam relinquere Saufeio, qui fuit et ipse Epicureus: quasi dicat, noli a me diversæ sectæ homine expectare consolationem, sed a Saufeio tuo illo Epicureo. Non dubito hanc esse veram hujus loci interpretationem. CASAUBONUS.

Ad Caietam] *Caieta* hic videtur accipi pro portu celeberrimo in ora Italiæ ad mare inferum, qui aberat Roma stadia circiter DCC. hoc est, M. P. LXXXV. auctore Strabone. Ad hunc portum fuerunt Formiæ: in cujus oppidi agro erat Formianum prædium Ciceronis, quod videtur Cicero *Caietam* vocare epist. 4. Nam ibi manifesto Caietam pro villa usurpat, ut videatur Caieta et Formianum idem esse. Itaque etiam hic fortasse possumus prædium intelligere potius Ciceronis, quam portum. Nam ibi iterum dicuntur ea signa esse in Formiano, nec dum visa Ciceroni. IDEM.

De nostro amico placando] L. Lucceium intelligit, virum doctissimum, ad quem extant aliquot Ciceronis epistolæ lib. V. ad Fam. Cum hoc fuisse nescio quid Attico controversiæ apparet ex multis Ciceronis epistolis. Quæ autem causæ hujus offensionis fuerint, plane nescio: nam id nusquam Cicero indicat ne in αἰνιγμοῖς quidem, nisi quod ejus inde principia ducta videntur, quod Lucceius offensum se dixerat ab Attico in arbitrio quodam. Vide init. Epist. XI. At illud ex Cic. colligimus, quod Lucceius hic se difficilem admodum præbuerit ad redeundum cum Attico in gratiam: tandem ultro eam petiit, quod Cicero indicat in epist. XIV. quæ cum sit scripta Messala et Pisone coss. apparet ex eo, minimum septem annorum has simultates fuisse. Veruntamen cum ait Cicero, *de nostro amico placando*, videtur ita loqui, quasi nondum penitus abrupta sit, ac ne dissuta quidem amicitia inter Atticum et Lucceium. Nondum igitur amicitiæ renuntiatio facta fuerat ex more Romano. Sed hoc fuit velut leve quoddam jurgium et frigusculum quoddam. At cum graviores inimicitiarum causæ erant, solebant renuntiare amicitiæ, idque cum publice, ut testatur Liv. lib. XXXVI. et alii historici, tum privatim. Tacit VI. Annal. *Morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere.* IDEM.

Sallustium] Vide lib. XI. ep. 17.

Accusare de te solebat] Quod Lucceium tibi non placarem. MANUTIUS.

4 CICERO ATTICO SAL.

Quod commodo tuo facere poteris] Formula antiqua, qua in petendo aliquid utebantur. Est autem ἀλλοιότις τοῦ cum ari quod cum tuo commodo fiat. Sic. ep. 8. lib. VII. *Sed amabo nihil incommodo valetudinis feceris*, hoc est, cum incommodo. CASAUB.

Q. Fratris comitia] Quibus ædilitatem Quintus petebat. Nam præturam gessit triennio post, Silano et Murena coss. proximisque consulibus Pisone et Messala, ex prætura est in Asiam profectus: petiit igitur ædilitatem Lepido et Tullo consulibus

tum gerentibus, gessit Cotta et Torquato, quoniam inter ædilitatem et præturam biennium intersit necesse est, vacuum ordinariis honoribus. MANUTIUS.

Acutilianam] Delegatum fuerat Acutilio nomen aliquod Attici; quod Atticus præstituta die dissolvere non recusabat, modo Acutilius satisdaret amplius ab ipso non peti: interim fidejussorem dare volebat Ciceronem. Id scilicet Atticus agebat, ut sibi ab eo caveretur, qui nomen Acutilio delegarat. Hanc puto fuisse Acutilianam controversiam. BOSIUS. Verum ego puto, si ea causa tantum fuisset, non futurum locum tot querimoniis Acutilii hujus, de quibus Cic. epist. seq. Quare de iis nihil certi statui potest. CASAUB.

Mea intercessio] Paratus sum vobis medius et proxenetes. GRÆV.

De C. Macro] Hic est L. Licinius Macer, amicus et familiaris Crassi: imo, ut puto, cognatus. Certe ex gente Licinia et Macri et Crassi sunt propagati. Postulabatur autem repetundarum, cujus criminis pœna erat litis æstimatio et exilium. Ex hoc autem loco coligimus Ciceronem cum prætura etiam quæstionem repetundarum exercuisse. CASAUB.

Cui cum æqui fuissemus] Indicat se cum Macro egisse non stricto jure, sed æquitate summa usum, ut ex hoc judicio duplicem merito laudem sit consecutus, quod paucis accidit, severitatis et æquitatis. IDEM.

Academiæ] Gymnasii inferioris in Tusculano. *Tusc.* 2. IDEM.

Hermes commune omnium] Apparet ex lege Solonis, quam profert in Timarchen Æschines, in omnibus palæstris Mercurium ita cultum fuisse, ut in διδασκαλείοις colebantur Musæ. ID.

Conserva] Quia se venditurum Atticus significaverat. Infra, ep. 7. et 11. MAN.

Vicos] *Vicum* vulgo accipiunt pro via publica, et quod Galli *rue* dicimus, magno errore. Nam vicus est συνοικία, hoc est, domus aliquot conjunctim ædificatæ. Hac ratione divisa olim Roma in regiones XIV. vicos vero pene infinitos. Hi sunt vici urbani; sed sunt et pagani, cum in agris plures villæ conjunctim extruuntur. Sic igitur hic omnium *vicos*, hoc est, *villas* ἄλλας ἐξ ἄλλων, ut loquitur Homerus. *Vicus* pro villa, sicut hodie vulgo *village*. Sic enim dicimus *aller au village d'un tel*, ἀντὶ in eum vicum, ubi ejus est villa. CASAUBONUS.

CICERO ATTICO SAL. 5

Fratris nostri] Parens ejus L. Tullius, fuit frater M. Tullii, qui pater erat hujus nostri M. Tullii et Quinti fratrum. GRÆV. Hæc epistola omnium prima scripta est, cum mortuus esset L. Tullius Cicero frater patruelis Ciceronis, qui erat ingenio suavissimo, et quem maximopere Cicero lib. V. de Finib. et lib. II. de Orat. commendat. Scripta est biennio ante consulatum Ciceronis, et biennio post quam ab Attico diverterat. MURET.

Ex humanitate alterius et moribus] Potest esse ἢν διὰ δυοῖν, ἀντὶ, humanis moribus. *Humanitas* apud Ciceronem non id tantum significat, quod Græci φιλανθρωπίαν vocant, sed etiam quam Plato vocat ξυναρμοστίαν τῶν τρόπων, et gravitati eam opponit. CASUABONUS.

Affinem] Propter Pomponiam Q. fratris uxorem. CORRAD.

De sorore tua] Pomponia Q. fratris uxore. Ep. seq. et ep. 1. lib. V. IDEM.

Misi] Erat enim Quintus in agro Arpinati. Epist. 6. MAN.

Ut minorem] Natu. CORRAD.

De litterarum missione sine causa abs te accusor] *Intermissione* legebat Petrus Bembus Cardinalis, pro *missione*. URSIN. Sic et legendum existimat Muretus.

Acutiliano] Vide pag. 45.

Cum multos dies aures Acutilio dedissem] Cicero dicit molestam sibi fuisse loquacitatem et dicacitatem

Peducei, quam tamen molestiam in Pomponii gratiam patienter devoravit. MURET.

Quid dicas] Sic legendum sine interrogationis nota. Est enim locutio ecliptica, in qua desideratur verbum intelligo, vel video, scilicet te rursus me accusare negligentiæ in eo quod Lucceium tibi non reconciliavi: quod ipsum tamen minime neglexi. Ep. 7. et 11. POPMA. Quid dicas est *vide quid dicas*, si me negligentiæ insimulare velis. MURET.

Affectus] Lucceius est animo abalienato, neque satis declarat, quid causæ subsit: tectus est, non aperire vult quæ res animum suum abalienarit. IDEM.

Contendendum] Balliolenses membranæ non inepte: *quid autem concedendum esset:* in iis quæ petebat Lucceius, propter quæ simultates illæ inter Atticum et Lucceium erant ortæ. GRÆVIUS.

Voluntate statuere oportere] Edendum curavi, *me statuere oportere*, codicis Tornæsiani scripturæ vestigium secutus. LAMB.

De Tadiana re] Hereditatem quandam, quæ puellæ obvenerat, cum esset in agnatorum tutela, Tadius biennium, aut diutius possederat, quoad satis esset ad inducendam ejus hereditatis usucapionem. Eam hereditatem cum a Tadio puellæ agnati, qui tutelam ejus gerebant, repeterent, Atticus eam usucaptam putabat. Cicero vero mirabatur ignorasse Atticum in hujusmodi re usucapionem procedere nequivisse, cum de tutela, id est, de re pupilli pupillæve, nihil usucapi posset. Nam cum res pupillorum nequeant sine decreto alienari, fatendum est non posse quoque usucapi. BOSIUS.

Epiroticam emptionem] In Epiro circa Buthrotum habuit prædia Atticus, quorum in his epistolis passim fit mentio, et Nepos in vita. Ea prædia quando emerit Atticus, hinc colligi potest. CASAUBONUS.

Mandavi] De signis. Ep. 2. 3. &c.

Quo] Bosius Baluzianus, non *quo*, sed *Q.* ita ut legendum sit, *conquiescimus. Q. fratrem*, &c.

6 CICERO ATTICO SAL.

Ut par mihi sis] Bosius Baluzianus: *ut par in hoc mihi sis.*

Domum Rabirianam] Quæ fuit C. Rabirii, quem postea perduellionis reum Cicero cos. defendit. CORR.

Q. frater] Vide super. epist.

Hominem χρηστομαθῆ] Bonis præceptis refertum, qui ea didicit quæ usui sunt, et quæ hominem reddunt χρηστὸν, hoc est frugi, et bonum. CASAUBONUS.

Pater] M. Tullius Cicero, *lib.* 2. *de Orat.* qui, cum esset infirma valetudine, in Arpinati fere ætatem egit in litteris, *lib.* 2. *de Leg.* et, dum filius consulatum petebat, decessit. *Ascon.* CORRADUS. Vide Fr. Fabricium, *Histor. Cicer.*

γυμνασιώδη] Quæ gymnasii sint, illique loco præcipue conveniant. Quod etiam inquit in epistola ad Fabium Gallum: *Ea enim signa ego emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum.* VIC.

7 CICERO ATTICO SAL.

Apud matrem recte est] Mater tua bene valet. Amisit eam nonagenariam, cum ipse natus esset annos sexaginta septem. MURET.

8 CICERO ATTICO SAL.

Miratur istam controversiam] Hoc est, causam ejus rei non videt, et vix credere potest. Tacite innuit Cicero Atticum videri Acutilio quæsivisse

occasionem differendæ solutionis. CASAUBONUS. De satisdatione dictum Orat. pro Quintio.

Decidisse] *Decidere* sæpe est, transigere cum adversario sine judice. GRÆV.

Amicus] L. Lucceius. Ep. 9. h. l.

Pentelici] Erant statuæ a marmore Pentelico; quod ita dictum fuit, vel quia erat quinque nigricantibus maculis sive lineis distinctum, auctore Suida; vel quod e Pentelico monte Atticæ excidebatur, ut refert Pausanias. POPMA.

Xysti] Vitruvius, V. 2. et VI. 9.

Abjurare certius est] Malo cum perjurio infitiari me sponsorem esse, quam præstare munusculum quod te illi missurum promisisti. *Abjurare* verbum forense est, et rem creditam vel promissam perjurio negare significat, ut scribit Servius. Plaut. Curculione, *Qui abjurant si quid creditum est.* POPMA.

CICERO ATTICO SAL. 9

Arcæ nostræ] Ex qua præsentem pecuniam numerare possum. BOSIUS.

Εὐμολπιδῶν ἀπόρρητα] *Eumolpidarum ritus patrios.* Non est ut hic intelligantur ritus illi secretiores, qui tantum mystis noti erant, et sine capitis periculo vulgari non poterant, sed illa sacra et cæremoniæ, quibus in Eleusiniis celebrandis utebantur in omnium oculis Eumolpidæ, quasque poetæ et prisci scriptores alii commemorant passim; aut forte per *Eumolpidas* intelligit recte ipsos Athenienses, ut petierit Chilius Atheniensium leges et disciplinam sibi describi et mitti. GRÆVIUS.

CICERO ATTICO SAL. 10

Cum essem in Tusculano] Atticus hoc epistolæ principio usus erat, *Cum essem in Ceramico*: quem Cicero imitatus, et ipse ita cœpit, Cum essem in Tusculano. MANUT. Vide de duplici *Ceramico* libellum Cl. Joannis Meursii. GRÆV.

De nostro amico] L. Lucceio.

Hermeraclas] Imagines Mercurii, et Herculis, quibus Athenienses statuas in gymnasiis ponebant. *Athen.* l. 13. CORR.

Οἰκεῖον] Proprium, accommodatum ad naturam.

Typos] *Typi* sunt imagunculæ, effigies, ac formæ hominum et aliarum rerum, quas variis fictas speciebus in tectorio exculptis sedibus Cicero volebat includere, atque ita ipsum tectorium incrustare: quod etiam hodieque ad ornatum parietum faciunt. Plinius lib. XXXV. *Impressa argilla typum fecit, et cum cæteris fictilibus induratum igni proposuit.* Mox infra, *Putealia sigillata* sunt puteorum opercula, quibus parva signa affixa, ut *scyphi sigillati*, in Verrem. POPMA.

Bibliothecam tuam] Venalem scilicet, quam tibi pueri tui confecerunt, quæstus causa. Complures enim Atticus librarios habuit, unde fructum perciperet. *Nepos* in ejus vita. MALASPINA.

Vindemiolas] Quidquid pecuniæ possumus hinc inde contrahere. MANUTIUS.

Prægnas] Pro *prægnans.* Vox *prægnas* et *damnas*, quæ apud jurisconsultos sæpe legitur, sunt veteris linguæ reliquiæ. Sic *sanas*, unde *sanates* Gellio, XVI. 10. CASAUBONUS. *Prægnas*, si Probo credimus, scribendum est. Is enim in suis Catholicis ita scribit: *Gnas, tertiæ sunt declinationis:* tis *faciunt Genitivo, ut* prægnas, *prægnatis.* Ubi in scriptura mendum esse non potest. MALASP.

Permisisse] Ut eorum causa Romam ne venias. Et de comitiis accipe non consularibus, sed prætoriis. MANUT.

Diem dat] *Dare diem* est constituere diem solutioni, quæ si tum non repræsentatur, potest is cui dies datus est a creditore in jus vocari. GRÆVIUS.

Sponsorem non *appellat*] Antea, quod tu ei promissum munusculum non mitteres, me sponsorem appellabat; nunc sponsorem omittit; te ipsum in judicium vocat: itaque faciundum tibi est, ut promissum omnino solvas. In vulgatis libris, *Sponsorem appellat*, legebatur. Ego negantem particulam interjeci, sumptam ex antiquo Bessarionis exemplari, sententia, mihi quidem ut videtur, mirifice comprobante. MANUT.

11 CICERO ATTICO SAL.

Illud suum arbitrium] Al. *Illud tuum arbitrium*. CORRAD. Ac bene quidem, *tuum*. Vide Casaub. ad ep. 3.

Allegatio] Hoc est, submissio, aut subornatio. Sum enim a te submissus ut te apud ipsum in gratiam ponerem. *Allegare* dicitur ille qui submittit aliquem ad aliquid clanculum perficiendum. Sic *allegare testem*. Terent. Andr. *Ne credas me allegatum*, hoc est, ne credas me subornatum. GRÆV.

Aut ei molesta erunt, in utro culpa erit] Ciceroni a quibusdam nimis gravis dica dicitur propter hæc verba: quorum non est sententia, Lucceio creandam molestiam, uter etiam ex illis auctor extiterit culpæ et offensæ, sive injuriam alteri fecerit. Sed hic, ni fallunt me omnia, est sensus, molestiam fore imponendam illi, in quo futura sit culpa, quo minus iterum possint redire invicem in gratiam. J. A. FABRICIUS, *Bibl. Lat. lib.* I. *cap.* 8. Scripsit hoc, opinor, Cicero, ut Epicureum Attici torporem excitaret. Volebat ille quidem reconciliari cum Lucceio, sed aliena Ciceronis atque amicorum opera, nulla sua. Id, quod ex epistola hujus libri quinta intelligi potest, itemque ex decima. Frustra ergo ii, quos Fabricius designat, Ciceronem traducebant, uti perfidiosum hominem atque improbum, qui polliceretur facturum se suis artibus, ut hujus offensionis culpa omnis atque invidia in Lucceium, quo jure, qua injuria, derivaretur. Aiunt Ciceronem ita scribere, ut Attico plus tribuat, quam Lucceio. Quid tamen scribere poterat magis ex æquitate, quam istud? In utrolibet culpa erit, illi erit molestia. Tum nihil in tribus est epistolis, unde colligas, falso queri Lucceium: sunt autem multa, quæ significent, profectam esse ab Attico gravem injuriam. OLIVET.

Designatum esse] Magna fuit discrepantia inter P. Manutium, ac Corradum. Hic putabat agi de consulatu Ciceronis, Manutius autem de prætura. Ego inter amicos non soleo me arbitrum interponere. Hoc loco accipio Ciceronem consulem esse designatum. MURET. Faciunt cum Manutio Casaubonus et Mongaltus: de quorum sententia nos in laterculo chronologico hanc epistolam diximus fuisse scriptam anno Urbis 686. OLIVET.

12 CICERO ATTICO SAL.

Teucris illa] Constat hoc nomine significari C. Antonium collegam Ciceronis in consulatu. BOSIUS. Cur vero Antonius ita sit appellatus ἐν τῷ αἰνίγματι, multa quidem adducunt interpretes, quæ si scias, nihil scias. OLIVET.

Cornelius] Affinis P. Sextii, qui tunc quæstor erat C. Antonii in Macedonia: ep. 6. lib V. fam. Cornelius igitur Romæ cum esset, hoc negotium fortasse curabat. CORR.

Ad Terentiam] Totius loci hujus de Antonio hæc est sententia. Antonius lente solvit, et me frustratur his verbis, *Libertum mitto* qui tibi numeret, *Tuo* Attico *mandavi* ut ipse meo nomine solveret: quæ revera sunt excusationes atque dilationes. Sed neque *Cornelius* ab illo allegatus ad Terentiam, cum spem solutionis fecisset, ad eam postea rediit. Itaque oportet me confugere ad *Axium*, *Considium Selicium*, fœneratores, et ab

illis pecuniam sumere. Nam *Cæcilius* tam durus fœnerator est, ut ab eo nec ipsius propinqui nummum habere possint, nisi pendant *centesimas* usuras, id est, in anno duodenos nummos pro centenis. Veruntamen quod tam lente solvit Antonius, bene cadit, ut non tenear eum defendere, cum reus repetundarum agetur. Nam præcursores quos Pompeius ex bello Mithridatico revertens celeri cursu præmisit, nuntiant Pompeium acturum in senatu, ut Antonius e provincia revocetur ob pecunias a sociis injuste exactas, et ad populum ut Romam ad causam de repetundis dicendam veniat. POPMA.

Minore movere] Est, minore fœnore movere, quam centesimis.

Centesimis] Non ab annua, sed a menstrua solutione *centesimæ* dictæ usuræ, quia singulis mensibus centesima pars sortis pendebatur, quæ, secundum nostrorum temporum rationem et loquendi consuetudinem, duodecim in annum faciunt: veteres enim in usurarum ratione menstrua tempora observabant, non, ut nunc, annua. Vide J. F. Gronovium, lib. III. de Pec. Vet. cap. 13. GRÆV.

Illa] Teucride, scilicet Antonio.

Libertum mitto: Tito mandavi] Verba sunt non Ciceronis, ut quidam existimant, sed Antonii, qui solvendæ pecuniæ diem produceret his verbis: *Libertum mitto;* subaudi, qui numeret: *Tito mandavi;* ut scilicet ipse tibi pro me satisfaceret. Antonii igitur, σκώψεις hæc sunt, atque ἀναβολαί, id est, tergiversationes, et dilationes. MANUT.

Nescio, an ταυτόματον ἡμῶν] Antonius, inquit, non solvit: sed hoc optime cadit, ut deinde ejus defendendi causa mihi nulla sit. Et spectavit fortasse ad illum versiculum, qui est in Græcis sententiis, ταυτόματον ἡμῶν κάλλιον βουλεύεται, *Casus melius, quam nos consulunt.* Magis e re nostra est, eum non solvere, quam si, quod volebamus, solveret. Quod casu, non consilio nostro, fit. IDEM.

Pompeiani prodromi] Quos Pompeius, ex bello Mithridatico revertens, celeri cursu præmittit. IDEM.

Acturum] In senatu. IDEM.

Aget prætor ad populum] Ut Romam evocetur ad causam de repetundis dicendam, quod socios diripuerit. Nec tamen hoc anno, id est Pisone, et Messala coss. sed biennio post, id est Cæsare, et Bibulo coss. causam dixit C. Antonius. Quod e Suetonio, et orat. pro domo planum fit. IDEM.

Ratiocinatorem] Qui tractabat rationum libros, cum mihi serviret servitutem: vel quia nunc est ratiocinator Antonii. CASAUB.

Clientem tuum] Notabis ex isto loco videri moris fuisse, ut servi, cum libertate donarentur, optarent et eligerent patronum, in cujus clientela essent futuri ex jure civium Romanorum. Atque hinc notabis duplicem patronum diverso respectu eundem habuisse: alterum habebat ut libertus, alterum ut cliens. Sunt enim relata inter se patronus libertus, et patronus cliens. IDEM.

Valerius interpres] Putant quidam esse hunc P. Valerium, cujus mentio ep. 2. lib. XIV. ad famil. Peritum sane linguarum fuisse oportet, qui in senatu orationes legatorum peregre advenientium interpretaretur. Nam id fuisse ejus munus videtur. CASAUBONUS.

In cogendis pecuniis] Ego puto Antonium sub cellæ nomine magnam pecuniam coegisse, hocque usum esse prætextu apud amicos, partem hujus pecuniæ deberi Ciceroni, quod hanc ei promiserit, cum sibi provinciam, quam sortitus erat Cicero, cederet. Notum enim est hoc Ciceronem fecisse, cum tempore conspirationis Catilinariæ collegæ animum sibi adjungeret. GRÆV.

Divortium] Quod Pompeius ex bello Mithridatico rediens fecit cum *Mucia* Q. Mucii Scævolæ filia, ob suspicionem adulterii cum C. Cæsare commissi. POPMA.

Servulæ] Alii *Servilia*, alii aliter. Sed nugas omittamus.

13 CICERO ATTICO SAL.

Venisse Romam Atticum vocatu Ciceronis futuri consulis supra sæpe dictum. Videtur in urbe fuisse totum annum consulatus Ciceronis, et sequente quoque, sub cujus finem abiit Roma in Epirum. Ex illo itinere datas ab ipso litteras ad Ciceronem, quoties offerretur occasio, apparet ex hac epistola: ex qua etiam liquet superiorem a Cicerone scriptam esse ad Atticum, cum adhuc in itinere esset: videtur enim Atticus lente in hoc itinere ambulasse, vel pluribus locis substitisse. CASAUB.

Pellectione relevarit] Nam solent litteras in itinere aliqui reserare, et inspicere, quibus graves videntur, nisi eas leviores reddiderint: cum legunt, tum enim videntur esse leviores. Hoc est, quod dicit se non invenire *fidelem tabellarium*, qui recte eas perferat. Nam multos esse qui epistolam paulo graviorem ferre non possint. MURET.

Cæsis apud Amaltheam] Jocatur, Atticum facto sacrificio in Achaiam ad exigendam a Sicyoniis pecuniam debitam profectum, tanquam imperatorem ad bellum. *Amalthea*, sive *Amaltheum*, erat villa Attici in Epiro, forte a copia rerum omnium dicta, quasi capra *Amalthea*. POPMA.

Ad Sicyonem] Sicyonios debitores tuos, ep. 16. h. l. *Sicyonem* in Macedonia ponit Plaut. in Pseud. CORR.

Oppugnandum] Ut nummos exprimas. Ibid. est μεταφορὰ. IDEM.

Ad Antonium proficiscare] Cum litteris in quibus te illi commendo, ep. 5. lib. V. Fam. Unde illi postea gratias egit, ep. 13. h. l. IDEM.

Rogatum] A. M. Pisone cos. ID.

Pacificatorem Allobrogum] C. Calpurnium Pisonem intelligit, qui Galliam Narbonensem ex consulatu obtinuerat, in qua *Allobroges*. In administrationis istius tempore videntur movisse aliquid Allobroges, quod et historia conjurationis Catilinariæ declarat: *Piso incipientem motum sua prudentia composuit, et fluctuantes animos in officio continuit*. Ideo appellatur *pacificator Allobrogum*, quod tamen Cicero videtur non sine urbanitate aliqua dicere, et joco. CASAUB.

Admurmurante senatu] Senatus significabat sibi non placere. MURET.

Homine] M. Pisone cos. CORR.

Pene principis] Gell. lib. IV. cap. 10. IDEM. Hoc sapientissime scriptum est. Nam primus locus *benevolentiæ consulis* fere attribuitur; neque is, qui primus rogatur, inficiari potest, quin se obstrictum consuli fateatur. Secundus autem locus *auctoritati* et dignitati adscribitur, ut sæpe hic major quam primus haberetur. Sic Themistocli a Lacedæmoniis prudentia sua devictis Persis, suffragiis in urnam conjectis, cum contenderetur utrum Alcibiadi, qui et fortitudine sua multitudinem Persarum devicit, præferri deberet, an Alcibiades Themistocli, secundus locus prudentiæ, qua victoria parta fuerat attributus est. Dubium autem non fuit, quin primus locus benevolentiæ, alter virtutis attribuatur. Vide Herod. et Plutarch. MURET.

Tantum cavillator] Vetus codex: *tamen cavillator*. BOSIUS. *Baluzianus*.

Moroso] Lege *mocoso*. Μῶκος est sanna. Actionem mimicam et gesticulatoriam *mocosam* veteres appellabant. SALMAS.

Nihil agens] Nusquam hoc loquendi genus reperias: legendum igitur *nihil agens cum populo*. Populus est sejunctus ab optimatibus. Sunt duæ factiones, altera populi, altera optimatum. Hoc itaque dicit *nihil agens cum populo, sejunctus ab optimatibus*, neque placet populo, neque optimatibus, neutri parti servit. MURET.

Collega] M. Messala.

Quin immo] Vetus codex habet: *Quin nunc leviter*. BOSIUS. *Baluzianus*.

Vereor ne hoc quod infectum est, serpat longius] Sensus hic est: Timeo

ne macula, quæ pridem a Clodio reipublicæ aspersa est, serpat longius. Solent enim maculæ serpere et porrigi longius. Dicit de ea labe quæ erat aspersa reipublicæ propter violationem Bonæ Deæ. MURET. Exponendum: quod tabe vel peste contactum est, trahat atque inficiat ulteriora, id est, ne talis consul collegæ suam scabiem affricet. GRON.

Intaurassent] Legendum: *Ideoque sacrificium cum virgines instaurassent*, Propterea quod sacrum Bonæ Deæ violatum esset, illud cum instaurassent virgines. MURET.

Boni viri] Optimates, nobiles, primores, ut infinitis in locis. GRÆV.

Lycurgei] Non a *Lycurgo* rege Lacedæmoniorum ducto nomine se *Lycurgeum* fuisse scribit; sed a *Lycurgo* oratore Atheniensi, quem ferunt in dicendo valde severum et acerbum extitisse. BOSIUS. Ego, qui sacer reprehensor et vindex malorum instar Lycurgi illius nobilis Atheniensis oratoris, de quo Diod. Sic. VI. 89. et Cic. in Brut. 34. quotidie remitto aliquid de severitate mea. GRON.

Amicus] Pompeius. Serviebat enim omnibus gratiosis tum temporis, ut acta ejus bello Mithridatico confirmarentur. IDEM. Floruit Pompeius extra urbem dum fuit, et pro populo Romano bella gessit. Reversus in urbem misere jacuit: quanquam ipse sane in causa fuit, qui dum vult omnium gratias retinere, omnium amisit. CASAUB.

Scin' quem dicam] Non tantum hæc verba notis parentheseos erant includenda, sed omnia quæ sequuntur usad *cœpisse*, ubi desinit parenthesis. Non hic Cicero Pompeium nominatim indicat, sed indicat certissimo indicio. *Is est*, inquit, *de quo tu scripsisti ad me, postea*, &c. Nec dubium Atticum id scripsisse Ciceroni, una aliqua ex tribus epistolis, quæ hujus initio commemorantur, cum Roma discedens incidisset in Pompeium, qui e bello Mithridatico Romam redibat. Nam eum Romam venisse, et fuisse ad urbem hoc tempore apparet etiam ex seq. epistola. CASAUBON.

Laudare cœpisse] Sero. Nam nimium diu tacuit. ep. 19. h. l. Id queritur Cicero ep. 7. lib. V. Fam. COR.

Nihil simplex] In Pompeio, *qui solet aliud sentire, et aliud loqui*, ep. 1. lib. VIII. Fam. IDEM.

Ἐν τοῖς πολιτικοῖς] In rebus publicis, et ad remp. accommodatis.

Τοποθεσίαν] Loci descriptionem.

A. D. III. *Non Decemb.*] Apparet lapsum Ciceronem in aliquo scripto suo, ubi hæc verba posuerat; de quo errore ab Attico admonitus fuerat. CASAUBONUS.

Ἀττικώτερα] Magis Attica, elegantius dicta, unde ἀττικισμὸς ep. 16. lib. IV. sic ἀττικώτατα ep. 1. lib. XV. CORRADUS.

Orationem Metellinam] Vide Orationum Fragmenta, Tomo VI. pag. 605.

Φιλοφίτορα] Studiosum artis dicendi.

Messala] Perinde hæc sunt accipienda ac si diceret, Meministin, mi Attice, fuisse cum multi me reprehenderent, cum domum meam emerem, primum quod tam caro emerem; deinde quod pecunia aliena. Atqui habeo nunc quod illis respondeam: nam et carius emit Messala quam ego: et amicorum opibus, non minus quam ego usus sum. Deinde et suum et Messalæ factum defendens ait, nihil vetare quin bonus ac prudens civis amicorum facultatibus in emenda domo ad dignitatem aliquam perveniat. Hic sensus hujus loci, quem interpretes ne per caliginem quidem vident. MANUT.

H-S CCCCXXXVII.] Affirmare non dubitamus, locum esse corruptum. Legimus autem *H-S* XXXVII. quod interpretamur sestertium tricies septies. Notas autem illas CCCC a mala manu esse profectus persuasissimum habemus. MANUT.

14 CICERO ATTICO SAL.

Prima concio Pompeii] Reversi a bello Mithridatico, ep. 11. hujus libri.

Scripsi ad te antea] Vel desideratur epistola hæc, et ea est fortasse quam *liberiorem* se missurum pollicetur in fine prioris: quam noluit extare Cicero. Vel hæc referenda ad illa, quæ superiore epistola dicta sunt illo loco: *Tuus autem amicus*, &c. CASAUBONUS.

Fufius] Existimamus hunc esse *Q. Fufium Calenum*, perpetuum Ciceronis hostem. De quo in Philipp. MALASPINA.

Res agebatur] Duas circumstantias facti ejus notare voluit Cicero obiter. Sæpe enim de re ex circumstantiis optime judicatur. Hic autem duas Attico considerandas proponit loci et temporis. Ait igitur, Rem agi *in circo Flaminio*. Hæc est loci circumstantia, quam neque temere ponit Cicero, neque recte interpretes omiserunt expendere. Pompeius tum fuit ad urbem, hoc est. expectatione triumphi, et remansit extra urbem prope ad exitum ejus anni, quo triumphavit: itaque in *circo Flaminio* res acta fuit, qui erat extra urbem. Tempus notant: *Et erat in eo ipso loco illo die nundinarum* πανήγυρις. Quid refert? dicat aliquis. Multum: quod non observarunt interpretes. Moribus enim Romanis, quo die *nundinæ* erant, cum populo agi non potuit. Festus auctor in *Nundinas*, quem vide. Ergo etiam hoc contra mores forte ab isto tribuno levissimo Fufio; quod tamen ut minus miremur facit Macrobius, qui docet disputatum diu fuisse, *essent nundinæ feriæ nec ne?* ac olim quidem fuisse sine dubio, postea tamen lege Hortensia fastas esse factas, *ut possent* (ait) *rustici qui nundinandi jam in urbem venirent, lites componere*. Quare postea quam semel fastæ declaratæ lege fuerunt nundinæ, cœperunt, ut ait idem Macrob. omnia negligentius haberi, ut minus mirum sit levissimum tribunum in re maxima ausum esse concionem die nundinarum cogere. CASAUB.

Πανήγυρις] Conventus.

Quo consilio] Quibus judicibus uteretur in causa Clodiana. MAN.

Μάλ' ἀριστοκρατικῶς] Plane ut optimatem decet.

Γενικῶς] Generaliter.

De istis rebus] Malim, *De nostris rebus*, id est, in consulatu gestis. De conjuratis enim intelligit supplicio affectis. Quod factum Pompeius satis a se probatum significabat, cum senatus omnia consulta γενικῶς laudasset. Nam Cicero animadversione illa usus fuerat auctore senatu: ut qui senatum laudaret, Ciceronis idem acta confirmare videretur. MANUT. *Istius* legendum, hoc est, meis. Διακριτικῶς enim dicitur, et ita videtur Pompeius locutus, cujus verba refert. Sed et Cicero ita de se loqui poterat. Sic apud Comicos sæpe, sæpissime autem apud Græcos Tragicos. Terent. And. *Tu si hic sis, aliter sentias. Hic*, hoc est, ego. Auctor Priscianus. Vulgo aliter hic locus accipitur. CASAUBONUS.

De flamma, de ferro] Cum incendiis urbem, civitatem cæde, mea virtute dico esse liberatam. MAN.

Nosti illas ληκύθους] Non discedit a translatione. Nam, ut pictores *ἐκ τῶν* ληκύθων, quæ sunt ampullæ pigmentorum, sumunt quæ ad colorandum apta novere, sic eloquentiæ veluti coloribus, &c. IDEM.

Proxime] Sanctius *Minerv. lib.* I. *cap.* 16. edidit: *Proximus Pompeium sedebam*, hac adjuncta animadversione: Dicimus Latine; *Proximus Pompeio, Pompeium, ad Pompeium, a Pompeio, post Pompeium, secundum Pompeium, propter Pompeium.* Hoc ergo, *Proxime Pompeium*, per ellipsin dictum est; integrum fuerit, *proxime ad.* OLIVET.

Ipse] De nostris rebus tacens. COR.

Meis omnibus litteris] Hoc est, in omnibus, quæ scripsi de Pompeio. Puta in oratione Maniliana; et id genus aliis scriptis Ciceronis. GRÆV.

Perstrictus esset] Vide et orat. pro lege Man. cap. 10. et pro Sextio 31. GRONOV.

Ab illo aperte] Hujus loci hic est sensus. Non ita me adjunxi Crasso, ut gratiam et amicitiam Pompeii negligerem. Nam contra, ut illum mihi redderem amiciorem, quod ille mihi tecte dederat, accepi aperte, et palam ei gratias egi, quasi apertissime et mea laudasset. CASAUBONUS.

Ἐπιπεριπερευσάμην] Sensus est: Ego ostentavi me, hoc est, multus fui in declamando de rebus gestis meis, eas auxi, eas ornavi, eas amplificavi audiente Pompeio, imo ut audiret novus auditor Pompeius. Quia enim recens ille advenerat, nec fuerat alias auditor meus, cum ego idem argumentum tractarem, volui nunc arrepta hac occasione efficere, ut ille me cognosceret penitius, et qualis quantusque sim, quantamque eo absente gloriam sim consecutus. Hæc est vera hujus elegantissimi loci sententia, quam primi detegimus. Nam interpretes εἰδὼν ἰγνῶς. CASAUB.

Clamores] An hoc dicit: clamores mea oratione et plausus atque ἐπιφωνήματα excitari ab auditoribus. An hoc potius? clamores magnos edidi, et, ut mox loquitur, *sonitus*, dum omni figurarum genere orationem meam exorno. CASAUB.

Ὑπόθεσις] Argumentum, materia, causa. Quint. III. 5. CORRAD.

Ordinis] Senatus. IDEM.

Immortuæ] *Immortuus* dicitur de eo, qui in aliquo moliendo occupatus moritur, antequam rem perfecerit, quod accidit plerisque e conjuratione Catilinæ, qui post ejus et magnæ partis conjuratorum abitum ex urbe, remanentes in urbe, quod viderent nullam esse rei perficiendæ spem, quieverunt: et si non animo, certe quod ad effectum attinet, ad sanam mentem redierunt. Hæ sunt *reliquiæ conjurationis*, quas ait esse *immortuas* et sopitas. CASAUB.

Vilitate] Post extinctam conjurationem consecuta. al. *utilitate*. CORR.

Ἄρειος πάγος] Martius vicus, Areopagus. ἔστι δὲ Ἄρειος πάγος καλούμενος, ὅτι πρῶτος Ἄρης ἐνταῦθα ἐκρίθη. Pausan. in Attic. Areopagitas vero Solon constituit (lib. I. de Off.) qui severi ita fuerunt, ut severi judices proverbio Areopagitæ dicantur, ut εἰρωνικῶς ep. 13. h. l. IDEM.

Filiola Curionis] C. Curionis filio, qui eam consuetudinem cum M. Antonio tunc habebat, ut merito filia potius, quam filius dici posset. Philipp. 2. et Plut. in Ant. IDEM.

Ut nulla daretur, Uti rogas] Cum populus in campum Martium convenerat, uti rogationem aliquam aut acciperet, aut antiquaret; tabellæ singulis binæ dabantur, diverse inscriptæ; altera sic, *Uti rogas*, qua significabant, se rogationem accipere, et velle uti rogasset is, qui rogationem tulisset: altera cum littera *A*: quæ erat antiquatæ, id est, sublatæ rogationis nota. MANUT.

Dimittuntur] An non præstat legere, *diriguntur?* Non enim placide sunt dimissa comitia, sed et propter Clodianorum audacium, et optimatum concursum, qui eis se opponebant, dirempta sunt comitia. GRÆV. Et id Muretus quoque.

Curioni] Patri, non filio, qui nondum id ætatis videtur fuisse, ut senator esse posset, et sane non ita multo post ut non senator introducitur in senatum, ep. 24. l. II. CORRAD.

Nullum senatus-consultum facienti] Est, petenti, ut nullum senatus-consultum fieret, aut etiam, ut senatus-consultum quod ante erat factum de rogatione ad pop. ferenda tolleretur. CASAUB.

Acta res est] Factum est decretum, ut coss. populum cohortarentur ad rogationem accipiendam. CORR.

Fufius] Hic locus variis modis legitur; cum enim omnes corruptum esse existimarint, quisque pro suo ingenio supplevit. Est autem hic Quintus Fufius Calenus, perpetuus inimicorum Ciceronis defensor, qui causam Clodianam acerrime defendebat. VICT. Ex vestigiis veterum codicum lectionem hanc erues optimam, et

huic loco valde accommodatam: *Fufius territus tum cessit.* Quamvis Fufius, seditiosissimus tribunus, vehementer niteretur, ne hæc lex ferretur; territus tamen tanto senatorum numero, consentientium in senatusconsultum quod faciendum erat, tum temporis cessit, sive tum non intercessit, non intercessione sua impediit ne senatus-consultum fieret. GRÆV.

Me tantum comperisse omnia] Id est, objiciebat mihi illud, quod ego de me prædicaram in meo consulatu, me comperisse, Catilinam cum suis consilium cepisse urbis incendendæ, &c. LAMB.

Rogatio] De pollutis sacris. COR.

Uno vitio minus vitiosus] Hoc est, Piso homo vitiosissimus esset adhuc vitiosior, nisi vitium unum ab aliis vitiis eum retraheret. Nam qui sit ignavus, non potest esse audax, et multum formidandus reipublicæ, qualis Catilina. Piso etsi malus erat, ut erat, si tamen accessisset audacia, longe deterior fuisset. CAS.

Ἀπραγμονέστατος] Ignavissimus, nihil prorsus faciens. CORRAD.

Ita καχέκτης] Translatum est e schola medicorum vocabulum. Est enim καχέκτης apud medicos, cujus corpus ita est affectum, ut vergat omnino in morbum. Ideo addit *voluntate*, ut translationem indicaret a corpore ad animum. Ciceronem autem in libris medicorum adprime fuisse versatum, declarant vel infiniti harum epistolarum loci diligenter eloquentiæ studiosis notandi; et simul meminerimus veram eloquentiam esse, quæ conjuncta est cum scientia et cognitione rerum plurimarum, unde efflorescit et manat omnis copia. Scite Horatius: *Scribendi recte sapere est et principium et fons.* CASAUBONUS.

Post illam concionem] In quam productus fuit a Fufio. CORR.

Cornuto] *C. Cornuto* trib. pleb. qui tribus post annis prætor fuit. Orat. post reditum in senatu. ID.

Pseudo-Catone] Hoc est, altero Catone, sive Catonis imitatore. Tantum fuit nomen Catonis, ut multi Romæ eum imitarentur, et eum adhuc vivum pro exemplo sibi proponerent. Talis etiam fuit Favonius. CASAUBONUS.

Promissa patravit] Est, debitum, ut erat toties pollicitus, solvit. Sed quia sæpe fidem fefellerat Antonius, et Cicero illi erat iratus, ideo ait indignabundus *patravit.* Quod est verbum obscœnum, et quo pure qui loquuntur Latine, non temere utuntur; sed fere cum designatum aliquod malum facinus volunt indicare. Plaut. *Post tam fœdum facinus patratum.* ID.

Argiletani] *Argiletum* pars urbis prope Palatium, sic dictæ a cæde Argi, quasi Argilethum. Vide Servium et Varronem. In ea parte fuit aliquod ædificium, cujus quadrantem, hoc est, tertiam partem habebat vel hereditatis jure, vel alio Q. Frater; nunc ait Cicero eum emisse *reliquum dodrantem*, hoc est, semissem cum tertia parte. IDEM.

Venditat] Vendendi desiderio tenetur, et quasi venale proponit. CORRADUS.

Petiturire] Sic emendavit Adr. Turnebus e Mss. LAMB. Lucceium cupide velle abs te petere, ut secum in gratiam redeas; non audere tamen, metu repulsæ. Verum navabo operam, ut, posito metu, id abs te petat, et impetret. BOSIUS.

Istæ res sint] *Istas res* vocat, res quæ istic fiebant, id est, loco ubi erat Atticus. IDEM.

15 CICERO ATTICO SAL.

Asiam] Per *Asiam* autem intelligitur illa Minoris Asiæ pars, quæ a Romanis in provinciæ formam erat redacta. GRÆV. Vide Ep. 1. ad Q. Fr.

Φιλέλληνες] Studiosi Græcorum. Vide Cic. Orat. pro Flacco.

Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο] *Omnimodæ virtutis reminiscere.* Sunt verba Achillis Hectorem alloquentis in ipso agone. Iliad XXII. 268.

CICERO ATTICO SAL. 16

De judicio] Clodiano, propter violata Bonæ Deæ sacra. CORRAD.

Ὕστερον πρότερον] Id est, præpostere, secundum, vel de secundo prius.

Ὁμηρικῶς] *Homerus* Iliadem orsus a nono anno belli Trojani, mirificam rationem invenit etiam illorum commemorandorum, quæ prioribus annis acciderant. Sed illustrius id multo in Odyssea paret. Orditur enim poeta ab eo tempore, quo Ulysses in insula Calypso detinebatur, quo anno fatalis illi erat reditus: quis igitur speraret, illa legens, poetam omnia tam commode, tam eleganter, quæ novem primis annis passus erat Ulysses relaturum, et tum nihil fere eorum prætermisit. Inde dixit *Ὁμηρικῶς*. CAS.

Ad conciones confugisset] Cum P. Clodius unicum sibi præsidium putaret sordidam plebem, quam lactabat concionibus invidiosis in Ciceronem, quasi qui nobiles cives indemnatos necasset, et commodis plebis, agrariæ legi Rulli resistendo, adversatus fuisset. GRONOV.

In qua nihil aliud a consulari rogatione differebat] Fufius hic fucum fecit Hortensio, et aliis parum cautis senatoribus. Fufius videns ægre servari posse Clodium, rogatione illa accepta, persuasit Hortensio, se boni publici et concordiæ scilicet studio velle ferre rogationem, qua idem efficeretur atque illa consulari: et quod ita eam rogationem composuerit, ut nihil differret a consulari, nisi quod ex lege Fufii judices ordinarii de Clodio erant cognituri; ex rogatione senatus non judices ordinarii; sed vel populus, vel aliquis, cui aut senatus-consulto, aut plebis-scito extra ordinem quæstio illa fuisset mandata. Recte autem ait Cicero in hoc fuisse omnia, quod cum non videret Hortensius, quæ fuit ejus imprudentia, passus est sibi fucum fieri, et os oblini. CASAUB.

Perspiciens inopiam judicum] An inopiam judicum, hoc est, quod erant boni judices defuturi? an sic potius: Perspiciebam eos, qui futuri erant judices, omnes esse viles animas, et egestate laborantes. Nam quis nescit paupertatem sæpe esse malesuadam, et recte a sapientibus institutum ad magistratus aut judicia non temere pauperes esse admittendos, nec semper jure reprehendendum illud, *dat census honores*. IDEM.

Neque dixi quicquam pro testimonio] Qua nocte pro populo fiebat, Clodium Romæ fuisse, cum ille diceret se fuisse Interamnæ, ut postea probavit. Ep. 1. lib. II. et orat. pro Mil. COR.

Πρὸς τὸ πρότερον] Ad prius, ad id quod priore loco quæsisti. IDEM.

In infamia] Nam, si Fufius intercessione impediret, quo minus de re Clodiana populus judicare posset; itaque judicium de Clodio nullum fieret; Clodius tamen in infamiæ sordibus jaceret; quem non innocentia videretur in judicio servasse, quod fortasse nunc videri potest, sed tribunus nocentem judicio eripuisse. MANUT.

Infirmo judicio] Quod facile corrumpi posset. Firmissimum autem, et integrum ab omni labe, populi judicium fuisset. In rogatione consulari, ut populus judicaret, scriptum erat. IDEM.

Plumbeo gladio] Hoc est, per quosvis et qualescunque judices. Adagium est de re inepta rei ei, de qua facta est. Sic alibi (*Fin.* IV. 18.) Cicero plumbeum pugionem dixit. GRÆV.

Incredibili exitu] Ita loqui amat Cicero *esse incredibili exitu*, ἀντὶ habuisse incredibilem exitum. Sic passim loquitur, itemque alii. Vide Gellium V. 8. Interpretor autem *judicium incredibili exitu*, Κρίσιν παράδοξον καὶ θαυμαστὴν, hoc est, in qua multa præter opinionem hominum eveniunt. Et pertinent hæc ad ea quæ facta sunt, dum judicium peragitur. CAS.

Rejectio] Judicum. Vide Ascon. Verr. *Act.* I. *cap.* 3.

Accusator] Lentulus, orat. de resp. et Val. Max. lib. IV. cap. 2. subscriptor C. Fannius, ep. 24. lib. II. Cor.

Tanquam clemens lanista] Solebant lanistæ cum paria eligerent producenda, eos primo quoque tempore producere, qui improbissimi erant, frugalissimum quemque servantes; quo nunc Cicero respicit. Casaub.

In ludo talario] Ludus hic accipitur pro loco, ubi convenire solent aleatores. Talorum tamen ludus, sive ἀστραγάλων, non est confundendus cum tesserario ludo, sive κυβεία. Casaub.

Maculosi senatores] Maculosi sunt notati a censoribus. Suet. Jul. 41. Tacit. I. Hist. 7. et II. 40. Gron.

Nudi equites] Nudati opere censorio. Suet. Jul. 41. Idem.

Tribuni non tam ærati, quam, ut appellantur, ærarii] Hoc est, tribuni non tam nummati erant, quam nummarii et corrupti: ærarius enim in ea notione ac forma qua nummarius dici cur non possit, nihil causæ video. Turneb. Legi velim: *Tribuni non tam ærarii, ut appellantur, quam ærati.* Muretus.

Fugare] Mallem, *effugere*] Idem.

Primis postulationibus] *Postulatio* proprie erat, cum accusator prætorem adibat petens, ut liceret sibi nomen ejus, quem accusare volebat, inter reos referre. Hic latius accipitur. Accipitur enim pro petitionibus, quæ fieri solent ab utraque parte, dum parant se ad litem, puta ut liceat illum aut illum qui absit advocare, et ejus adventum expectare, ut ne ille aut ille ad testimonii dictionem admittatur. Casaub.

Honorificentior] Honori maximo Ciceroni id fuit, quod tantus esset nominis ejus splendor, tam præfulgens dignitas, ut et bonis omnibus admirationi esset, et improbis terrori. Nam sive isti hunc honorem Ciceroni habuerant non ficte, quid *honorificentius?* sive simulate, quis coegit, nisi summa Ciceronis dignitas, et omni exceptione major auctoritas? Idem.

Tui cives] Jocatur. Respuit enim jus civitatis ab Atheniensibus sibi oblatum Atticus. Credo quia sic jus amisisset Romanæ civitatis. Nemo enim duarum civitatum civis eodem tempore esse potest. *Pro Corn. Balbo*, cap. 11. Idem.

Xenocratem] Hic testimonio dicto, cum ad Aras, ut mos Græcorum est, jurandi causa accederet; una voce omnes judices, ne juraret, reclamarunt. In oratione pro Balbo, et apud Valerium, et Laertium. Man.

Tabulas Metelli Numidici] Q. Metello, Quinti filio, Numidico, causam dicente de pecuniis repetundis, cum ipsius tabulæ circumferrentur inspiciendi nominis causa, fuit judex nemo, ex illis equitibus Romanis, gravissimis viris, quin removeret oculos, et se totum averteret; ne forte, quod ille in tabulas publicas retulisset, dubitasse quisquam, verumne, an falsum esset, videretur. In oratione pro Balbo. Idem.

Mos est] Qui repetundarum accusabantur, eorum tabulæ accepti et expensi domi obsignari solebant. *Cic. I. in Verr.* 19. Deinde in judicium afferebantur, et judicibus inspiciendæ tradebantur, ut quid haberent in bonis, et unde acceptum, pateret. *Ibid.* cap. 23. Gron.

Domum reductus] Ejus frequentiæ mentionem facit his verbis in oratione in Pisonem: *Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur.* Man.

Clamare] Utitur stylo historico, qui narrationes longiores decet in primis. *Clamare* enim est clamare cœperunt, vel clamabant, ut passim ipse, Sallustius, alii. Casaub.

Præclari Areopagitæ] Βεμνοῦς.

Ad consilium] Judicum. Man.

Datur negotium] Ut præsidium constituant. Corrad.

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι] *Dicite nunc mihi, Musæ*, cœlestes domos habitantes, *quo modo jam primum ignis incidit*, Iliad. II. 113.

Calvum ex Nanneianis] Non Calvus, sed M. Licinius Crassus omnino

intelligitur, qui pecunia sua corrupit judicium hoc: sed cur *Calvus ex Nanneianis* appelletur, ignoro. Conjecturæ quidem doctorum sunt ingeniosæ, sed num veræ sint dubito. CASAUB.

Arcessivit ad se] Judices.

Intercessit] Est spondere pro aliquo, recipere in se solvendum. GRÆ.

Introductiones] Verbum est lenoni convenienS: illius enim est stupra conciliare, et huic ad illam aditum munire, viamque sternere, ac denique introducere. Puto et *introductiones*, et *productiones*, et *perductiones*, dici hoc sensu. CASAUB.

Pro mercedis cumulo] Cumulus in mensura aridorum est id, quod excedit legitimam mensuram, et hostorio solet abradi. Seneca vocat *accessionem*. *Non vacat de pretio quæri, plus in accessionibus fuit*. Id vocant Latini *auctarium*, Græci ἐπίμετρον. Sic in emptione carnium in macello dari solet superpondium aliquod, quod veteribus Latinis *Mantissa* dicitur. CAS.

Perdere omnia] Totam remp. evertere, quam in judicio esse positam, plane constat. Maluerunt igitur recte sentire, etiam si rectum sensum consecutura mors esset, quam sententias ferre, contra quam leges, et jura præscriberent: quod si fecissent, actum esse de universa republica opinabantur. Quasi, Clodium servare, et remp. perdere, idem esset. MAN.

Ego divino confirmatum] Diis enim immortalibus ducibus eam mentem, voluntatemque suscepi. Orat. IV. in Catil. et orat. pro P. Sylla. CORR.

Uno hoc judicio] Quia severitate judiciorum sublata, nullus est metus malis, nulla spes aut securitas bonis. Omnia sunt incerta, cum a jure discessum est. IX. ad Fam. ep. 16. GRONOVIUS.

Talnam et Plautum] Vereor ut omnibus probare possim, quod hoc loco primum observavimus. Dicam tamen quod odore quodam suspicionis videor indagasse. Puto hæc nomina istorum judicum poni a Cicerone per jocum et gratia ridiculi, ita ut dissimulanter jocetur in ambigua significatione vocum istarum. Propterea vocat mox hos judices quisquilias, alludens ad res illas parvi pretii, quas nomina ista, si sumantur appellative, significant. Simillime in oratione pro Cluentio jocatur in alios judices, Guttam et Bulbum: *Atque etiam ipse conditor totius negotii Guttam adspergit huic Bulbo*. Sic puto hic per jocum proferri hæc nomina, facta allusione ad aliam istarum dictionum significationem. Nunc de illis nominibus videamus. *Talna* vox, an veteri Romanorum lingua, cujus vix centesimam partem hodie habemus cognitam, aliquid significet nescio. Sed potest Cicero videri allusionem facere ad vocem *Talla*, quæ significat κρομμύου λίτρον, ut est in Glossis, hoc est, folliculum cæpe, ait Festus. Hac re quid levius dici posset? Jam nomen *Plauti* jocandi occasionem et argumentum affatim suppeditat. Nam *Plauti*, vel blandi Latine appellantur canes, quorum aures languidæ sunt et flaccidæ. Festus. Quod ipsum nomen, ut alia multa, videtur ex onomatopœia ortum. Ideo Plautus in Casinæ prologo latrans nomen appellat. Canum enim est baubari. Et illorum latratus exprimitur Græca voce αυ αυ, quam syllabam pars prior vocis Plauti habet. Nomen autem *Spongia* non est obscurum. Fuit enim spongia olim in usu ad mundandam suppellectilem, ut mensas, scamna, &c. imo (honos sit auribus) ad spurcos usus, ut hodie charta, adhibebatur. Legitur hic etiam *Calvum*, *Plancum*, *et Spongiam*. Quæ voces itidem jocose ponuntur. Nam *Calvus* a verbo *calvo* est, hoc est, decipio; *Plancus* autem dicitur ὁ πλατύπους. Sic nos Galli *un pied plat*. CASAUB.

Παῤῥησίαν] Victoria solet victorem loquacem reddere. Solent enim ubique narrare victoriam suam, qui eam sunt adepti. Facultatem id libere faciendi, παῤῥησίαν vocat hic Cicero. Minus enim libere ob victoriam audent exultare qui passim sibi inculcantem audiunt, improbis artibus eam fuisse reportatam victoriam. Similes igitur

fiunt victis, quorum στόμα, inquit Pindarus, ἀγρυξίᾳ δίδοται. IDEM.

Desponsam] Ut eam anno proximo proconsul administraret. MANUT.

Syriam] Provincia fuit mire dives et consularis: quare fere Macedonia et Syria, vel auctore senatu, bene merito de republica dabatur, vel a tribunis plebis præmium improbitatis constituebatur. Sic Gabinius, qui Ciceronem expulit, Syriam provinciam per Clodium tribunum est consecutus. CASAUB.

Remoto illo studio contentionis] Forte legendum *stadio*. Quod videtur requirere vox sequens ἀγῶν. GULIEL.

Ἀγῶνα] Certamen.

Divinitus] Cave confundas cum multis *divine* et *divinitus*. Qui ait se aliquid *divine fecisse*, tribuit sibi laudem mirificam, et quæ vix homini conveniat, etsi abutimur nos vulgo isto loquendi genere. Qui dicit *divinitus se aliquid egisse*, laudem Deo tribuit, non sibi. Est enim *divinitus* quod Homerus dicere solet· οὐκ ἀθεεὶ, hoc est, Deo auctore et compulsore. Quare de malo dici solet, ut cum dicimus, divinitus accidit, ut ille illum occideret. Et Cic. in Verr. *An in eam fraudem mihi videtur divinitus incidisse*. CASAUB.

Lentulum] Hic est Catilinæ conjurationis particeps, prætor cum esset. CORR.

Bis Catilinam] Ego tamen ter absolutum Catilinam invenio: primum, de incestu, quod Fabiam, virginem Vestalem, stuprasset, Hortensio et Metello coss. idque Orosius lib. IV. et Pædianus in commentario orationis contra competitores, tradiderunt. Iterum, crimine inter sicarios, ob necem M. Marii Gratidiani, Cæsare et Figulo coss. quod apud Dionem lib. XXXVI. scriptum est. Id etiam Cicero significat in oratione pro Sylla, cum ait: *At idem non affuit alio in judicio*. Tertio, repetundarum ex Africa, Cotta et Torquato coss. ut Ciceronis, Quinti fratris in libello de Petitione consulatus, Pædiani testimonio probatur. Quid igitur? an ab historia dissentit Cicero? minime: sed, cum Catilinam, item ut Clodium, contra leges absolutum velit significare, de tribus absolutionibus unam omittit, in crimine scilicet incestus, ne Fabiæ, Terentiæ uxoris suæ sorori, turpem impudicitiæ notam inureret: quam etiam in oratione contra competitores expertem culpæ dicit fuisse. Loquitur igitur de iis judiciis, in quibus Catilina, cum culpam commisisset, absolutus tamen est, repetundarum. Scilicet ex Africa, et inter sicarios. Quibus criminibus manifeste tenebatur. MANUT.

Pulchellus] P. Clodius e gente Claudiorum, qui *Pulchri* dicuntur. Altercatio mordax. Clodius objicit mihi me ad Baias fuisse. Sed quid hoc flagitii est? Estne simile, inquam, ac si dicas me in Operto Bonæ Deæ fuisse, ubi tu deprehensus es in domo Cæsaris. 2°. Quid, *inquit*, tibi homini Arpinati, agresti, semirustico cum calidis et voluptariis aquis Baianis. Narra, inquam, hoc patrono tuo, scilicet sorori tuæ, quæ te, ut patronus, sæpe defendit. Illa concupivit Arpinates aquas, cum nuptias meas peteret, ut virum experta illis se lavaret. Nosti enim ipse *marinas*, quibus te perfudisti cum stuprum passus es a piratis. 3°. Quousque, *inquit*, hunc Regem superbum feremus? Regem me appellas, inquam, cum Q. Martius Rex, sororis tuæ maritus, moriens in testamento nullam tui mentionem fecerit. 4°. Domum, *inquit*, emisti, scilicet magnificentissimam in Palatio sestertiis tricies vicies. Voluisti, inquam, dicere, Judices emisti, qui te absolverunt. 5°. Juranti, *inquit*, tibi non crediderunt, quia me absolverunt, etsi juratus in me testimonium dixeras. Mihi vero, inquam, XXV. Judices crediderunt, qui te sententiis suis condemnarunt: XXX tibi non crediderunt, quoniam nummos ante acceperunt, quam te absolveret. Videndus Plutarchus in Cicerone, et Cicero de Harusp. respons. POPMA.

Arpinates aquas] Hoc est, nuptias

meas. Sic enim appellat τὴν συνουσίαν, alludens ad veterem morem; qui πρὸς τὰ ἀφροδίσια aquam adhibebant. Testes hujus moris poetæ passim, et Cicero ipse pro Cœlio: *Ideone* (ait) *aquam adduxi, ut tu ea inceste utereris?* Hinc pendet jocus Ciceronis, et in hac voce, et in sequenti: *Nosti marinas.* Atque ex hac eadem consuetudine illustrari debet locus Ciceronis in Orat. pro Murena, ubi orator mentionem facit provinciæ cujusdam, quam cum quæstores sortitentur, acclamatio fieri soleret. Intelligit provinciam quæ et Ostiensis et Aquaria dicebatur: quæ si cui paulo deditiori voluptatibus obtigisset, solebant Romani jocari, allusionemque facere ad hunc obscœnum aquæ usum. Ex quo etiam Aquarioli sunt dicti pueri in lupanaribus ministrantes, teste Festo. Eandem provinciam porro et Ostiensem fuisse appellatam, et Aquariam, declarat collatio locorum duorum, illius in Orat. pro Murena, et hujus in Vatinium. CASAUB.

Marinas] Quibus te purgasti, cum latera rupisses piratis. De Harusp. resp. 21. J. F. GRONOV. Jocum esse vult Bosius in voce *Marinas*, quæ possit etiam intelligi de Arpinatibus, quæ fuerant C. Marii.

Regem appellas, &c.] Sensus est: Tu Regem nominare sustines, illudque nomen recordari, cum Rex, cujus hereditatem jam spe devoraveras, in testamento te præterierit, nullamque tui mentionem fecerit? MALASP.

Rex] Q. Martius Rex, Terentiæ sororis tuæ maritus. CORR.

Domum emisti] Vide supra, ep. 13.

Nam et illud] Alterum *Et*, quod huic respondeat, videtur desiderari: sed Cicero sæpe particulam, dictionemve, quæ expectatur, omittit; nec tamen cœptam sententiam absolvit. Ut hic alterum *Et* omisit, atque ejus loco intulit, *Accedit illud.* MANUT.

Missus est sanguis invidiæ] Profuit nobis ad extinguendam invidiam, videri nostrum testimonium non valuisse. Sic et Livius libro 3: *Dandus*, inquit, *invidiæ est sanguis.* IDEM.

Concionalis hirudo ærarii] Unde largitiones fieri cupit, quales tribuni nimis populares facere solent. CORR. *Concionales* autem dicitur, quia totos dies in concionibus tribunitiis consumebat. Vide Gronov. de Sestert. IV. 9. GRÆV.

Cnæum Ciceronem] Ex ipso et me junctum. Sic ep. 14. lib. IV. CORR.

Ἐπιστημασίας] Significationes, ut plausum, et quæ præterea benevolentiam significant. MANUT.

Sine ulla pastoritia fistula] Sine ullo sibilo. Nam odium sibilo, amor plausu significatur: ut in oratione pro Sextio. Pastoritiæ vero fistulæ sonus a sibilo non longe distat. Itaque et συρίζειν pro sibilare, et fistula sonum edere: σύριγγα vero pro sibilo, et fistula pastoritia reperimus. Qua de re scripsit ingeniose, et erudite, M. Antonius Muretus in Variarum lectionum libris (Vide lib. I. cap. 19.) IDEM.

Auli filium] L. Afranium, qui bello Mithridatico legatus Pompeii fuerat, et in bellis civilibus ab eodem stetit, estque in Hispania a Cæsare occisus. Vide Dionem lib. XXXVI. Vide et Lipsium, Var. Lect. lib. III. cap. ultimo. GRÆV.

Philippus] Macedonum rex, et Alexandri Magni pater, qui diffidit urbium portas, et subruit æmulos reges muneribus. Horat. lib. III. Carm. CORR.

Consul autem ille] M. Piso.

Doterionis] Ita Bosius. Alii, *deterioris*, quod retinet Gulielmius, tanquam repente respiceret Tullius ad prologum Plautini Amphitruonis, V. 67. et seqq. Sed pro Bosio stat Casaubonus: Intelligit, inquit, Pisonem, de quo dictum supra, esse eum facie magis, quam facetiis ridiculum. Videtur autem Doterio histrio fuisse, cujus opera plurimum usus Philippus. Hic, quia multa pollicebatur, joco dictus Δοτηρίων, ut quidam rex Syriæ Δόσων. CASAUB.

Ut apud magistratus] Apparet ex hoc loco prætorem, cujus erat quæstio de ambitu, non potuisse sine se-

natus consulto inquirere in domos magistratuum. At in domos privatorum credo potuisse. IDEM.

Cujus domi divisores haberent] Al. *cujusmodi divisores habitarent*; unde opinio est, legi posse: *cujus domi divisores habitarent:* vel, *qui ejusmodi divisores haberent.* CORR. *Habere* dici pro *habitare*, tritissimum. GRÆV.

Adversus remp.] Lamb. *adversus remp. facere videri.* Sed videtur subaudiendum.

Lurco] Gentis Aufidiæ cognomen. Et potest esse maternus avus Liviæ, uxoris Augusti. Suetonius in Caligula. MAN.

Simul cum lege Ælia inijit] Tribunatum inivit servatis auspiciis ex lege Ælia. IDEM. Forte: *salva lege Ælia.* GRONOV.

Solutus est et Ælia et Fufia] Lex Ælia et lex Fufia pertinuerunt ad comitia: neque dubito fraudem vel certe stratagema eas fuisse senatorum adversus plebem. Nam cum in comitiis regnaret plebs, nec frangere hanc ejus potestatem senatus posset, quibus potuit cunque rebus minuit. Idque maxime perlatis his duabus legibus effecit, etsi constat a tribunis plebis eas fuisse latas, ut Manutius docet. Sed non est novum ut tribuni in gratiam senatorum multas leges ferrent, quæ populi majestatem non nihil atterere viderentur. Testatur autem Cicero in Pisonem non esse valde antiquas illas leges, ut quæ nondum centum annos durassent. Legis Æliæ capita tria fuerunt. I. Ut auspicato omnia fierent in comitiis. II. Ut obnuntiatione facta dirimerentur comitia. III. Ut liberum esset intercedere, quibus intercedendi jus erat. Erat autem intercedendi jus ad populum solis tribunis plebis legibus sacratis concessum. Legis Fufiæ caput unum fuisse docti existimant, Ne fastis diebus cum populo ageretur. Quoniam igitur videbat senatus urgendum esse malum istud ambitionis, et nascens esse curandum, ob pericula varia quæ moram sequi videbantur, placuit senatui illa omnia tollere, quæ latoribus novæ legis de ambitu aliquam moram videbantur posse afferre. Quam prudenter hoc a senatu sit factum, mitto quærere. Illud dico, senatum præivisse exemplo suo tribunis plebis, qui, ut improbas leges ferrent, imitati sunt factum hoc senatus. Imo leges ipsas Æliam et Fufiam sustulerunt: quod a Clodio postea factum est. In quem Cicero tam acriter, tam sæpe ob hoc ipsum invehens, non dubito quin sæpe responsum tulerit a Clodio, imitatione senatus se illas leges primum neglexisse, deinde sustulisse. Tanti est in republica nihil admittere, vel quod sit minimum contra leges. Τὸ γὰρ παρὰ μικρὸν, ut passim inculcat Philosophus, τὴν διάνοιαν παραλογίζεται. Est autem hic σάρκασμος quasi Ciceronis, qui laude immortali dignus est, quod peccanti hac in parte senatui, dum odio ductus Cato properat, et urget propositum inconsiderate, ipse comitem peccati se non adjungit, et bonam causam mavult deserere, quam inique et contra leges illa tueri. Jocatur igitur in Lurconem, qui cum servatis auspiciis ex lege Ælia factus esset tribunus plebis, eam legem, per quam ipse esset tribunus, solvat: non tam ipse quidem quam senatus, qui et lege utraque Ælia et Fufia solverit. CASAUB.

Bono auspicio] Εὐφημοῦς. Non enim bonum poterat esse ejus auspicium, cujus in corpore, aut etiam nomine vitium esset. Innuit autem Clodios sive Claudios a claudis pedibus nomen habuisse, eaque de causa nescio quid mali ominis extitisse in eorum nomine. Vitabant enim Romani inauspicata nomina, et, ut loquitur Horatius, *male nominata* verba. BOSIUS.

Pronuntiarit] *Pronuntiare* frequens in hac re verbum; est autem idem ac polliceri. Sed cum legibus interdictum est promittere aut polliceri pecuniam, isti non pollicebantur; sed pronuntiabant. Sic enim videntur voluisse, mutata voce, vim legis eludere. CASAUB.

Consulatum illum nostrum] Consu-

latum accipe generaliter de honore illo, non specialiter de consulatu Ciceronis. Nam hic ab omnibus interpretibus dissentio, ut puto, summa cum ratione. Decepit illos vox *nostrum*. Frustra. Artis cujusque artifex de sua arte loquens dicet: *Ars nostra*, nec tamen intelliget de se peculiariter. IDEM.

Ἀποθέωσιν *vocabat*] Hoc est, Curio dictitare solebat, videri sibi eos, qui consulatum essent adepti, pene deos esse factos, et diis pares. IDEM.

Fabam minum] Alludit Cicero ad morem suæ ætatis puerorum, qui Saturnalium diebus mense Decembri regna sortito exercere solebant, de quibus vide Tacit. XIII. Annal. cap. 15. et ibi quæ Lipsius de iis notavit. Et quidem faba, sicut et hodie fit, et apud Græcos quoque κύαμος, videtur in creandis magistratibus fuisse usurpata. Unde est illud Pythagoræ: *A fabis abstine*, hoc est, κυάμου ἀπέχου. Ait igitur Cicero, si fiat consul Afranius, consulatum ita deinceps rem abjectam fore, ut sunt regna puerorum. Similis plane locus Senecæ: *Olim magna res erat Deum fieri: jam fama minimam fecit: etiam pessimi quique illam affectant*. Quid aptius dici potuit? IDEM. Petrus Daniel Huetius in Elzeviriano, quo utebatur, Ciceronis exemplo scripserat, *Manium*. *Festus*. Quidnam hoc esset, cum divinare vellem, adii Festum, apud quem legitur initio libri VI. *Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam et lemuralibus jacitur larvis, et parentalibus adhibetur sacrificiis*, &c. Videtur ergo doctissimi viri conjectura eo spectare, ut pro *fabam minum* reponamus *fabam Manium*. Quod ut plane intelligatur, mutuari lucem oportet ab Ovidio, *Fast.* V. 436. Gellio, X. 15. aliisque veterum scriptorum locis, quos per otium indagabunt Critici. OLIV.

φιλοσοφητέον] Philosophandum est.

Non flocci, ἰατέον] Hoc est, consulatus istos, qui non sunt flocci, omittere et aspernari oportet. Hunc enim locum ita restituit Adr. Turnebus, *Adversa*. IX. 1. Antea legebatur, *et istos consulatus non floccifacteon*. Credibile autem est, inquit Lambinus, Ciceronem propter verbum φιλοσοφητέον, finxisse verbum latinum *floccifacteon*, ad similitudinem græci termonis, per quandam παρονομασίαν. Hæc forte Lambinus persuaserit iis, qui Vavassorem *de ludicra dictione* non legerint. OLIVET.

Te in Asiam statuisse non ire] Contra quam sperarat Q. Cicero, qui Atticum sibi fore legatum sperabat. Vide C. Nep. in vita Attici. GRÆVIUS.

Minus commode] Vel ut Quintus hoc non molliter accipiat; vel ut Quintus destitutus te rectore male regat. GRON.

In Amaltheo] In illo gymnasio sub statua, ut videtur, Ciceronis. IDEM

Chilius] Vide supra, epist. 9.

Lucullis] Archias Mithridaticum bellum in gratiam Lucullorum, et potissimum L. Luculli scripserat. Cicero autem verebatur ne idem vellet etiam aliquid scribere in laudem Q. Cæcilii Metelli Numidici. BOSIUS.

Ad Cæcilianam fabulam] Ad poema scribendum in honorem Q. Cæcilii Metelli Numidici et Pii ejus filii, quorum Archias fuerat perquam familiaris. Lepide autem vocat *fabulam Cæcilianam*, poema quod Archias conditurus erat de Cæciliis, quia ut plurimum fabulas tractant poetæ. Interim alludit ad fabulas, quas Cæcilius comicus poeta scripserat. ID.

Vale. Te vindicavi] Nihil muto: agit enim de mutuo rescriptionis officio, quo se Atticus superiorem esse objecerat. His, *inquit*, copiosis litteris, non modo jam compensavero, parque retulero; verum etiam ultus fuero istam accusationem tuam. Mss. mei omnes sic habent, *Vale. Te vindicavi*. Quam scripturam rectam puto, et eodem sensu: ac propterea in fine legitur iisdem auctoribus, *Iterum vale*. JUNIUS. Ego mallem: *belle te vindicavi*, scilicet ab injuria, quam

tibi a me fieri putabas, dum raro aut breviter scribo, hac longissima epistola. GRONOV.

Expecta; ast] Lege, *expectato; plures etiam*, &c. MURET.

Facere] Gymnasium hujusmodi.

17 CICERO ATTICO SAL.

Post sortitionem provinciæ] Postquam ei Asia provincia sorte obvenit. Quo perspicuum fit, non eo solum iratum fuisse Quintum, quia cum ipso legatus in Asiam Atticus ire nollet. MANUT.

A domesticis] A sorore tua: quæ, cum uxor sit Q. fratris, animum illius sedare et potuit, et debuit. IDEM.

Non verecunda] Αἰτότης, vel ἐξουθενισμός. Igitur inverecunda, et turpi. Quid enim turpius, quam dicere, non esse quærendum de iis qui ob judicandum pecuniam accepissent? COR.

Asiani] Asiæ publicani, id est, equites. Nam erant omnes publicanorum societates ex ordine equestri. MANUT.

De censoribus] Nam locandorum vectigalium cura penes censores erat. IDEM.

Perspecta] In eam partem, ut equitum ratio duceretur; quod tamen factum non est, Catone contra acerrime pugnante: et, ut dicam, quod mihi in mentem venit, in eas causas inspicienti, quibus afflicta respublica concidit: ex hac primum radice enatum civile bellum videtur. Cum enim urbs Roma ex tribus ordinibus, senatu, equitibus, et plebe constaret: duobus ordinibus libertatem tuentibus, nulli unquam improbo civi satis firmæ vires ad opprimendam rempublicam fuissent. Itaque in oratione IV. in Catilinam, *Hinc*, inquit, *cum equitibus Romanis conjunctionem si perpetuam in republica tenuerimus; confirmo vobis, posthæc malum civile, ac domesticum ad nullam reipublicæ esse venturum partem.* Hoc vir prudentissimus non vidit Cato: qui animo optimo, et summa fide utens, dum ærarium nimis pertinaciter defendit, equites a senatu alienavit. Ita, duorum ordinum disjuncta concordia, eversum est quod erat summum reipublicæ firmamentum. At Cæsar, qui tyrannidem spectaret, avide occasionem in consulatu amplexus, equitum, qui a senatu nihil adhuc impetrabant, causam suscepit, effecitque, ut tertia debitæ pecuniæ parte senatus-consulto levarentur, quo facto equestrem ordinem sibi adjunxit, (et jam antea plebem tenebat) unde imminutæ senatus opes, et res omnis publica ad tres viros, Cæsarem, Pompeium, Crassumque translata. Ubi sunt, qui, cum eloquentiam in Cicerone laudarunt, ut imprudentem, atque etiam, si diis placet, ut perniciosum patriæ civem insinulant? scilicet ea, quæ consecuta sunt, non vidit: immo vero, et vidit, et, ne acciderent, etiam providit. MAN.

Video quid dicas] Dicis, cavendum mihi esse, ne Pompeii causa de instituto actionum optimarum cursu deflectam. Sed noli laborare: cavebo, quæ sunt cavenda. IDEM. Cavendum esse ab eo, qui invideat. CORR.

Duo enim soli] Ratio, cur Lucceius, cum differre consulatus petitionem antea cogitasset, postea, statim petere, animum induxit. Nam, cum duos modo sibi fore competitores videret, M. Calpurnium Bibulum, C. Julium Cæsarem, majorem spem nactus est adipiscendi consulatus. Multis autem competitoribus, petere ipse non esset ausus, qui se non ita gratiosum esse in suffragiis intelligeret. MANUT.

Cum eo coire] Cum eo societatem inire contra Bibulum. Lucceium enim Cæsar collegam malebat in consulatu; ut qui non dubitaret, Bibulum optime de republica sentientem suis actionibus adversaturum. Vide Suetonium. IDEM.

Conjungi] Per coitionem, nisi ita volumus interpretari: Bibulus, quamvis gerat inimicitias cum Cæsare ex

ædilitate, et prætura conceptas, Cæsar. lib. III. de Bell. Civ. putat tamen se per C. Pisonem ita cum eo posse conjungi, ut cos. cum eo fiat. CORRADUS.

Modeste rogo] Quod intelligam magni interesse tua, te id agere, quod agendum est, ut ep. 8. h. l. Quid vero tunc ageret Atticus, intelliges ep. 10. h. l. Al. *moleste rogo.* IDEM. *Modeste*, hoc est mediocriter, præ voluntate mea, ut venias, rogo. MALASP.

CICERO ATTICO SAL. 18

Ἀφελίστατος] Frugalissimus, simplicissimus, optimus. Aberat enim Q. frater, in Asiam profectus. CORRAD.

Metellus non homo] Metellus, inquit, licet adsit, ab omni tamen humanitatis consortio refugere videtur. Neque enim magis se in hominum familiaritatem applicat, quam aut littus, aut aer, aut solitudo mera: quæ loca hominum cœtu frequentari non solent. Itaque illo familiariter non utor. BOSIUS. Novam exhibet conjecturam Historia Regiæ Inscriptionum Academiæ, *Tom.* IX. *pag.* 34. ubi ex *Metellus* fiunt duæ voces, *me tellus, non homo*, &c. Junius vero quod a se excitatum esse ait quasi ex veterum librorum ruderibus, edidit: *et amantissimus mei, bellus, non homo*, &c. Unde vir doctus et solerter criticus, de quo ego item dixerim quod Marcus de Quinto, ἀφελίστατος, meique amantissimus, Fr. Ordinus, suspicatur Ciceronem scripsisse: *Abest enim frater* ἀφελίστατος, *et amantissimus mei bellus homo. Non homo, sed littus, atque aer*, &c. Desiderat Cicero, ut Odino videtur, Q. fratrem, et M. Cælium. Hujus enim ad Ciceronem epistolas, et Ciceronis ad ipsum, orationemque pro ipso quisquis legit, eum scit, Attico fuisse juxta ac Tullio perfamiliarem; forma ac specie liberali, quique haberi formosus vellet: cujus consuetudine ac prudentia delectaretur Cicero. Huic firmandæ suspicioni ista sufficiant, quæ ad ipsum (*Fam.* II. 12.) scribebat: *Cum una, mehercule, ambulatiuncula, atque uno sermone nostro omnes fructus provinciæ non confero.* Jam ea quæ sequuntur, *Non homo*, &c. vero proximum est sumpta esse e veteris poetæ Accii fabula, in qua Philoctetes inducebatur suam memorans *solitatem*, ut Accius idem loquitur, lamentansque; ut apud Sophoclem, quod *non homo* sibi adesset, cujus vel auxilio juvari posset, vel saltem alloquio: quacunque aspiceret, nihil objici, præter littus, aera, solitudinem meram. Primus hoc animadvertit auctor novæ illius conjecturæ, quam indicavi modo. Ista igitur sententia suam Cicero *solitatem* exprimit, non ingenium illius hominis, qui cum vivere optet et colloqui. Possum, inquit, ut Accianus ille Philoctetes, dicere: *Non homo, sed littus*, &c. Ariadnen, cum sola in deserta esset insula, eodem modo loquentem facit Ovid. Heroid. X. 18.

Quod videant oculi, nil, nisi littus, habent.
OLIVET.

Voluntas] Mihi verosimillimum videtur, librariorum culpa τὸ *Voluntas* irrepsisse ex interpretatione quadam magistri, qui τὸ *animus* notiore voce hac explanavit. Hanc si expunxeris, omnia liquida erunt: *In republica vero, quanquam animus est præsens, tamen etiam atque etiam ipsa medicinam effugit*, scilicet respublica. Quod cum aut descriptor aut sciolus ignoraret, quo nimirum vox *ipsa* referendum esset, inseruit ex margine *voluntas.* Sensus enim hic est: Mihi est voluntas animusque reipublicæ malis medendi: sed ipsa respuit medicinam, ac salutares manus, non admittit sana consilia. GRÆV.

Fabulæ Clodianæ] Legendum, *fabula Clodiana.* Primus scilicet meus introitus in causam fuit fabula Clodiana, hoc est, prima causa reipublicæ, quam ego ingressus sum et suscepi, fuit incestum Clodii. GRON.

Empto, constupratoque judicio]

Rupto, quia judices, accepta pecunia, Clodium nocentem absolverunt; constuprato, quia noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. MANUT.

De ambitu] Ut, qui nummos dedisset, is, quoad viveret, singulis tribubus H-S tria millia deberet. Ep. 15. IDEM.

De judiciis] Ut quæreretur de iis, qui ob rem judicandam pecuniam accepissent. Ep. 15. IDEM.

Nulla lex perlata] Tribuni plebis intercesserunt, quo minus lex ferri posset. IDEM.

Exagitatus senatus] A tribunis plebis seditiose concionantibus. IDEM.

Alienati] A senatu; quia decrevisset, ut quæreretur de iis, qui ob judicandum accepissent. Ep. 15. ID.

Ille annus] Proximus superior, M. Messala et M. Pisone coss. IDEM.

Instat hic nunc ille annus] Adest annus Q. Metello Celere et Afranio coss. cujus initium ejusmodi fuit ut sacra Juventutis Deæ, quæ pro salute juvenum quotannis fiebant, non celebrarentur; propterea quod C. Memmius, qui sacris istis præerat, uxorem M. Luculli vitiavit, atque ita sacris suis initiavit: quod ægre passus Lucullus, cum uxore divortium fecit. Est autem hic Memmius ille de quo lib. IV. qui ex petitione consulatus cum Messala et Scauro, de ambitu damnatus in exilium abiit: infamis stupris et adulteriis, et Catulli carminibus proscissus, laudatus a Lucretio. POPMA.

Menelaus] Lucullus, vitiatæ mulieris vir, ut Helenæ Menelaus. MAN.

Pastor Idæus] Stuprator Helenæ Paris, a pastoribus in Ida monte educatus, pastorque ipse diu creditus. IDEM.

Tam Menelaum, quam Agamemnonem] Tam M. Lucullum, quam Lucium, ejus fratrem Paris, inquit, ille Trojanus solum Menelaum affecit injuria, fratrem ejus Agamemnonem separatim nulla re lasit: noster autem Paris Memmius tam Menalaum contempsit, quam Agamemnonem ante contempserat: id est, qui ante L. Lucullo injuriam fecerat, cum eum ex bello Mithridatico redeuntem tribunus plebis, die ad populum dicta, triumphare aliquandiu prohibuit, idem nunc Marcum, ejus fratrem, non dubitavit offendere. Sed de injuria, in Lucium illata, quæret aliquis, unde hauriam. Unde, nisi ex historiæ fonte? Plutarchus in Lucullo. IDEM.

Liberum non putavit] Nihili fecit: liberi hominis loco non habuit. ID.

Vobis] Qui in vestra tribu divisor esset. Sic ep. 16. h. l. CORRAD.

Traducit] Ut adoptione plebeius fiat. Nam quia tribunatus plebis patricio homini non dabatur, ideo Clodius, qui patriciæ gentis erat, ad plebem transire adoptionis jure cupiebat. MANUT.

Ut universus populus] Hinc patet Herennium tentasse Clodium ad plebem traducere, non recepto more, comitiis scilicet curiatis, quibus adoptiones fiebant in alienam familiam, sed tributis, quæ ipse vocare posset. Nam ad comitia curiata non universus populus conveniebat, ut ad centuriata et tributa, sed urbanus duntaxat. Centuriata autem habere tribuni non poterant. Inde fiebat ut Herennius tribunus plebis non aliis quam tributis de Clodio referre cogitaret. Ea autem sæpenumero in campo Martio habebantur, cum intra pomœrium curiata fierent. BOSIUS.

Lentius] Ignavius, tardius. MAN.

Imminuit auctoritatem] Quia cum Metellus patricium magistratum gereret, hoc est, consul esset, plebeium magistratum pati non debebat id sibi juris arrogare, ut de adoptione tributis comitiis ferre auderet, quod erat patriciorum duntaxat magistratuum, comitiisque curiatis, ut diximus, tantummodo fiebat, quæ a tribunis plebis cogi non poterant. BOSIUS.

Quod habet dicis causa] Cum de arrogando quopiam agebatur, rogationem ferri oportebat comitiis curiatis,

ut scisceret populus in curias tributus jusne esset ei, qui se arrogandum dabat, in alterius jus et sacra transire. Nam in hujusmodi adoptionibus potissimum sacrorum ratio habebatur. Idcirco comitiorum curiatorum arbitri erant Pontifices, ut refert Gellius; quem miror de sacris hereditariis nullum verbum fecisse, cum de arrogationibus ageret, quæ comitiis curiatis fiebant. Intererat vero cujusque curiæ, ne sua sacra interirent, neve quis veteribus sacris solveretur. Verumtamen, quia, quod ab universo populo Romano jubebatur, id non minoris erat auctoritatis, immo etiam majoris, quam quod ab urbano tantum, ut in curias tributo; ideo scitum illud de arrogando Clodio Metellus dicis causa promulgatum habebat, cum nihil referre putaret tributis comitiis an curiatis, ea arrogatio fieret; modo dici posset populum ad legem de adoptione ferendam convenisse. Nam *dicis causa* tantum, et ad usurpationem antiquitatis comitia curiata habebantur, cum necesse non videretur ut de arrogatione populus sententiam ferret, nisi quatenus id fuerat a veteribus usurpatum. Quapropter Metellus comitiis tributis populum dicis causa recte rogari posse existimabat. Non diu tamen in ea sententia permansit. Nam simulac postea intellexit Clodium tribunatum plebis petere, ei acerrime restitit; atque ut eam ab ea petitione submoveret, palam dicebat, eum more majorum comitiis curiatis arrogatum non fuisse, ut refert Dio. IDEM. *Dicis causa* est perfunctorie, et ad speciem, non vere. Varro: *Dicis causa fiebant quædam, neque item dicta, neque facta semper.* POPMA.

Aulè filius] L. Afranius.

Miles] Quod minime milites imitaretur, qui et strenui, et animosi solent esse: Afranius autem ignavus, et sine animo. Vel, *Miles*, quia cum Pompeio diu militaverat. MANUT. Legendum, *quam ignavus ac sine animo*; mileis *dignus*, &c. MURET.

Qui Palicano] Quem Palicanus (de quo supra, ep. 1.) sicut facit, quotidie probris, maledictisque vexet. MANUT.

Agraria] De qua fusius in epistola, quæ proxime sequitur.

Πολιτικὸς ἀνὴρ οὐδ' ὀνὴς] Civilis et reipublicæ studiosus vir neque in somnis. Proverb. ne per somnium quidem. CORRAD.

Pompeius togulam] Pompeio victori ex Asia concessum erat, ut ludis Circensibus toga picta, corona aurea, et omni cultu triumphantium uteretur, ut referunt Dio. lib. XXXVII. et Velleius lib. II. Hac ergo inani gloriola Pompeius tacitus fruebatur; neque verbum contra quemquam pro republ. faciebat. POPMA.

Ceteros] Ut Philippum, Hortensium, et Lucullum. CORRAD.

Piscinas fore salvas] Hinc *Piscinarios* vocat ep. seq. et ep. 20. h. l. et ep. 1. lib. II. Plin. IX. cap. 4. et Varr. lib. III. cap 3. de re Rust. ID.

Publicanos] Vide superiorem epistolam, et Cic. III. de Off. cap. 22.

Legationes] Vide supra, ep. 14.

Tanta etiam] Cicero scripsit: *Tanta es perspicacitate, etiam a me scriptè non perspicis. Sed revise*, &c. MURETUS.

Sub lustrum] Paulo ante lustrum: quod fiebat omnibus jam censis. Livius lib. I. *Servius Tullius, censu perfecto, instructum exercitum omnem suo, ove, taurisque tribus lustravit: idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Sub lucem*, Virgilius dixit: *sub horam pugnæ*, Suetonius; pro, paulo ante. MAN.

Germani negotiatoris] Quia negotiatores peregrinabantur: et, quanquam censum audirent Romæ promulgatum, reditum tamen quam maxime poterant differentes, qui a sua re admodum ægre divellerentur, non nisi sub lustrum veniebant, civibus fere omnibus jam censis. *Germani*, meri, nimium cupidi, et in lucello supra quam satis est occupati, unde, *Germana ironia*, *Germana patria*, et hujusmodi apud Ciceronem. IDEM.

In scripto] Lege, *in scribendo*. MUR.

Fratres nostri] Senatus, cognita Eduorum fide, fratres, consanguineosque sæpenumero appellaverat. Cæsar, Plutarchus, Strabo, Tacitus. MANUT.

Pugnant] Cum Sequanis. Ad extremum Sequani, Germanis mercede conductis, victoria potiti. Cæsar. IDEM.

In provinciam] Scilicet Narbonensem, nunc *Languedoc* et *Provence*. Vide de hac excursione Cæsar. Commentar. I. de Bell. Gall. GRÆV.

Vacationes] In magno tumultu et extrema reipublicæ necessitate cum delectus fiebat, etiam illi qui vacationem a militia habebant, ut senes, valetudinarii, opifices nomina dare cogebantur. POPMA.

Q. Metellus Creticus] A Creta paulo ante victa sic dictus. Ep. 8. ad M. Brut. Orat. pro Cn. Planc. et Liv. lib. XCVIII. et XCIX. CORRAD.

L. Flaccus] Pro quo extat Orat. IDEM.

Clodiani] Carolus Sigonius in Fastis Romanis, ostendit hunc Clodianum fuisse Cn. Cornelium Lentulum, qui consul fuit anno U. C. 681. cum L. Gellio Poplicola; cui subscribit Stephanus Pighius in Annal. Rom. lib. XVI. GRÆV.

Cum mea prima sors exisset] Legati sorte aut suffragiis electi mittebantur. Tacitus historiar. IV. POPMA.

Quid enim ego aliorum] Αἰτιολογία, ne verba illa, *nos duo quasi pignora reipublicæ retineri videremur*, nimis arroganter dixisse videretur. CORR. Malim, *alienorum*, hoc est, externorum. MALASP.

Ἐπιφωνήματα] Laudes.

Auctore Pompeio] Cujus militibus ea lege ager dividitur. Dion. l. XXXVII. CORRAD. Solebant legem laturi virum magnæ dignationis et auctoritatis producere in Rostra, nonnunquam plures, qui populo suaderet, ut legem hanc, quam erat lator rogaturus, velit jubere. Is dicebatur *auctor*. GRÆV.

Liberabam] Eximebam e lege: possessoribus relinqui volebam. Flavius autem in lege tulerat, ut privatis ademptus divideretur populo Romano, cisque tantum pecuniæ redderetur, quantum pro ejus agri emptione numerassent. MAN.

Publicus fuisset] Qui cum post eos consules privatis esset venditus, plebi quasi publicum distribui Cicero nolebat. IDEM.

Syllanorum hominum possessiones] Victor Sylla donaverat amicis suis eorum agros, qui Marium secuti contra ipsum arma tulerant. IDEM.

Neque diviserat] Vide Fam. XIII. 4.

In sua possessione] Nam in lege Flavius posuerat, ut, quando eorum agri a Sylla publicati fuerant, publice dividerentur. IDEM.

Unam rationem] Unum illud caput Cicero probabat, de pecunia ex novis vectigalibus cogenda, qua emptus ager plebi divideretur. Tulerat enim Flavius, ut vel agri, qui aut tum essent, aut aliquando publici fuissent, vel, si hoc non placeret, alii agri, novorum vectigalium pecunia empti, plebeiis agros non habentibus distribuerentur. Secundum caput Cicero probavit. IDEM.

Ex novis vectigalibus] Quæ autem erant nova vectigalia? Bello scilicet proximis annis quæsita, nationibus maxime per Cn. Pompeium in populi Romani potestatem redactis. IDEM.

Agrariorum] Agripetarum. COR.

Noster exercitus] Hoc est, ii, qui nobis favent. Infimi enim, et pauperes, ut rerum novarum cupidi, Ciceronem haud omnes amabant, quem scirent in consulatu acerbissimum iis fuisse, qui res novas quæsierant. Locupletes contra in oculis ferebant, cujus vigilantia sublatam conjurationem intelligerent, quam egentes, et perditi cives, divitum fortunis infensi, fecissent. MAN.

Frequentari] Deductis coloniis.

Bello] Timore Gallici belli, maximeque Helvetiorum. MAN.

Quid emeris] L. Afranius emerat consulatum: quem tamen ignorare nunc videtur. Ep. 13. IDEM.

De P. Clodio] Vide supra, ep. 16.

Nonarum illarum Decembrium] Quo die supplicium sumpsit de conjuratis. IDEM.

Piscinarios] Hortensium, Lucullum.

Νῆφε καὶ μίμνε' ἀπιστεῖν] Q. Cicero in libello de petitione consulatus ita vertit, *Sobrius esto, atque illud teneto, nervos, atque artus esse sapientiæ, non temere credere.* de Pet. Consul. cap. 10.

De tuo autem negotio] De exactione pecuniæ vectigalis a Sicyoniis, quam Atticus suo vel publicanorum nomine urgebat: sed quia senatus consultum liberos populos, inter quos erant Sicyonii, excipiebat liberabatque a pensitatione, ideo illi nolebant solvere. POPMA.

Pedariorum] Senatores, qui curules magistratus gessissent, curru in curiam honoris gratia vehebantur: cæteri pedibus ibant: unde Pedariorum nomen. Gellius lib. III. cap. 18. MANUT.

Me esse ad scribendum] Me affuisse, dum scriberetur senatus consultum. IDEM.

Aliam rem] Primo relatum est non de populis liberis, sed alia de re, ut ex ipso senatus consulto potes intelligere: deinde ex sententia Servilii additum est illud, ne liberi populi cogerentur solvere. Quod si de populis primo actum esset, ego, qui scirem Sicyoniis pecuniam tibi deberi, tua causa repugnassem, neque scribendo affuissem. Ep. I. lib. II. ID.

Conventus] Hominum, qui senatusconsultum induci cupiebant. CORR.

Tertium poema] Tertium opus de consulatu meo. Primus enim commentarius Græce compositus, alter Latinus, tertium poema. MANUT.

Ἐγκωμιαστικὰ] Laudatoria.

CICERO ATTICO SAL. 20

Pompeiano] Fuit oppidum, cui nomen *Pompeii*, quod Sarno amne alluebatur. Nunc rudera. *Plin. Hard.* novissimæ editionis Tom. I. p. 154.

Atque a nostris] Videtur esse quædam ἐπανόρθωσις, vel ἐπεξήγησις, hoc modo, *a nobis, atque ideo a nostris:* vel *a nobis*, id est, *a nostris.* Significat autem Q. Fr. et Pómponiam. Ep. 17. h. l. CORRADA.

Et ingenii] Fortasse, *at ingenii.* MURET.

Neque sine nostris copiis] Non debeo Pompeii amicitiam tanti facere, ut veteres amicorum copias negligam, sine quibus intra alterius præsidia venire, id est, uni Pompeio me totum credere, tutum non est. Sic igitur faciam: firmabo, ut institui, meas opes amicitia Pompeii: et tamen, quia non unius fidei sunt omnia committenda, veterum amicorum præsidia non dimittam. Hæ sunt enim copiæ nostræ. MAN.

Is, de quo scribit] Pompeius.

A spe malorum] Speraverant enim improbi homines contentionem mihi fore aliquam cum Pompeio ex rerum, quas in consulatu gesseram, dissensione. MANUT.

Bonos viros] Quos paulo ante suas copias vocavit. *Meos:* alii, *eos.* ID.

Σπάρταν] Remp. quam semel tuendam suscepi, nunquam deseram. Adagium est in Suida, et Plutarcho, Σπάρταν ἔλαχες, ταύτην κόσμει; de iis, quibus, cum fortunæ munere contigisset, ut Spartæ nascerentur, degenerare a tam nobilis patriæ testata virtute sine magno dedecore non liceret. IDEM.

Post Catuli mortem] Q. Catulus, M. Cato, et M. Cicero in defendenda reipublicæ libertate, et tuendis optimatium partibus mire consentiebant, ut scribit Plutarchus in Crasso. Ex his Catulus paulo ante obierat. POPMA.

Rhintan] Poeta comicus Tarentinus: de quo Suidas. MAN.

Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσιν, οἷς δ' οὐδὲν μέλει] Iambicus senarius. Latine sic: *Alii quidem prope nihil sunt, aliis autem nihil curæ est.* Qui me, inquit, recta sentientem adjuvare, et in optimatum via pergentem forsitan sequi vellent, infirmi ab auctoritate non possunt; qui possent, negligunt. MANUTIUS.

Piscinarii] Hortensius, Lucullus,

De Sicyoniis] Epistola superiore.

Ad quos pertineret] Non animadversum est, illud, *De populis liberis*, addi sine multorum damno non posse. Hæc iterum, et planius epist. 1. lib. II. IDEM.

Malevolentia] In creditores. *Æquitatis*: in debitores, qui cum liberi sint, æquum non videtur eos cogi. IDEM.

Ὑπώπιον] Macula, vulnus.

Græco Græcum] Libro Atticum. MANUT.

Serv. Claudius] Libri vulgati nonnulli *Clodius*, mutatione non necessaria: idem enim nomen Grammatici celebris: et Serv. Claudium, ut Cicero hic, nominat Gellius lib. XIII. cap. 21. Serv. Clodium Plinius lib. XXXIII. cap. 4. et Suetonius in libro de claris Gammaticis. Fuit autem frater Papirii Pæti, aut consobrinus, aut ex eadem matre, diverso patre: de quo in epist. ad Pætum. POPMA.

Per legem Cinciam] Quæ erat de donis et muneribus. Jocatur. MAN.

Cincius] Hic Attici negotia Romæ procurabat. Epist. 6. IDEM.

Scheda] Est a Græco σχίδα, et hoc a σχιδὸν, unde et σχέδιον, *schedium*. Vide Festum in *Schedia*. GRÆV. *Scheda* est plagula chartæ ex scapo revulsa, quibus committebant veteres quidquid subito commentabantur, ut emendatum postea in mundiorem chartam scriberetur. SALM.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER II.

1 CICERO ATTICO SAL.

Antium] Ubi domum habebat. Vide ep. 8. lib. IV. CORRAD.

Mulieres] Vetus illud in mulieres odoratis unguentis non utentes: *Ideo bene olere, quia nihil olerent.* Quod est apud Plautum in Mostellaria. MANUT.

Μυροθήκιον] Unguentariam thecam.

Discip.] Theopompi, Ephori, &c.

Aristotelia] Quæ præcipit Aristoteles, in tertio præsertim libro Rhetor.

Strictim attigisti] Cursim legisti, missum videlicet ab aliis: (jam enim divulgatus erat; siquidem et Posidonius eum Rhodi legerat, ut infra proxime) post autem eum, opinor accepisti, quem ego L. Cossinio dederam. MAN.

Fastidiose] Cum omnia in eo diligentissime examinassem, usque ad fastidium. IDEM.

Ὑπόμνημα] Commentarium.

Σεμνότερός τις, καὶ πολιτικώτερος] Gravior quidam, et civilior: grandior aliquis, et reipublicæ studiosior.

Consulares] Ut in consulatu habitæ. CORR.

Ἀπεσπασμένα] Appendices.

Σῶμα] Corpus.

Aut ne poposcisses] Si orationes, quas mitto, non vis perlegere, non erant tibi poscendæ; non erat, ut peteres. GRÆV.

Si paulo plus] Sensus est hujus loci simplicissimus: Si Clodius me infestare, vexareque posset vehementius, ut vult, te rogarem ut celeriter huc te conferres. IDEM.

Metellus impedit] Quippe cum in senatu dixerit se Clodium fratrem patruelem incipientem furere, atque conantem, sua manu interfecturum. Orat. pro M. Cœlio, et Dion. lib. XXXVII. CORR.

Φιλόπατρις] Studiosus patriæ.

Ædilitatem] Qui enim ædilitatem petebant, per causam fori ornandi et ludorum, socios spoliabant signis, et rebus pretiosioribus, cum ad eum usum rogassent, nec unquam postea redderent. Causa autem Clodio in Siciliam eundi fuit, quod adoptatus fuerat a Fonteio, qui Siculus ipse erat. Quare ejus furta nunc cavillari mihi Cicero videtur. MURETUS. Ex depravatis codicibus hic alii aliter legunt. Sed hariolationes meræ cui bono? ubi Victorius Muretusque offerunt quod conveniat, et sit satis. OLIVET.

Freto] Siculo, quasi proprie fretum appelletur illud, quod est inter Siciliam, et Italiam. CORR.

Tribus horis] Vetus liber: *at tribus horis*. BOSIUS. *Baluzianus*. Cavillatio dicax et morosa. Jactabat Clodius se septimo die a freto Siciliensi, quod Italiam a Sicilia dividit, Romam venisse, noctu introisse, neque sibi obviam quemquam prodire potuisse, ob tacitum et subitum suum adventum. Regerebat Cicero: Etiam tribus horis Roma Interamnam; quoniam Clodius falsis testibus in judicio obtinuerat, se qua hora argueretur in operto Bonæ Deæ deprehensus, Interamnæ fuisse, quod verum esse non poterat, cum multi eum Romæ vidissent tribus horis ante deprehensionem, et Interamna longius ab Roma trium horarum itinere abesset. Item ante noctu introisse, scilicet domum Cæsaris pontificis, ubi mulieres Bonæ Deæ sacrificabant. Ne tum quidem illi esse itum obviam cum iri maxime debuit, hoc est, cum debuit resisti, ne reus pollutarum ceremoniarum absolveretur. Jocus in ambigua notione verbi *Ire obviam*, quod et *prodire obviam*, et resistere significat. POPMA.

Candidatum] Candidatos ad commendationem clari viri Martium in campum deducebant. Q. Cicero, de petit. consulatus. MAN.

Siculis locum] Siculis, meis clientibus, locum dare, ubi gladiatorum certamina spectare possent. Amicis enim, et tribulibus ad spectacula locus dabatur: ut in Orat. pro Murena. IDEM.

Consularis loci] Munera gladiatorum in foro dabantur: consules autem, et alii magistratus gerentes, pro magistratus dignitate spatium habebant, ubi spectare possent, sive amicis familiaribusque ad spectandum dare. Virgines item Vestales suum locum gladiatorium habebant, et consulum uxores. Qui magistratus petebant, soliti erant a propinquis et necessariis vel precario vel mercede magnam vim horum locorum impetrare, et hac liberalitate candidati multorum animos sibi conciliabant: cum nonnulli etiam nobiles viri in circo totas tabernas tribulium causa compararent. Decreto autem M. Tullii, liberi posterique Servii Sulpitii circum eam statuam, quæ illi, quod ob rempublicam mortem obiiset, in Rostris erecta est, locum gladiatoribus, ludisque habebant quaqua versus pedes quinque. Cum igitur Clodius candidatus esset, petierat a sorore Clodia, Metello Celeri nupta, quæ multum haberet loci consularis, ut sibi aliquantum concederet. Illa autem parum liberaliter ei visa est respondere, cum unum tantum pedem promisisset. De quo cum Cicerone questus responsum tulit, injuria illum de sororis uno pede queri.

Posse enim, cum ei commodum esset, etiam alterum pedem tollere. Acerbo, sed lascivo nimis dicto, et parum gravitate dignitateque Ciceronis digno. Putabatur enim Clodius tres sorores stuprasse. Tollere autem pedem, figuram quandam Veneris designat. De qua Martialis intellexit, cum dixit: *Sustulit ille pedes, sustulit hic tunicam.* Sed et lib. II. *Tolluntur que pedes, o medicina gravis.* Jocus igitur Ciceronis jam planus est. VICT.

Odi male consularem] Nota atque usitata locutio est, *Male odisse.* Infra lib. XIV. *Atqui, si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito, quin me male oderit.* Plaut. Menæch. *Ut ego uxorem, mea voluptas, ubi te aspicio, odi male.* Quare adverbium illud qualitatis, vel potius quantitatis (nam *male*, ut Sosipater ait, valde significat) aptius meo judicio, *odi* verbo jungatur, quam nomini *consularem.* Ut sensus sit: sed ego male odi, illam consularem. Illud etiam scio, fuisse qui *consularem* delerint, non tam veterum librorum auctoritate, quam vel locutionis insolentia, vel quod consularem non putarint, de consulum uxoribus dici. Quod tamen falsum esse deprehenditur ex jurisconsultis. MALASP.

Quod eos in hoc] Quod illi toti erant in impediendo ne Clodius adoptaretur a plebeio, utque ejus consilia perniciosa reprimerentur. GRÆV.

Lege] A. L. Flavio tribuno plebis promulgata. Ep. 15. lib. I. CORRAD. Legendum autem: *Quod de agraria lege quæris, sane quam videtur refrixisse.* VIII. ad Fam. 10. et IV. 5. J. F. GRON.

Equitatus] Equites Romani, quos ego consul cum senatu conjunxeram. MANUT.

In clivo Capitolino] In æde Concordiæ, ad radices assurgentis Capitolii. Qua in æde consul Cicero senatum consuluit, quid de conjuratis deprehensis statuendum videretur. IDEM.

Te signifero, ac principe] Cum te quoque, equestris ordinis principem, ad eam consultationem adhibui. Sed persistit Cicero in translatione rei militaris: et quia dixerat, *Equitatus*, intulit, *Te signifero:* cum nihil aliud significet, quam in senatu Atticum, qui principem locum ordinis equestris obtineret, cum cæteris equitibus affuisse. IDEM.

Principes] Principes cives Lucullus, et Hortensius, piscinarum studiosi. Ep. 16. 17. 18. lib. I. IDEM.

Πολιτεία] Republica.

Verius] Æquius. *In judicium venire*, accusari apud judices. IDEM.

Curiæ bellum] Indixerunt, subaudi. Et curiam accipe pro senatu; ut sit continens pro contento. IDEM.

Renuntiantibus] Petentibus, ut locatio Asianorum vectigalium inducetur. lib. I. epist. 17. IDEM.

Ordinis] Equestris. Publicani enim equites Romani. IDEM.

Consule in carcere incluso] L. Flavius tribunus plebis Metellum consulem in carcere inclusit, quia legem agrariam perferri non sineret. Aliis tamen tribunis opem ferentibus, et Pompeio suffragante, aliquot post horis exivit. Dio. l. XXXVII. 1. IDEM.

Mercede conductos] Equitumne Romanorum studium in remp. erit largitionibus et pecunia conciliandum? GRÆV.

Ἄλις σπουδῆς] Sat studii: subaudi, positum est a nobis in tuenda ordinum concordia. MAN.

Meam tribum tulit honestius] Tribum ferre dicitur, cui tribus vel magistratum petenti, vel commodum aliquod suffragiis defert. Tribus autem Ciceronis videtur Cornelia fuisse: cum, in ea censeri solitos esse Arpinates, Livius l. XXXVIII. significet. IDEM.

Lucceii perdidit] Nec mirum, perdidisse Lucceii tribum, quippe cum Lucceius Cæsaris, Favonius Catonis familiarissimus esset, Cato autem et Cæsar cum natura, tum vitæ instituto dissidentes. IDEM.

Ac modeste] Pugnare hæc prope

videntur: tamen eo ipso lepida sunt et inexpectata. Modeste enim dicere laudem nullam habet in oratore: minus in accusatore, quem vehementem, acrem, exertum et pugnacem esse oportet. Nasus igitur modestiæ verbo subest, cum quadam tamen laudis simulatione, quod modestia in hominum vita laudi ducatur. Significat igitur eum frigidum et malum accusatorem fuisse. TURN. Advers. XXX. cap. 13.

Molis potius quam Moloni] Πρεσβυμανία. Potius molis pristinariis, quam Moloni rhetori. POPMA.

Defendissem] Nasicam. CORR.

Reipublicæ causa] Exagitatio Favonii cum excusatione, quod iterum peteret: iterum enim petere non sua, sed reipublicæ causa: alioqui post priorem repulsam non fuisse petiturum. MAN.

Te lædunt] Non solventes. Vid. ep. 19. et ep. 13. lib. I. CORR.

Deinde in dissensionibus] Ita in omnibus legitur. Itaque διφυϊκῶς, quodamque cum stomacho scribi, dicendum est. MALASP. Conjiciebat Manut. *discessionibus;* idque Bosius recepit. Vulgatam præfero. Hoc enim Cicero dicit. Age probemus, quia sic placuit senatui, sententiam Catonis; deinde vero in dissensionibus civilibus, cum senatus auctoritas erit tuenda contra popularium impetum, deseramur nos, qui optimatium causam agimus, ab equestri ordine et hominibus illis locupletibus, quibus grave damnum illatum est senatusconsulto illo. GRÆV.

Amalthea] Vide ep. 17. lib. I.

Vindicem æris alieni] Conjuratio Catilinæ propter æs alienum facta, odio maxime creditorum. Recte agitur vindex, et servator creditorum Cicero, quia conjuratos occiderat. MANUT.

Ære non Corinthio] Sensus est: Tusculani, et Pompeiani ædificatio magnum mihi æs alienum attulerunt. Sed jocatur in ambiguitate verbi: cum æs Corinthium maxime laudaretur. IDEM.

Hoc circumforaneo] Quod ab argentariis fœnerantibus sumitur, qui tabernas habebant in perticibus circa forum. IDEM.

In Gallia] Vide lib. I. ep. 16. et 18.

Prognostica] Cicero interpretatus est versibus Arati Prognostica, ut constat e libris de Divinatione; quare non habeo dubium, quin eá intelligat. Meminit horum etiam libro earündem epistolarum XV, his verbis: *Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt. Ranæ enim βροντοῦσι.* MUR.

Provincialia] Cicero putabat Atticum exercere fœnus in liberis solum civitatibus, ut Delo, Athenis, Sicyone: non etiam in provinciis, in quibus Romani magistratus jus dicebant, ut in Macedonia, quam tunc C. Octavius Augusti Cæsaris pater proprætore administrabat. Ideo vocat *provincialia negotia*, quæ erant cum provincialibus hominibus, et apud magistratus provinciales expediebantur. POPMA.

Tocullionibus] Hoc nomine jam Turnebus docuit significari fœneratores, quasi dicas fœneratorculos: cujusmodi erant negotiatores, et argentarii, qui fœnus in provinciis exercebant. BOSIUS. Vide Turnebi Advers. XXX. 13.

CICERO ATTICO SAL. 2

Θείοι] *Patrui.* Quo sensu Horatius, *Ne sis patruus mihi.* CORRADUS. Ex depravatæ veteris scripturæ vestigiis conjicio legendum: *Cura, amabo te, Ciceronem nostrum: cui nos συνεστῶν videmur.* Ægrotabat apud Atticum Q. Cicero Q. F. Eum igitur patruus avunculo diligenter commendat; et quo magis declaret suam erga illum voluntatem, se sibi videri una cum eo ægrotare. MURETUS. *Var. Lect.* lib. XIV. cap. 7.

Πελλαιαῖον] Librum Dicæarchi de populis Pellenæis. De quibus Suidas. MAN.

Magnum acervum Dicæarchi extruxeram] Est, magnam partem legendo evolveram. Ex ratione legendi volumina, de quibus quod legissent, in contrariam partem convolutum ante se demittebant. J. F. GRONOV. Vide de Dicæarcho Gerh. Voss. de Hist. Græc. lib. I. cap. 9. et Joh. Jons. de script. Hist. Philosoph. lib. 1. cap. 16.

Procilio] Vide Plin. lib. VIII.

Κορινθίων πολιτείας. Corinthiorum, et Atheniensium respublicas ab eodem Dicæarcho scriptas. CORRADUS.

Mihi credes] Emendo: *Mihi credesis, lege hoc otio. Mirabilis vir est.* Ait, *hoc otio*, quia Atticus hoc tempore in Epiro. LIPSIUS. IV. Epist. Quæst. 11. Forte legendum: *Mihi credes, leges hæc de eo*, hoc est, de ejus operibus. J. F. GRONOVIUS.

Ἡρώδης] Atheniensis, et, opinor, is, de quo lib. XIV. MANUTIUS.

Petivit] Herodes missa ad me epistola, tanquam telo eminus jacto, me lacessivit, et provocavit ad certamen. Ait enim se velle sua scripta de meo consulatu cum meis committere: quasi parum eleganter, aut etiam diligenter ipse scripserim, necesseque fuerit id argumentum ab illo tractari. BOSIUS.

Cominus] Venit enim ad te, ut scriptorum suorum molestissima lectione conficeret. MANUTIUS.

Conjurasse mallem] Tam malus est scriptor Herodes, ut præclarum illud meum factum potius conspurcet et collatulet suis scriptis, quam illustret. Itaque si illum mihi audiendum putassem recitantem quæ de rebus a me consule gestis scripsisset, mallem fuisse de numero conjuratorum, et eo nomine poenas dedisse, quam ea scripta legere, aut audire, quæ me enecarent. BOSIUS.

De Lollio] Ita Victorius. Alii, *De illo, sanus non es: de vino, laudo.* Alii, *De oleo, sanus non es: de vino, laudo.* Quam multa, quam dubia huc afferunt interpretes, ut suam quisque sententiam tueatur! Quæ tamen prætermitto omnia; etsi delectus mei severitatem sic temperavi hactenus, magis ut sit verendum, ne assumendo remissior fuisse videar, quam atrocior in repudiando. OLIV.

Kalendas] Quo die C. Antonius causam dicere debebat. MANUTIUS.

Non venire] Ex Macedonia provincia redeuntem, quam avare, et infeliciter administraverat. Vide lib. I. IDEM.

Ita ad me mittunt] Ita mihi Roma scribitur a meis. IDEM.

Compellaturum] Male Manutius exponit, evocaturum, coacturum. Est enim accusaturum, ejus nomen delaturum. GRÆVIUS.

Huc non venis] Quoniam Romam recta proficiscaris, nec vis de itinere deflectere, ut in villas ad me venias; Romæ domi meæ coenato, tertio quidem Kalendas, si poteris, id est illo ipso die, quo te ad urbem futurum scribis; si minus, utique pridie Kalendas. MANUTIUS.

3 CICERO ATTICO SAL.

Εὐαγγέλια] Boni nuntii præmia. Manutius supplet, *debes mihi.* Alii vero, *debeo tibi*, qui jucunda ad me scripseris.

Valerius] An est ille Valerius Flaccus, qui non multo post Bibulo et Cæsare coss. est accusatus, et ab Hortensio et Cicerone defensus? an M. Valerius Messala, qui superiore anno cos. fuerat cum M. Pisone? Neutrum puto: quia uterque solo cognomine appellatur, Messala lib. I. Flaccus ep. ult hujus libri. Forte est L. Valerius jurisconsultus, cujus cognomen nullum extat. Meminit ejus Fam. lib. I. ep. ult. lib. III. ep. 1. et lib. VII. ep. 12. ut unius ex suis domesticis atque intimis familiaribus. Ideo hic ait, quia illum absolutum significat, sibi deberi ab

Attico præmium, quod dari solet lætum afferenti nuntium. POPMA.

K. Atilio] Id est, Cæsoni Atilio. Fuit enim Cæso prænomen Atiliorum, quod hac nota *K.* scribi solebat. In fastis Capitolinis L. Atilius tribunus militum filius dicitur K. Atilii. BOSIUS.

Epicratem] Quasi potentem, omnia tenentem in repub. *Lascivum*, protervum fuisse Pompeium in judicibus urgendis ut absolverent. J. F. GRON.

Caligæ] Militares, quibus domi, in urbe, in pace utebatur, aurea populari serviens, ut lib. I. ep. 16. De *fasciis cretatis* extat Faonii dictum apud Valerium Max. lib. VI. cap. 2. JUNIUS. Verius videtur: Mihi non placebat, quod milites multos circa se haberet. GRON.

Κύρου παιδείαν] *Cyri* architecti *doctrinam:* et allusit ad Xenophontis librum, qui inscribitur Κύρου παιδεία. MANUT.

Radiorum] Ita Vict. et Man. Alii vero *viridariorum.* Solebant veteres ita lumina fenestrarum posita habere, ut per earum spatia in viridia prospectus esset. Hunc autem prospectum non tam suavem putavit Cyrus architectus, si latiora essent lumina. Quæ ut intelligantur videndus est Gellius lib. V. cap. 16, et Apuleius Apolog. P. PITH. Advers. II. 18. *Viridium* hic mendose scriptum est pro *thuridium*, hoc est, θυρίδων διαφάσεις. Quod neminem spero esse negaturum, qui vel tantillum habeat sensus communis. *Radiorum* autem, quod in omnibus editionibus propagatum est, omni modo mendosius. SALMASIUS.

Ἔκχυσις] Effusio radiorum.

Januarium] Quo Cæsar, et Bibulus coss. magistratum inituri erant. MANUT.

Ἵστασιν] Statum. πολιτείαν, temp.

Σωκρατικῶς εἰς ἑκάτερον] In utramque partem, more Socratico.

Illi] Socratici, vel Academici.

Τὴν ἀρίστευσιν] Scilicet γνώμην, placentem, probabilem sententiam. MANUTIUS.

Balbum] Pro quo extat oratio.

Reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, senectutis otium] Sic bene Manutius aliique distinguunt. Victorius autem sic interpungit: *Cum Cæsare reditus in gratiam; cum inimicis pax; cum multitudine senectutis otium.* Quem sequuntur Bosius fere et Gruterus. Sed veterum editionum scriptura non est sollicitanda. Hoc enim volebat Cicero, se reconciliari posse cum Cæsare, si velit, et hac conjunctione placare, quorum odium in consulatu suo in se concitaverat; plebem quoque hac ratione sibi faventem reddere, quæ Cæsari sit addictissima, si nolit adversari legi agrariæ, et hinc tutam et tranquillam sibi promittere senectutem. GRÆV.

Κατάτασις] *Contentio.* Hortatur enim Calliope Ciceronem iis versibus qui proximi sequuntur, ad eum cursum studii reipublicæ tenendum, quem primum ingressus erat. Ideo κατάτασιν Cicero vocat contentionem, et incitationem ejus cursus: nam κατατείνειν δρόμον est, ut norunt mediocriter docti, cursum contendere, et in incepto cursu gnaviter perseverare. BOSIUS.

Libro III.] De consulatu suo.

Ἀριστοκρατικῶς] Accommodate ad statum optimatium.

Εἷς οἰωνὸς] Homeri locus Iliadis lib. XII. de Hectore augurii contemnente, et unum esse optimum augurium affirmante, certare pro patria. MANUT.

Compitaliciis] Quia scripserat Atticus, se pridie Compitalia cum eo futurum. Compitalibus igitur, dum alii ludis operam dabunt, nos hæc ambulantes conferemus. De die compitalicio Macrobius lib. I. Sat. Varro de lingua Lat. Cicero in Pisonem, et hic l. VIII. ep. 7. IDEM.

Matrem] Tuam. CORR.

Περὶ φιλοτιμίας] De ambitione.

Serapionis] Fuit ille Antiochenus, qui geographica scripsit.

Ne tu expensum] Quasi mihi donasses, in codice perscriberes, ubi cætera munera scribis. CORR.

Male empta] Nimio empta. MAN.

Nummi potius reddantur] Hunc locum recte mihi explicasse videtur Goveanus sine ulla scripturæ mutatione. BOSIUS. Solvatur Titinio quidquid ei debetur, ut hac molestia plane liberati simus. Cum ab aliquo emimus quod ipse ab alio emerat, nummos ei suos reddimus. Terentius in Adelphis, II. 1. 45. *Hæc tantidem emptam postulat sibi tradier. Age jam cupio, modo argentum reddat.* Scrupulus autem dicitur *difficultas*, et nodus, qui nos male habet. GOV.

Velim Syspiræ] Mirum est quam valde hoc loco varient exemplaria; alia enim habent, *Syrpæ:* alia *Syrpiæ:* quædam, *Syspriæ:* nonnulla nescio quid pejus. Denique in nullo veram et germanam lectionem reperias, quam puto fuisse hujusmodi, *Syspiræ*. Est enim Syspira, locus, aut potius tractus Armeniæ celebris aurifodinis. BOSIUS. Emendarim: *Velim surpi ea conditione:* quod parum a veteri scriptura recedit, et ad sententiam maxime accommodatum est. Clodius, inquit, erit legatus ad Tigranem? ipse velim ea legatione me hinc abducere, et ab hac hominum satietate nostri discedere. *Surpia* autem dixit pro *surripio*, ut Horat. *Unum me surpite morti;* et, *Quæ me surpuerat mihi*. POPMA. Alia etiam alii excogitaverunt. Quam bene, viderint ii, quibus est otium. Tu vero, bone lector, ea, quæ non intelliguntur, ne curabis quidem intelligere: sed ex iis, quæ plana sunt, voluptatem et fructum capies. OLIV.

Sed facile patior] Clodium proficisci nunc, et me manere in urbe, quoad ille redeat ex Armenia. Ad liberam enim legationem, quam accipere volo, tempus illud quam hoc accommodatius est: nam et Q. frater jam e provincia erit reversus, et poterit jam tum intelligi mecumne volet Clodius contendere. Legatione volebat M. Tullius periculum, quod a Clodio impendebat, declinare. Quare tum volebat abesse ab urbe, cum in urbe esset Clodius, non cum abesset. Cum ergo audivit Clodium mitti ad Tigranem, differendum sibi legationis tempus in Clodii reditum putavit. GOV.

Sacerdos] P. Clodius ἱερωσύνης, ut orat. de republ. et pro Sext. *stuprorum sacerdos* appellatur. CORR.

Hujus] Errabat tum Cicero circa suas villulas. GOV.

Dodonæam] Si quercus essent in Terentiæ saltu, ut in Epiro tua sunt, juxta Dodonam civitatem; ego ipsam mihi viderer in Italia possidere: cætera non minus abunde sunt, quam in tuis Epiroticis possessionibus. MANUT.

Adhibeas Vettium] Utaris consilio Chrysippi Vettii Cyri architecti liberti Ep. 29. lib. XIII. GRÆV.

Tam dubia vita] Innuitur periculum, aut ex aeris aliqua gravi et pestilenti aspiratione, aut certe ex hominibus impendens: ut ex ea Cicero, puerorum causa magni faciat Palatinæ domus secessum æstate illa: nolit tamen eos, dum externa pericula declinant, incidere in domestica, ruinæque timore versari. MAL.

Palæstræ Palatinæ] Cicero habebat domum in Palatio magnificentissimam, cum qua juncta erat palæstra, eaque muro cincta, de quo palæstricæ exercitationes spectabantur: sed quia murus erat infirmus, minitans ruinam, volebat illum reficere consilio Attici et Vettii architecti: ne forte ipso absente per liberam legationem Q. fratris uxor Pomponia, et Q. filius versarentur in timore ruinæ. Erant enim domus utriusque Ciceronis contiguæ, nec ullo interjecto spatio disjungebantur, ut ipsi quasi contubernales essent: Vide ep. 4. lib. II. ad Fratrem. POP.

CICERO ATTICO SAL. 5

Ægyptum] Fore videbat, ut Cæsar consul legatum mitteret ad faciendam cum Ptolemæo, Ægypti rege, societatem: eam legationem et sibi deferri cupiebat; et tamen verebatur, ne alieno reipublicæ tempore discedentem infamia sequeretur. Cæsar lib. III. de Bello Civili. MAN.

His] Cæsare et Pompeio. IDEM.

Αἰδέομαι] *Vereor Trojanos, et Trojanas peplos habentes.* Homeri versus de Hectore. Iliad, z. 442. et x. 105. IDEM.

Πουλυδάμας] Convicium Catonis timebo, ut Polydamantis Hector, si certamen cum Achille recusaret. *Iliad.* x.

Ad annos DC] Annos sexcentos, sic alibi sæpe ex usu loquendi antiquo, quo loco Græci μύρια dicunt. Donat. in Phormion. CORR.

Excipiamus] Quod ad Ægyptiam legationem attinet, ne properemus, sed excipiamus, et expectemus, num deferatur. MANUT.

Potestas] Accipiendi, et non accipiendi. CORR.

Θεοφάνης] Theophanes Mitylenæus ex Pompeii domesticis atque intimis familiaribus, particeps consiliorum, et scriptor rerum ipsius: de quo ep. 17. lib. V. pro Archia, &c. POPMA.

Arrius] Vide ep. 7. hujus lib.

Nepos] Q. Metellus Nepos, ex quæstura profecturus in provinciam.

Auguratus] In locum demortui auguris Metelli Celeris. POPMA.

Vide] Sic emendabat Muretus. Hoc enim dicit Cicero: Auguratum si deferent mihi, potero in eorum potestatem venire, ut de repub. non ab illis dissentiam. GRON.

Præclara] Magistratus, honores.

De Curtio] Fortasse M. Curtio, ep. 9. lib. XIV. nisi malit quis legere, Q. Arrio, ut idem sit, de quo paulo ante dictum est. CORR.

Ἐπὶ σχολῆς] In otio.

CICERO ATTICO SAL. 6

Lacertas] Pisces, a lacerti, humani membri, similitudine dictos. Sed malim, *Lacertos*, ut eos appellant Plinius, Celsus, Martialis, alii. MAN.

Eratosthenes] Cyrenæus, floruit sub Ptolemæo Philopatore, qui et geographica scripsit. Vide G. Voss. de Hist. Græc. lib. I. cap. 17. GRÆV.

Serapione] Vide sup. ep. 4.

Hipparcho] Hipparchus Nicænus astrologorum suæ ætatis princeps, de quo vide G. Voss. de Scient. Mathemat. c. 3.

Tyrannio] Homo reprehendendi et exagitandi studiosus. Tyrannio Grammaticus, cum antea Theophrastus diceretur, hoc nomen accepit quod puer condiscipulos exagitaret. Præceptor in patria fuit Strabonis Geographi civis sui, ut ille testatur lib. XII. Amasum describens. Inde Romam captivus ductus a Lucullo post devictum Mithridatem, ibi clarus atque dives evasit, et librorum ultra tres myriades paravit: inter quos erant Aristotelis opera, quæ Apellico Teius possederat. Floruit amicitia Pompeii, Luculli, Ciceronum, quorum filios etiam erudivit ep. 4. lib. II. ad Fratr. lib. II. ep. 6. ad Atticum, Plut. in Sylla, Suidas. POPMA.

Ὁμοιδιῶς] Floride scribi.

Ἀνθηρογραφεῖσθαι] Floride scribi.

Antii] Cum hæc Cicero scribebat, non erat Antii, sed in prædio quodam Antii finitimo, et agro Antiati attributo, ubi, ut opinor, villam habuit. BOSIUS.

Duumvirum] Alludit ad numerum consulum Romanorum, quos festive duumviros, quia bini quotannis creabantur, appellat, a similitudine eorum magistratuum, qui coloniis et municipiis præerant, et a numero duumviri dicebantur. Malebat ergo fuisse

duumvir antii, quæ colonia erat populi Romani, quam duumvir, id est, consul Romæ. IDEM.

Buthroti] In oppido Epiri, ubi possis esse in solitudine. Ep. 7. lib. III.

Proxima] Solitudine: et Antium Buthrotum est Romæ, ut illud Corcyræ. CORR.

Esse locum tam prope Romam] Iste infinitivus nihil habet a quo pendeat. Sed sic solent in admirationibus, et indignationibus, subintelligentes, mirandum est, incredibile est, aut tale quid. GRÆV.

Πολιτευτέον] Administranda resp.

Istic] Romæ. CORR.

Ἀνέκδοτα] Quæ fuerint ἀνέκδοτα, quidve continuerint, paucis adhuc notum esse video. Ego librum arbitror significari illum, quem M. Tullius, honestissimo quidem nomine *de suis consiliis* inscripserat, sed re vera in eo illud egit, ut sceleratos cives ulciscereturr, et ad annos sexcentos, quid ipse in republica, quid illi sensissent, testatum legeretur. Namque in eos acerbissime est invectus. Quod ne vel sibi, vel Marco filio, fraudi aliquando esset, librum obsignatum occultatumque esse voluit, non modo se, sed filio quoque vivente. Et id esse arbitror, quod hic ἀνέκδοτον vocat, unique Attico tanquam uni sibi, legi vult. Theopompum vero utrum existimemus intelligi oportere, Comicumne illum, de quo Suidas, an potius historiæ scriptorem? Si quidem et hunc in suorum temporum scriptores invehi solitum esse, et Lucianus, et Æmilius Probus, et Dionysius, initio suarum historiarum tradunt. MALASP.

Πολιτεύομαι] Opera, quam nunc quidem, Antii dum sum, reipublicæ navo, hæc est, odisse improbos. MANUTIUS.

De Q. Fratris] Quæstores urbani curabant magistratibus provincialibus quod ex ærario in sumptum debebatur. Ideo Q. Cicero proprætor ex Asia discessurus, cupiebat hoc sibi ab illis curari denario, id est, Romano nummo: illi vero facta versura cum Pompeio numerare volebant ex ea pecunia quam Pompeius confecto bello Mithridatico in Asia in cistophoro nummo locaverat. POPMA. Denarius Romanus parum aberat quin duplo superaret æstimationem cistophori, Asianorum nummi, sic appellati, quod in eo cistiferi essent sculpti, qui sacrorum mysticorum cistis inclusorum arcana ferebant, ut in Cybelæ mysteriis, Bacchi orgiis, Cereris initiis. Quatuor enim denarii septem cistophoros cum semisse valebant. TURNEBUS, Advers. III. cap. 5. et 23.

De muro] Vide supra ep. 4. extrema.

7 CICERO ATTICO SAL.

De Publio] P. Clodio.

Jucunda sunt] Clodium contemnere legationem ad Tigranem. CORR.

In hominem] Tolle præpositionem, *In*: sententia patebit. MAN. *In* expungere non ausim contra librorum omnium fidem. Forte scripsit Tullius: *istim hominem*, &c. *Istim* pro *istinc* Ciceronem usurpasse pluribus docuit Victorius. GRÆV.

Ut differrem cum eo vadimonium] Ut in aliud tempus diem quasi litigandi cum Clodio differrem, quasi nunc litigare non possem: μεταφορά. CORRADUS.

Amisturus] Cum legatus longe gentium abiret: qui plebeius videretur esse factus, non ut inani legationum munere tempus consumeret, sed ut Romæ plebis negotium gereret. MAN.

Legis curiatæ] Quæ in curiatis comitiis erat de Clodio ad plebem traducendo, Cæsare consule latore, auspice Pompeio augure. POPMA.

Unus vir] Jocatur Cicero, fallaci quadam a majori ad minus collatione: quia si unus vir Clodius fuit in sacris Bonæ Deæ, cur in vigintiviris esse non possit agris dividendis? MALASPINA.

An epuleni] Quæ Clodio promissa fuerat legatio, eam dicit Drusio, aut Vatinio reservari. Et est usitata Ciceroni locutio, ambigenti hoc an illud sit: ut libro I. *Nos hic te ad mensem Januarium expectamus, ex quodam rumore*, an *ex litteris tuis ad alios missis?* MAN.

Bella relegatio] Non est hoc, Clodium legare, sed specie legationis relegare. Et argute, cum post verbum, *jejuna*, adscripturus videretur, *legatio*, ut contrarium contrario redderet, quia dixerat, *opima*, jocum captans, repente vertit sententiam, et intulit, *bella relegatio*. IDEM.

Ad istorum tempora reservatur] Qui enim Clodium nunc ad Tigranem mittunt, ideo mittere videntur, ut comitiis tribunitiis Romæ ne sit, itaque petitione tribunatus excludatur. Id autem, ut tribunatum illi non tam eripiant, quam ad ipsorum tempora reservent. Quasi arbitratu suo possent magistratus dare, cum vellent. IDEM.

Quod potes] Bosius, *quoad pot' est.*

Ex Curione] Vide ep. seq.

Megabocchus] Pompeius: qui in his epistolis a Cicerone diversis nominibus appellatur: *Epicrates*, qui omnia teneret; *Sampsiceramus, Arabarches*, et *Hierosolymarius*, hæc loca victoriis adeptus; *Megabocchus*, magnus Africæ rex, quia Domitium, et Jubam, Syllanis temporibus in Africa vicerat. Bocchus autem in Mauritania, Africæ parte regnaverat. ID.

Quinqueviris] Ad Campanum agrum dividendum creatis. CORR.

Loqui] Nescio quid contra Cæsarem, Pompeium, et alios. IDEM.

Κατὰ τὸ πρακτικὸν] Rei gerendæ causa.

Receptis] Sensus est: cum cogar omittere rempublicam, non deserto, sed salvo et constante officio. *Non abjectis*, ut faciunt scilicet desperantes gubernatores navium, sed *retractis* in navem et suo commodo depositis. GRON.

Κἂν ὑπὸ στέγῃ] Et utique sub tecto confertim labentem audire pluviam sopito et quieto animo. *Fragm. Sophocl.*

De muro] De quo epist. 4. et 6.

Castririanum mendum] Quiddam significat de Castricio, qui in Asia negotiatus erat: ut ex oratione pro Flacco. MAN.

CIO CCIOO IOOO] Locus, quem Manutius et Malaspina corruptum dicunt: alii non corrigunt.

Cicero] Filius meus.

De Amalthea] Vide ep. 1. h. l.

CICERO ATTICO SAL. 8

De Publio] Clodio.

Reges odisse superbos] Qui supra leges esse vellent, Cæsarem, Pompeium et Crassum. Nec dubito, quin sit hemistichium ex vetere poeta, cum in illud inspicio, quod legitur lib. VI. epist. 3. *Tibi valde solet in ore esse. Gravius autem non contemnere se, et reges odisse superbos.* MAN.

Saufeium] Saufeio similem, hominem in studiis laboriosum. GRONOV. De Saufeio vide epist. 1. lib. I. et 1. lib. VII.

Paribus] XI. vel, ut alii volunt, XII. Kal. Maii. CORR.

Cratera] Baias notat συνιδοχικῶς, ad quas verno tempore causa valetudinis confluebant multi. Nam Baiæ conprehenduntur eo sinu qui dictus est Crater, ut ex Strabone annotat Bosius. JUNIUS.

CICERO ATTICO SAL. 9

Illum vero] Σολοικισμὸς Græcis, et Ciceroni usitatus. CORR.

Βοῶπις] Ἐπίθετον Junonis apud Homerum, quasi bovinos habens oculos. Cicero transtulit ad Clodii sororem, tanquam alteram Junonem, quæ eum fratre coire diceretur. Ep. 1. MAN.

Pacta sunt] Promiserat Clodius

Pompeio, se nihil acturum contra Ciceronem. Ep. 22. et 24. MAN.

Hierosolymarius] Pompeius, a Hierosolymis captis. IDEM.

Traductor ad plebem] Transduxerat Clodium. Ep. 7. IDEM.

Putissimis] Luculentis, et splendide scriptis: quibus illum ornavi. Unde *aurum purum putum*. IDEM.

Παλινῳδίαν] Contrariam cantionem, qua Pompeium, quem semper laudavi, nunc vituperem. CORR.

Nebulo iste] P. Clodius. MANUTIUS.

De Cynico consulari] Me ipso, quem ipse Clodius Cynicum consularem vocat quasi nimis mordacem, et severum, quales erant Cynici philosophi. CORR.

Quam potuit] Subaudi, per publicas rationes. Est enim, *potuit*, licuit, debuit, æquum fuit. MAN.

Catonis] Qui equites a senatu alienavit. Ep. 16. lib. I. IDEM.

Auspicia... Æliam, &c.] Hæc omnia centies repetita in Orat. pro Domo, de Harusp. resp. &c.

Neque a Theophrasto] Qui scripsit, quæ essent in republica inclinationes rerum, et momenta temporum, quibus esset moderandum, utcunque res postularet. Lib. V. de Finib. CORRADUS.

Nostra illa tempora] Quæ fuerunt usque ad Cæsarem, et Bibulum coss. IDEM.

Vatinii strumam] Vatinio auguratum deferant. Struma tumidum fuisse Vatinii guttur, scribit Plutarchus in Cic. MANUT.

Διβάφῳ] Purpura bis tincta, hoc est, veste augurali. CORR.

Σοφιστεύειν] Sapientiam quærere, philosophari missa reipublicæ cura. MANUTIUS.

Ἄντα] Vox est Homerica, quæ contra, et ex adverso significat, jungique solet cum verbo στῆναι, aut ἰλθεῖν. Sed neutrum Cicero expressit, usus familiari sua et assueta reticentia. Horum igitur verborum sensus est: Si Clodius me cogit ἄντα στῆναι, aut ἄντα ἰλθεῖν, hoc est, contra se stare, aut progredi, quod me lacessat, tum cogitamus duntaxat nos defendere. BOSIUS. Malim: *Si ille cogit; at duntaxat nos defendere*. Hoc est, utique nos defendere. J. F. GRON.

Ἐπαγγέλλομαι] Promitto, denuntio, hominem me ulturum, qui prior læserit. Iliad. Ω. 369.

Propitia sit] Mihi ignoscat: veniam det. Quo sensu alibi, *Ama me*. Nam quos vehementer amamus, quibus propitii sumus, iis tam facile indulgemus, quam nobis. MALASP.

Κικίρων] *Cicero parvulus salutat Titum Atheniensem*.

10 CICERO ATTICO SAL.

Ἀτοπόλογον] Subabsurdum.

Ἀναφαίνεσθαι] Apparere, videri.

11 CICERO ATTICO SAL.

Τρηχεῖ] *Aspera, sed bona puerorum altrix, neque ego hac terra possum dulcius aliud videre*. Sic loquitur Ulysses IX. Odyss. 27. de Ithaca. Quid ego, inquit Cicero, Arpinum te invitem, quod amœnitate delectare non magis potest, quam Ithaca illa, in asperrimis saxulis tanquam nidulus affixa: fortes tamen viros, non minus quam Ithaca, gignit? MURET.

Hæc igitur] Habeto. CORR.

12 CICERO ATTICO SAL.

Negent illi] Cum Cæsar, et Pompeius Clodium ad plebem transduxissent, eoque mox non satis amico uterentur, qui etiam delatam ab iis Armeniam legationem contempsisset; negabant, illum plebeium esse

factum, ideoque nec tribunatum posse petere. Hic Cicero indignans, Quod regnum, inquit, est hoc? fecerunt, quod jure non poterant: nunc, quia pœnituit, factum negant. Sed, si Clodius emittat ad me, qui meum hac de re testimonium tabellis excipiant, et obsignent; jurabo, Cn. Pompeium Antii mihi narrasse, in auspicio se fuisse, cum Clodius lege Cæsaris ad plebem transduceretur. MAN.

Collegam] In vigintiviratu. Epist. 7. Nec abest ironia: quod, collegam habere Balbum, hominem Aricinum, honoribus non insignem, Pompeio Magno turpe videri posset. IDEM.

Εὐαγγέλια] Boni nuntii præmia.

Συγκύρημα] Sortem, casum.

Lata] Leges Cæsaris. Quod Clodius in tribunatu conatus est. Vide Orationem pro Domo sua. MAN.

Memmii] Quo postea prætore de Cæsaris actis referente, cognitio senatui delata Suet. in Cæs. CORR.

Metelli Nepotis] Qui moleste fert, auguratum sibi eripi, ep. 5. h. l. et Pompeium cum Mutia sorore divortium fecisse ep. 9. lib. I. IDEM.

Ζώσης] *Vivæ vocis*, supple, *major efficacitas*. Proverbium.

De ruminatione quotidiana] De occultis consiliis, quæ Cæsar, Pompeius, Crassus quotidiana ruminatione contra rempublicam inirent. MAN.

De cogitatione Publii] De rescindendis Cæsaris legibus. IDEM.

De lituis βοώπιδος] P. Clodii sororem intelligit, quæ tanquam lituus fratrem ad contentiones excitaret. Erat enim seditiosa. ep. 1. 9. 12. IDEM.

Athenione] Athenio dux in Sicilia fuit fugitivorum: cujus nomine fortassis hic designatur Vatinius tribunus plebis, qui tanquam signifer Cæsaris et Clodii contra optimates stetit: ut indicat oratio in ipsum. POP.

Missis] Capuam. Ep. 19. h. l. COR.

De Theophanis] Ep. 5. h. l. IDEM.

Ἀστεῖγοῦς] Delicati.

Ὀξόπεινος] Famelicus.

Συμπόσιον] Convivium.

Κατ' ὀπωρῆν] *Per autumnum fœx*, supple, nondum desedit.

Dicæarchum] Scriptorem luculentum. Ep. 1. et 16. et lib. VI. ep. 2. MAN.

Ἀδικαίαρχοι] Injusti magistratus, cum Dicæarchus justus magistratus interpretari posset. Intelligit autem Cæsarem et reliquos. CORR.

Κιμέρων] Jocatur de se ipso: et πολιτικὸν Atticum appellat, quia Dicæarchum secutus anteponeret τὸν πρακτικὸν βίον τῷ θεωρητικῷ. Epist. 16. MANUT.

CICERO ATTICO SAL. 13

Αὐθωρεί] Eadem ipsa hora.

Τηλέπυλον] *Telepylum Læstrygoniam*, Odyss. *K*. Vide Cluver. *Ital. Ant.* III. 10.

Formias] Antiquam Læstrygonum sedem. Plin. III. cap. 5. CORRADUS.

Cujus cognomen] Pompeii cognomen illud, Magnus, suam celebritatem, honoremque amittit: quemadmodum et Crassi, qui Dives ex opibus appellatus est, opibus imminutis cognomen paulatim extinguitur. MANUT.

Φιλοσοφῶμεν] Philosophemur.

Litteras ad Sicyonios] Scriptas a consulibus: ut Sicyonii, qui te lædebant (ep. 1. hujus libri) tibi pecuniam solvant, *advola*, profecturus in Epirum. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 14

Bibuli] Quia scripserat Atticus, se cum M. Bibulo sermonem habiturum, etiam cum Clodia Publii sorore. MAN.

Sampsiceramus] Pompeius.

Εὐανατρέπτους] Faciles ad evertendum.

Ruere] Aliquid conari, quo magis rempublicam perturbet. J. F. GRON.

Ἐντυραννεῖσθαι] Sub tyranno esse, a

tyranno regi: sic *male vehi alio gubernatore*, ep. 9. h. l. CORR.

Basilicam habeo, non villam] Locum frequentem, ut Romæ sunt basilicæ. IDEM.

At quam partem] In basilicis quæque tribus certum et designatum locum habebat. Tribus autem Æmilia plenissima omnium tribuum erat. Cum ergo dixisset basilicam se habere Formianorum frequentia, non villam; subjunxit, At non quamlibet basilicæ partem; tribum, inquit, habeo Æmiliam. GOVEANUS. Ita etiam Victorius edidit. Sed Manutius, *At comparem basilicæ* &c. Bosius vero, *At quam parem basilicæ* &c. Quo modo interpretentur, alii legant apud Grævium, ego non satis intelligere potui. OLIVET.

Omitto vulgus] Κατὰ παρίθεσιν dictum est *omitto vulgus*. Innuit enim qualibet hora diei molestissimum esse se vulgus Formianorum, nedum post quartam solum. BOSIUS.

Cæteri] Cæteri qui sunt Formiis mihi molesti non sunt post horam quartam. Nam ante eam horam me valde salutationibus interpellant. Reliquum tempus diei C. Arrius, et Sebosus me non sinunt tranquille et quiete ducere, ita odiose importuni sunt. IDEM.

Occasionem] Quoniam, dum frequentiæ hujus me tædet, facile, et minoris fundum venderem. CORR.

Probem] Legendum cum interrogatione, quasi dicat, fieri non potest, cum singulis horis interpeller, ut id, quod suades, probem, et magnum aliquid aggrediar, et multæ cogitationis. Nam hæc verba, *magnum aliquid aggredianur*, &c. descripsit ex epistola Attici. BOSIUS.

15 CICERO ATTICO SAL.

Quidnam] Scripserat Atticus inventum iri quiddam a Cæsare super agraria re, quod nemo improbaret, nemo recusaret. Ep. 15. MANUT.

Possit] Julius Cæsar.

Comitiorum dilatione] Bibulus, domo pedem non efferens, edictis comitia differebat. Neque videntur hæc fuisse comitia consulum designandorum, (quippe ante Quintilem mensem non designabantur, hæc autem Aprili mense scripta sunt) sed legis agrariæ rogandæ. MANUT.

In Publio spes est] Afflicta respublica jacet, quam Bibulus erigere non potest, qui se, Cæsaris metu, parietibus tenet. Quis igitur eriget? spes jam nulla superest, nisi in Clodii tribunatu, qui istorum est inimicissimus: ergo, etsi video, quæ mihi ab illo tempestas impendeat, fiat tamen, fiat tribunus plebis. Et protulit hoc Cicero cum indignatione: quod reipublicæ salus in uno posita videatur, homine omnium perditissimo. Ep. 12. IDEM.

Ex Epiro] Quo Atticus propediem erat iturus, ad exigendas a Sicyoniis pecunias. IDEM.

Ruet] Videtur opponi verbo, *eriget*, et significare evertet, ut apud Terentium Adelphis, *cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem:* et Virgilium, Georg. I. 105. BOSIUS.

Præclarum] Seu eum viderimus frustra multa machinari; nobis enim cum illo disputare, ejusque molitionibus obviam ire certum est: seu erigere rempublicam, et illis adversari, qui eum ad plebem deduxerunt. GRÆVIUS.

In montes] Ad montes Arpinates. Versum hunc Ennianum esse putabat Gulielm.

Mulviana] Publicani publica conducebant. Ideo Mulvius, cognitor, ut puto, publicanorum, publicos agros a privatis vindicare conabatur, ut publicanorum vectigal augeretur. MANUTIUS.

Agros publicos] Agri publici, de hostibus capti, tria genera; unum, quod colonis donabatur; alterum,

quod a censoribus in quinquennium locabatur; tertium, quod ob vastitatem, quæ fere bellum consequi solet, iis, qui colere vellent, in perpetuum assignabatur, imposito annuo vectigali, ut arbustorum quinta, frugum decima, pecoris etiam quædam pars penderetur. Quod ab Appiano lib. I. Bellorum civilium scriptum est. Ex hoc tertio genere erant agri, quos Terentia, et Atticus possidebant. Sed Atticus legitimum vectigal publicanis pendebat: qui fortasse cum illo agrorum genere, de quo secundo loco mentionem fecimus, hoc etiam tertium de censoribus conduxerant, non ut fructus ipsi perciperent, sed ut vectigal illud, cujus admodum facilis exactio non esset, suo periculo exigerent. Terentia ne vectigal quidem illud, satis tenue, pendere volebat; credo, ne beneficium amitteret lege Thoria datum. Nam Sp. Thorius, ut ait Cicero in Bruto, agrum publicum vectigali levaverat. Sed videtur ejus legis auctoritas, ut aliarum quoque legum, vetustate contemni cœpta: itaque multi, quorum in numero Atticus erat, vectigal, tanquam lege illa abrogata, pendebant: nonnulli vero, in quibus erat Terentia, tanquam lege Thoria manente, recusabant. Terentiæ negotium agebat Atticus, eo libentius, ut Cicero significat, quia, si secundum Terentiam in ea causa judicatum esset, ipse etiam de pendendo vectigali recusasset, immunemque agrum publicum legis Thoriæ beneficio possedisset. Mulviana vocatur controversia, quia Mulvius, ut puto, publicanorum causam procuraret. IDEM.

Ἀριστοκρατικώτατος] Optimatium studiosissimus puer.

CICERO ATTICO SAL. 16

Illius] Cæsaris. MANUT.

Ego] *Egomet*. BOSIUS. *Baluzianus*.

Derivata] Expectatio illa omnis de agraria re hunc exitum habet, ut ager Campanus plebi dividatur. MAN.

Reliqua] Quia viginti hominum millia divisionem agrorum petebant, et consecuti sunt. 1. Velleius lib. II. App. lib. II. IDEM.

Illis] Qui legem agrariam tulerunt. IDEM.

Abalienetur] Id non accidit: quia Cæsar, cum agrum Campanum intelligeret tantæ multitudini non sufficere, præterea Stellatem Campanum divisit. Suetonius. IDEM.

Vicesimam] Vicesima fuit vectigal quod capiebatur ex libertorum manumissione, et pendebatur a dominis, et servorum emptione, quod ab emptore solvebatur: de quo vide J. Lipsium ad Tacit. XIII. Ann. c. 31. GRÆVIUS.

Pedissequorum] Infirmæ plebis, quæ, si quis tribunus de tollenda vicesima concionaretur, clamore statim esset approbatura. MAN.

Istuc adduci] Adduci, ut agri Campani divisionem, rem turpissimam, et reipublicæ maxime exitiosam, Cæsari gratificans probaret. MAN.

Ἐσοφίζετο] Cavillabatur, et cavillando dicebat, quæ sequuntur. CORRADUS.

Alexandrino] Ut rex Alexandriæ Ptolemæus a senatu et populo Romano socius appellaretur. Cæsar lib. III. de Bello Civili. MAN.

In forum] Quo descendenti Bibulo inter cæteras injurias cophinus stercoris superfusus est. Plut. in Cat. CORRAD.

In monte Antilibano] In longinquis regionibus vectigal dedisse populo Romano, domesticum abstulisse? De monte Antilibano Plin. I. V. Strabo lib. XVI. MAN.

Obtinebis] Excusabis, tueberis, ut homines non reprehendant. IDEM.

In eam partem] Contra tam iniquam paucorum dominationem. ID.

Τὸν πρακτικὸν] Vitam, quæ in rebus gerendis versatur.

Τὸν θεωρητικὸν] Quæ in rerum contemplatione versetur.

Ad hanc familiam] Ad Theophrasti sectam. MAN.

Πρόσθε λέων] *Ante leo, sed a tergo, &c.* Hoc dicit, Ut Quintus frater in epistola ad te scripta, ita ad me quoque scribens fuit varius et inconstans, ut qui in prima parte epistolæ de mansione sua in Asia valde sollicitus esset, in altera minimum laboraret. Homericus versus integer est Iliad. VI. 181. POPMA.

Ut annales suos emendem] Tanquam diu abfuturus. De annalibus Quinti Ciceronis vide lib. XIII. ep. 13.

De portorio] Cum publicani pro rebus, quæ circumvehebantur, portorium sibi dicerent deberi, provinciales, et negotiatores negarent: proprætor Quintus, dubia sententia fluctuans, rem ad senatum rejecit. MAN.

Si possum discedere] Elegans sententia, nec tamen adhuc, ut video, satis nota. Neque enim, *discedere*, proprie hic accipiendum, sed μεταφορικῶς: quasi dixerit: Si possum consequi, si hunc exitum res habere potest, ne Græci causa cadant. Idem verbum Terentius quoque usurpavit eodem sensu: apud quem ita loquitur Geta servus in Phormione: *Modo ut hoc consilio possit discedi, ut istam ducat.* IDEM.

Satisfaciam publicanis] Aliis rebus; cum in hac eorum animos offendamus. IDEM.

Εἰ δὲ μὴ] Refertur ad proximum verbum, *satisfaciam.* Si contigerit, inquit, ut publicanis deinde satisfacere non possim; haud tamen in mentem veniet pœnitere, quod in hac causa, quæ optima est, universæ Asiæ, et negotiatoribus satisfacere maluerim. IDEM.

De cistophoro] Quod Quinto fratri, Asiæ proprætori, a populo Romano debetur, id vellem denario, id est, Romana pecunia, curari. Quæstores autem primo volebant cistophoro, hoc est Asiatico nummo: nunc etiam id videntur recusare. IDEM.

Quod extremum est] Ut numerentur nobis cistophori, summa quæstorum injuria, qui cogant nos Romæ uti Asiana pecunia. IDEM.

Maritimum] Formianum: quo expectatus venire noluisti. MAN.

17 CICERO ATTICO SAL.

Sampsiceramus] Pompeius turbatur cum se omnium sermonibus sentit vapulare. Ep. 14. h. l. CORRADUS. Veteres libri, *turbatur*. Emendavi, *turbat vi.* Videtur enim Cicero significare Pompeium vi turbas cicre. BOSIUS.

Ὁμολογουμένως] Plane, et aperte tyrannidem affectat.

Affinitatis] Juliam, Cæsaris filiam, Pompeius duxerat uxorem, quæ, antequam Pompeio collocaretur, desponsa fuerat Servilio Cæpioni. MAN.

Effusio pecuniæ] Cur suasit effusionem pecuniæ publicæ ad emendos agros et plebi dividendos, quod Cæsaris lege agraria continebatur: etsi agri postea empti non sunt, et pecuniam sumptam ex ærario Clodius tribunus plebis dedit Gabinio in Syriam eunti. Pro Domo. POPMA.

Philologiæ] Balliolens. codex scribit *philosophiæ:* quæ scriptura mihi rectior videtur et magis apposita. Frustra enim philosophiæ dedisset operam, si nunc luctui se daret propter improbitatem aliquot civium. Philosophia docet res adversas et omnes eventus æquo animo ferre, non philologia. GRÆV.

Εὐελπιστία] Bona spes.

Ἀδιαφορία] In neutram partem inclinatio.

Ἀφιλόδοξον] A gloriæ cupiditate alienum.

Id afficitur] Refertur ad illud, *Quod est subinane in nobis*, hoc sensu: Quæ ambitio in nobis est, ea nunc habet quo delectetur; siquidem Pompeii merita in patriam non jam, ut antea verebar, majora quam nostra, videri possunt. MAN.

Πτῶσις] Hoc est, *casus, ruina.* Ita Bosius. Vocat, inquit, Cicero Curi-

anam πτῶσιν, dedecus et ignominiam flagitiosissimi viri Q. Curii, qui, ut refert Sallustius, ob probra et mala facinora motus fuerat senatu.' Alii *Phocis*, alii *Prætis* malunt; dubitant, Græce an Latine Cicero scripserit: et campus est, in quo libere vagantur. Quam sapiens Manutius, qui fatetur se diu cogitantem excogitare nihil potuisse, quod probaret. OLIVET.

Theophane] Qui Pompeii sensus, et consilia noverat. Ep. 4. MAN.

Alabarches] Hoc nomine Pompeium notat, qui gloriabatur se mirum in modum auxisse vectigalia populi Romani. Ἀλαβα, inquit Hesychius, μέλαν ᾧ γράφομεν, id est, atramentum quo scribimus; unde et pro scriptura ipsa accipitur. BOSIUS.

Κατὰ τὸ κυδαμωνικὸν] Accurate.

Ὑποθήκας] Documenta.

Περὶ τῶν ὅλων] De summa rerum.

CICERO ATTICO SAL. 18

Σκοπὸς] Huc spectarunt, hoc voluerunt. MAN.

Largitionem] De publico.

Curio] Quod reges oderit superbos. Ep. 8. h. l. CORRAD.

Fufium] Fufium Calenum acerrimum Cæsaris propugnatorem, Ciceronis inimicum: de quo alibi. POPMA.

Κατὰ λεπτὸν] Minutatim.

Campana lex] Julia agraria de agro Campano dividendo; cujus caput quoddam erat, ut candidati se ipsi jurejurando exsecrarentur, si in magistratu, quem peterent, mentionem fecissent de agro Campano aliter possidendo atque ut lex Julia præscriberet. Ep. 16. POPMA.

Concione] Præclare ex Balliolensi restituit Grævius: cum antea legeretur *coitione*. Jurare enim debebant publice. Coitiones autem erant privatæ, fiebantque in privatis locis.

Laterensis] M. Juventius Laterensis, de quo in Orat. pro Plancio, et in ep. Planci ad Ciceronem lib. X. MANUTIUS.

Caute] Tornæsianus, et Decurtatus, *laute:* Crusellinus, *caute;* quam scripturam expressimus: quanquam alteram, *laute*, non damnamus. BOS.

Legationem] Utramque neglexit: alterutram si accepisset, vitare potuit exilii calamitatem. MAN.

Pulchelli] Putidum jam est toties iterare, Pulchellum appellari P. Clodium, cui cognomen Pulcher. IDEM.

Hanc] Provincialem. IDEM.

De Stratio manumisso] Ep. 2. lib. I. ad Q. fr. CORRAD.

CICERO ATTICO SAL. 19

Nec meum imperium] Verba hæc sunt Terentii ex Phormione, cum queritur Demipho filium se absente et nescio duxisse uxorem: *Itane tandem uxorem duxit Antipho injussu meo? nec meum imperium? ac mitto imperium*, &c. VICTOR. Illa verba non Statium spectant, sed ipsum fratrem cui toties Cicero mandaverat ne Statium manumitteret. GRÆV.

Dignitatis ἅλις, tanquam δρυὸς] Dignitatis satis, tanquam quercus: satis tibi dignitatis, Cicero, ut priscis satis quercus, quando relictis glandibus ad victum triticeum se contulerunt. Proverb. *Satis quercus*. CORRAD.

Τυφλόττῳ] Cæcus sum.

Τῷ καλῷ] Honestati deditus sum.

Populares isti] Cæsar, Pompeius, Crassus: et cum ironia: quod *populares* dici non possint, quos populus, etiam modesti homines, sibilis insectentur. MAN.

Unus homo] Ennii poetæ versus de Q. Fabio Maximo. IDEM.

Afflixit] Qui se cum socero suo Cæsare conjunxerit, et ab optima causa ad perditam desciverit. IDEM.

Neminem] Quia bonos inimicos habet, improbos non amicos. Ep. 21. IDEM.

Iis uti] Vereor, ne Pompeius Cæ-

saris, et Crassi institutam amicitiam retineat, non tam voluntate, quam quod bonos metuit, quos offendit. ID.

Utor via] Neque in hanc partem, neque in illam declino. Quasi via utor. Transfertur ad rationem, et consilium: et illud Terentii in Andr. *Eam secum rem reputavit via:* Donatus, et Eugraphius explanant, *Via*, id est, *consilio, ratione.* IDEM.

Dominus] Is, qui gladiatores dabat. IDEM.

Advocati] Qui cum eo ad spectandum venerant. IDEM.

In tempus] Non ut multis ante annis, et a vetere poeta, sed ut scripti viderentur et ad hujus temporis turpitudinem proprie notandam, et ab inimico Pompeii. IDEM.

Mortuo plausu] Plausu ita tenui, vix ut exaudiretur. IDEM.

Est insecutus] Post Cæsarem in theatrum venit. IDEM.

Capuam] Capuæ vigintivir agros dividebat lege Julia. IDEM.

Inimici] Cæsar, et ejus amici. IDEM.

Minitabantur] Se abrogaturos non modo Rosciam legem, quæ XIV. ordines in theatro equitibus dedisset, sed etiam frumentariam, quæ ad universum populum pertinebat. IDEM.

Ab illis] A Cæsare, et amicis.

Tamen ferendum] Non quia rectum sit, sed quia corrigendi spes non est. IDEM.

Consularem exercitum] Bonos omnes consularem appellat exercitum, quos sibi in consulatu præstantissimis actionibus obstrinxerat. IDEM.

Cosconio] Vigintiviro agris dividundis. Fortasse is, de quo *pro Sylla.* MANUT.

Ἀσφάλειαν] Securitatem.

Ἀκκιζόμεθα] Dissimulamus?

Furium] L. Furium Philum.

Ἐν αἰνιγμοῖς] In ænigmatis.

Cæcilium] Avunculum tuum. Qui Atticum postea testamento adoptavit. MANUT.

20 CICERO ATTICO SAL.

Pragmatici] Rebus gerendis exercitati, multo rerum usu periti.

Omnibus historicis præceptis] Sic quidem omnes libri et editiones, quos vidi. In margine tamen Lambinianæ notatum est, *Omnibus historiis, præceptis.* Et sic sine dubio scripsit Cicero. Non ausus tamen sum sine libris mutare. GRÆV.

Amalthea] Vide ad ep. 13. lib. I.

Ἀλληγορίαις] Allegoriis.

Diodotus] Stoicus. In Bruto. cap. 90.

H-S centies] *Centum* scribendum, ut recte viderunt Manutius et Malaspina. Non est philosophi in aliena domo degentis tantam vim argenti habere. GRÆV.

Archilochio] Vide mox ep. 21.

Poeta] Alexander Ephesius, qui cosmographiam versibus descripsit, teste Strabone. De quo vide G. Voss. III. de Hist. Græc. Hunc poetam ideo ad Ciceronem misit Atticus, quia tum situm orbis terrarum Tullius describere constituerat.

21 CICERO ATTICO SAL.

Illorum] Cæsaris, et Pompeii. MA.

Irati] Pompeius, quia Catonis sororem cum uxorem peteret, repudiatus est; Cæsar, propter veteres inimicitias, et recentes injurias. IDEM.

Amicus noster] Pompeius. IDEM.

Progressum præcipitem] In conspirationem cum Cæsare et Crasso: in quam se temere præcipitaverat; nec sine inconstantiæ nota ab ea poterat recedere. POPMA.

Ubi Crasso] Qui, Pompeii vetus inimicus, paulo ante Cæsaris opera reconciliatus, animum tamen gereret occulta malevolentia suffusum. MAN.

Clodianum] Cum fuerit ille traductor Clodii ad plebem. CORRAD.

Archilochia edicta] Acerba, male-

dictorum et probrorum plena, qualia fuerunt scripta Archilochi poetæ, quem, ut ait Horatius, *proprio rabies armavit iambo*. Bibulus enim consul foro pulsus a Cæsare collega, acerbissimis edictis eum et Pompeium proscidit, ut referunt Suetonius et Plutarchus. POPMA.

Ad Bibulum] Ad ædes Bibuli cum clamore. Bibulus enim, post agrariam legem, domi inclusus consulatum peregit. Suetonius. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 22

Romæ] Supple, *esses*. Lamb. et Grut. *Romæ mansisses; mansisses profecto*, &c.

Exercitus] Quem Cæsar habebit Galliarum proconsul. MAN.

Judicium] Populi: ut ad populum causam Cicero diceret de civibus Romanis et contra leges, et indicta causa summo supplicio affectis. ID.

Appium] P. Clodii fratrem, qui anno sequenti prætor est designatus. IDEM.

Varronem nostrum] Qui gratia valet apud Pompeium. Fuerat enim ejus præfectus bello maritimo contra piratas. MAN.

Pompeium Crasso] Quoniam futurum est, ut Crassus Pompeium urgeat contra me, intelliget, qua fide Pompeius mecum agat; et Clodiæ narrabit: illa tibi, si aderis. Ita fiet, ut, si intelligam Pompeium bona fide mecum agere, sine molestia sim, Clodii furorem non timeam; sin aliter, credulitatis errore non decipiar. ID.

Βοῶσαν] Clodii sororem, qua Crassus plurimum uteretur. IDEM.

Alexandri] Vide supra, ep. 20.

CICERO ATTICO SAL. 23

Recreandæ voculæ] In opera forensi pene amissæ. CORR. A Fabio ad vocem conservandam et augendam commendatur *ambulatio*, lib. XI. cap. 3. a Martiano Capella de Nuptiis Philol. lib. V. cap. de pronuntiatione, &c. GRÆV.

Sampsiceramum] Pompeium. MAN.

Declarato illo] Postquam Clodius designatus fuerit tribunus plebis, et ante quam incat magistratum. Ep. 22. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 24

κίλευσιν] Adhortationem. Vide Turneb. Advers. XXX. 13.

Aditu] Lambinus, Gruterus, *auditu*. Quod minus placet. OLIVET.

Noster index] In conjuratione Catilinæ. Dion. lib. XXXVII. CORR.

Cæsari] Consuli, præmia promittenti. Suetonius, Appianus, in Vatinium. MAN.

Restitisse] Colloquendi causa. Sic Terentius in Andr. *Dave, ades: resiste*. IDEM.

Fidem publicam] Ut ipsi daretur impunitas, si alios indicasset. IDEM.

Paulus] L. Æmilius Paulus, qui Macedoniam quæstor obtinebat. Postea consul fuit cum C. Marcello. IDEM.

Initio] Cum Romæ esset, nondum in Macedoniam profectus. IDEM.

Q. Cæpio] M. Junius Brutus, ille interfector Cæsaris, adoptatus ab avunculo Servilio Cæpione, fuit appellatus *Q. Cæpio Brutus*. Phil. X. POPMA.

Cum telo] Quod lex vetabat. MAN.

Id esse actum] Ita rem esse compositam a Cæsare, et Vettio. IDEM.

Q. Catulum] Ep. 10. lib. I. ex petitione pontificatus odio incensum. Sall. in Catil. CORRAD.

Jusserat dicere] Quando illum de refectione Capitolii ad disquisitionem populi vocavit rogatione promulgata, qua curationem eam in Pompeium transferebat. Suet. in Cæs. et Dion. lib. 37. IDEM.

Produxit] Nam privato non licuis-

set de superiore loco dicere, et concionem habere, nisi a magistratu concederetur. Ep. 1. et 2. lib. IV. MAN.

Aspirare non liceret] Domi enim se tenebat armorum metu. Non dixit, *accedere*, sed, *aspirare*. Quod minus est. IDEM.

Factus] Hoc est, instructus quid diceret a Cæsare et Vatinio. Vide Cic. orat. in Vatin. GRÆV.

Nocturnam deprecationem] Serviliæ, Bruti matris, quam Cæsar amavit. Hujus apud Cæsarem preces significat, ut filius ejus Cæpio Brutus de oratione Vettii tolleretur. MAN.

Lucullum] Cum, Lucullus, dicitur, sine prænomine; de Lucio, non de Marco ejus fratre, κατ' ἐξοχὴν intelligendum. IDEM.

In P. Clodium] Cum accusatus est crimine pollutarum religionum. Ep. 10. l. I. IDEM.

L. Domitium] Ahenobarbum, qui consul fuit cum Ap. Claudio. IDEM.

Vicinum consulis] Vicinus erat Cicero Cæsaris consulis, quod ipse in Palatio, Cæsar autem in Sacra via habitabat, quæ secundum radices Palatii a Carinis in capitolium tendebat. IDEM.

Ahalam Servilium] Qui sua manu Q. Mælium, regnum appetentem, occiderat. Livius. IDEM.

Brutum] Qui reges exegerat. ID.

A Vatinio] Qui cum Vettio, præsente populo Romano, collocutus, inculcavit, ut Pisonem, et Laterensem nominaret. *Cic. in Vatin.* IDEM.

De vi] Lege Plotia: quia confessus esset, se cum telo fuisse. IDEM.

Indicium] Hoc sensu: Si damnatus erit Vettius, ut absolvatur indicium postulabit, id est, ut alios ejusdem facinoris conscios indicare sibi liceat, a judicibus petet. MAN. *Indicium* non intelligendum de conjuratione illa ficta et commentitia. Nam jam ante in senatu et pro rostris indicaverat illos, quos fingebat in Pompeii caput conspirasse. Ideo in senatu *fidem publicam postulavit*, ut superius in hac epistola Cicero testatur. Sed reus de vi petiit, ut sibi liceat impune detegere, quomodo revera se hoc haberet negotium; nimirum ut a Julio Cæsare fuerit subornatus, ad hæc crimina fingenda, et viros optimos falsæ conjurationis accusandi. Ideo desperans tam præcipitis consilii eventum, Cæsar intercepisse veneno Vettium creditur, ut Suetonius in Julio prodidit cap. 20. GRÆV.

Judicia fore videbantur] Fore videbam, ut multi rei fierent, ex indicio Vettii. MAN.

Qui nihil contemnere] Ideo non pertimescimus, quia cavemus omnia. Judicium autem impendebat Ciceroni et ex indicio Vettii, et mox a P. Clodio de necatis civibus Romanis. IDEM.

Timueramus] Plutarchus hæc: Cum senatores in curiam pauci convenirent, Considius Cæsari causam dixit esse, quia militum illius arma timerent. Cui Cæsar: Cur tu quoque ob eandem causam non domi te contines? *Quia*, Considius, *senectus me facit intrepidum*. IDEM.

Quam quotidie] Hoc Vettii indicio patefactum est, cædem quotidie nobis fuisse timendam ab iis, qui rerum potiuntur. Quorum videmus quam scelerata consilia sint, cum perniciem bonis viris quacunque ratione machinentur. Non timebamus, cum indicia non extarent, sed timere quotidie potueramus, ut nobis inscientibus impendentem. IDEM.

Catulo] Cicero et Catulus fuerant socii in tuenda reipublicæ dignitate, qua afflicta et oppressa se censet infortunatum quod vivat, fortunatum Catulum qui in honore splendide semper vixerit, et ante hoc calamitosum tempus e vita excesserit, mortuus anno proximo, Afranio et Metello coss. lib. I. ep. 17. POPMA.

25 CICERO ATTICO SAL.

Non quo faceret] Non quia prorsus præstet, quod cupio. CORR.

Moratus est] Placeret, *Inodoratus*: quia, cum, Pompeio aut Cæsari cre-

dere, periculosum videret, eorum animos nosse, magni putabat ad suas rationes interesse, propter insequentis anni impendentem a Clodio tempestatem. MANUT. Vide Casaub. in Athen. lib. I. cap. 4.

Ἑλκετὰ καὶ οἰδίν] Sequitur apud Euripidem, ἰγνὶς, ἀλλὰ πάντα πίριξ φρονοῦντες, *quorum mens est involucris circumtecta, quique minime sincero et candido estis animo, sed versute omnia cogitatis.*

Τὰς τῶν κρατούντων] *Potentium stultitias ferre oportet, vel peccata.* Eurip. in Phœn.

Hortalus] Q. Hortensius, orator, qui defendit L. Valerium Flaccum, pro quo extat Ciceronis oratio.

Quorum opera] Desperata est.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER III.

CICERO ATTICO SAL. 1

Rogationem] Clodiam; ut mihi intra 400. millia ne liceat esse. MANUTIUS.

Facilius] Lege, *quod eo facilius potes.* BOSIUS. *Baluzianus.*

Macedonia] In qua tu habes negotia, et idcirco Romæ remansisti, ut cum intellexisses, cui decreta esset, ei res tuas commendares. Ep. 10. lib. I. CORR.

Lex] Qua L. Pisoni Macedonia est data. *Orat. pro Dom.* IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 2

In fundum Sicæ] Fundus hic Sicæ erat prope Vibonem, quo Cicero ibat eo consilio, ut inde in Siciliam aut Melitam pergeret, ibique maneret, si sibi per legem Clodiam liceret. Sin minus, decreverat Brundusium se referre; et inde navi Græciam petere: cui navigationi non audebat se committere propter inimicum suum Autronium, qui in Græcia exulabat. Ideo scribit sibi tenendas non esse partes illas sine Attico. BOSIUS. *In fundum*, pro *in fundo.* De hoc loquendi genere multa Fr. Sanctius in Minerva.

Nondum rogatione] Clodius rogationem promulgaverat et perscripserat generatim sine ulla loci exceptione, Ut M. Ciceroni aqua et igni interdicatur: sed eam priusquam ferret, correxit, addito hoc capite, Ut ei nisi ultra quadraginta millia ab Italia non liceret esse. Itaque nondum rogatione correcta Cicero non habebat locum ubi tuto esse posset, sed apud amicos in agris latitabat. POPMA.

Brundusium referre] Id est, Brundusium regredi, quia Vibonem profectus Brundusium pone reliquerat, quo ipsi remeandum erat, ut inde Græciam, aut in Asiam se conferret. BOSIUS.

Autronium] P. Autronium, unum ex conjuratis, qui in illis partibus de vi damnatus exulabat, Ciceroni infensum, vindici conjurationis. *Pro Sylla.* MAN.

Tota calamitas] In qua insunt, præter mea damna, eæ molestiæ, quas ex molestiis meorum capio. Ut nunc, cum te video mea causa tam molestum iter suscipere. IDEM.

In oris Luc.] Id est, Lucaniæ. Bosius. Antiqui libri *Naris;* unde legerim *in agris*. Nam Cicero per Lucaniam pedibus iter fecit, ut Plutarchus scribit, et apud amicos in agris et villis fuit. *In oris* poeticum est, et fere de littoralibus et maritimis lucis dicitur. Popma.

3 CICERO ATTICO SAL.

Vibonem] Oppidum Bruttiorum perantiquum, quod etiam *Vibo, Vibo Valentia*, et *Valentia* simpliciter dicebatur, olim Græcis *Hippo*, et *Hipponium*. Fuit postea eo ducta colonia Romanorum. Vide Cluv. Ital. antiq. lib. IV. c. 15. Græv.

4 CICERO ATTICO SAL.

Isto] Ultra quadringenta millia passuum. Nam si Cicero partes illas quo primum iter instituerat, tenuisset; hoc est, si in Siciliam, aut Meliten navigasset; (eo enim tendebat iter illud Vibonem versus susceptum) certe pervenisset ultra quadringenta millia passuum. Sicilia enim, et Melite propius absunt ab Italia quadringentis millibus passuum. Bosius.

Ante diem] Mihi ad discedendum in rogatione constitutam. Corr.

Periret] Ne pœnam subiret, quam Clodius irrogabat ei, qui Ciceronem intra quadringenta millia tecto recepisset. *Pro Domo sua*. Man.

Si modo recipiemur] Cum pœna sit, qui receperit, et nisi recipiemur, consequi nos properantes non poteris. Corrad.

5 CICERO ATTICO SAL.

Thurii] Ista urbs Bruttiorum, seu Calabriæ, dicta *Thurium*, et *Thuriæ*, olim *Sybaris*, quo nomine propter summas incolarum voluptates innotuit.

7 CICERO ATTICO SAL.

Castellum] Si mihi liceret in Epiro tecum habitare, prodesset castellum tuum munitum, ut ibi tuto consisterem; essetque invitatio tua ita opportuna ut nihil vellem magis; sed et Catilinarii exules in Achaia et propinquis partibus Epiri tantum quatridui itinere absunt, et Clodiani interpretabuntur Buthrotum oppidum, sub quo villa et castellum tuum est, ab Italia non distare quadringenta millia, intra quæ mihi non licet esse. De Attici villa prope Buthrotum lib. VI. et alibi. Popma.

Spes] Fore ut brevi revocaremur. Corr. Vide I. 4. ad Q. Fr.

Candaviam] Montem Illyrici, qui Macedoniam, Illyricumque disterminat. Strabo, Plinius. Man.

Quo modo vivurus] Afflictum dolore miseriarum mearum. Idem.

Ubi] Dolor enim, et luctus alterum ab altero divelli vix patietur. Idem. Scribendum, *nec ut dimisurus sim*. Bosius. *Baluzianus*.

Id] Congressus et dimissio. Man.

8 CICERO ATTICO SAL.

Processimus] Dyrrachio, a quo Thessalonica abest CXIV. M. pass. Corrad.

Istic quid agatur] Timebat, ne quis accusaret repetundarum Quintum Fratrem, ex provincia redeuntem. Vide infra, epist. 9. et 17. Man.

Acrius postularetur] Est, ut accusaretur acerrime et vehementissime. Hanc enim vim sæpe habent, quos

Grammatici vocant comparativos. Res est trita. GRÆV.

Vento rejectus ab illo] Ne illum adire, ac videre potuerit: sententia plane bona: in libro tamen Faerni, *ab Ilio* scriptum est: negligentiane librariorum in ductu litterarum, an quia ita esset in exemplari, unde illi descripserunt, quis possit dicere? Illud affirmare possumus, si *ab Ilio* rectum sit, a loci hujus sententia non abhorrere. Fuit enim oppidum et ipsum in eadem ora Asiæ, qua et Ephesus: Phaetonta quidem constat, cum Quinto non fuisse: sed conveniendi ejus causa, Ephesum, aut Ilium navigare conantem, inde rejectum in Macedoniam tempestate fuisse. MALASPINA.

Pellæ] Fuit Pella præcipua Macedoniæ urbs. Mela II. 3: *Macedonum populi centum quinquaginta urbes habitant, quarum Pella et maxima, et illustris. Alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ.* GRÆV.

Reliqua] Quæ fratri meo ab inimicis nostris videntur impendere. MANUT.

Tryphonem Cæcilium] Fortasse libertum, procuratorem, Cæcilii. CORRADUS.

Tigrane neglecto] Cum Pompeius Tigranem sibi a Clodio ereptum neglexerit, sublata spes omnis est mutandarum rerum. Ego autem graves inter eos contentiones fore speraveram. Videatur Pædianus in Milonianæ caput 14. MAN.

Hypsæo] Hic Pompeii quæstor fuerat; eumque, ut et Varro, hortabatur, ut Ciceronis patrocinium susciperet. Cognomen est Plautiæ familiæ. MAN.

Ei] Pompeio.

De fratre] De postulatione. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 9

Ne quid absens] Ne absens postularetur. Ep. 8. MAN.

Lictores dimitteret] Qui dimittendi fuissent, si mecum manere voluisset. Nam imperatori transitus per alienam provinciam dabatur, morari diutius in ea cum imperio non licebat. MANUT.

A Pompeio nunc Hortensium allice, et ejusmodi viros] Hoc totum est ex Attici epistola. IDEM. Vir doctus emendabat, *ad Pompeium mitte, Hortensium allice.* URSIN.

Nondum perspicis] Vis me in Pompeio, et Hortensio spem ponere: non intelligis me horum insidiis, et scelere periisse? MAN.

Negotium] Metus accusationis. ID.

Ut tibi placet] Scripsisti enim, ut expectem litteras tuas Thessalonicæ; si quod forte ex actis mensis Maii beneficium afferatur. Ep. 8. et 10. ID.

CICERO ATTICO SAL. 10

Ad te] In tuas Epiroticas possessiones. MAN.

Intra parietes meos] Ab iis, qui me quotidiana assiduitate insidiosissime tractarunt: ut Hortensius, ut Arrius. Vide ad Q. fratrem lib. I. IDEM.

Vivus] Peccavi inquit, aut quod dignitatem et fortunas meas vi armisque non defendi, aut quod vivus amisi, et non cum vita simul perdidi. POP.

CICERO ATTICO SAL. 11

Ad te] In Epirum tuam. MANUTIUS.

Ut ego] *Ut*, pro *quam*, dixit, sicuti supra de Pompeio, *Ut ille tum humilis, ut demissus erat.* Est autem hic eo venustior sententia, quo minus aperta. Cum me, inquit, objurgas, quia meo casu nimis excrucier;

facis, ut neque me videaris amare, neque dolere dolorem meum: quem tamen ita affectum mea ærumna esse arbitror, ut ipsum consolari nemo possit. In hoc, inquam, tuum amorem, et dolorem non agnosco. Qui enim amat, æque dolet; et, qui æque dolet, non objurgat. IDEM.

12 CICERO ATTICO SAL.

Per senatum] Nam per populum minus sperandum videbatur, Clodio tribuno. MAN.

Idemque] Qui me sperare vis per senatum, idem scribis caput proponi rogationis Clodianæ. Quo capite cautum erat, ne quis referret ad senatum de Cicerone restituendo. MANUTIUS.

Eodem tribuno plebis] Augurabatur Cicero Clodium biennium fore tribunum plebis, cum sciret eum adepturum esse a populo Romano alios honores in annum sequentem. Scribit enim Appianus (lib. I. de Bello Civ.) lege quadam sancitum fuisse, ut nisi tribuni plebis, qui tribunatu abirent, statim ad alios honores vocari possent, eorum in primis ratio haberetur proximis comitiis tribun. BOSIUS.

Cos. designato] Q. Metello Nepote, cum tribuno plebis acerrimas contentiones habuit, quas refert ep. 2. lib. V. ad Metellum. Augurabatur autem futurum ut Metellus consul designaretur; quod ita accidit. Fuit enim cos. cum P. Lentulo; cui referenti de Cicerone restituendo, autorem se adscriptoremque præbuit, deposita inimici persona. Vide Orat. post reditum in senatu. Ep. 4. lib. V. ad Fam. POPMA.

Oratione prolata] Non puto significari orationem in Metellum Nepotem scriptam, sed potius in C. Curionem. Nam Metello pluribus verbis Cicero concertavit, ut in ep. 2. lib. V. Fam. at hic se nunquam uno verbo concertasse dicit. De Curione autem epist. 15. his verbis: *sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ unde sit prolata, nescio.* MAN.

Sanari] Revocari. CORR.

Dodona] Casu accusandi, a Græco Dodon, Latine Dodona, urbs est in Epiro. POPMA. Cum sit in Mss. *venires Sidona*, vel *Dona*, quanto probabilius inde Ciceronem scripsisse, *venires Itona*. Stephanus, Ἴτων πόλις Θεσσαλίας, et hic locus Tullii præclare firmat testimonium Stephani. J. F. GRON.

Istic] Romæ.

13 CICERO ATTICO SAL.

Neque temporis non longinqui] Sensus est: Neque feram moleste, sperasse brevi tempore: hoc est, spe illa privatum esse, qua sustentabar: cum mihi amicior veritas, quam consolatio sit. Vel sic: Nec moleste feram, paucos hosce dies non male sperasse. MALASP. Sic vero Mongaltus: *Neque moleste feram, sperasse me, licet frustra et inaniter, fore ut, post tempus non longinquum, restituerer.* Quod, opinor, verius est. OLIV.

14 CICERO ATTICO SAL.

Remorari] Hic est sensus: Etsi scio cum me juberes sperare, te potius hoc fecisse ut me et meam spem foveres, ne desperationem in consilium adhiberem, vitæque renuntiarem, quam quod ita rem se habere putares, uti scribebas. GRÆV.

Peccatis] Qui invidis credidimus, et legationem, Cæsare delatam, qua vitari potuit hæc ærumna, nimis imprudenter repudiavimus: cum tantis miseriis vel mors fuerit anteponenda: cujus oppetendæ tempus honestissimum prætermisimus. Ep. 7. MAN.

A Plancio] Apud quem Cicero erat, quæstorem in Macedonia. MANUTIUS.

Aliquid] Mali. Sic enim videtur interpretandum, nisi verbum aliquod mutes. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 15

Scindam] *Scindere dolorem* est particulatim commemorando acerbiorem reddere: tralatio a plagis et vulneribus, quæ scissa et deducta magis dolent. Qua forma Lucretius lib. II. dixit, *Curas scindere animum*, quem distrahunt et exedunt. POPMA.

Illam orationem] In ipsum. Epist. 12. Placet autem, ut de Curione patre potius accipiatur, quam de filio; utpote cujus sententiam, auctoritatemque in senatu pluris Cicero deberet æstimare. Præterea, cum loquitur Cicero de filio, semper aliquid apponit, ut cum dicit, Curio adolescens, ep. 8. et 18. lib. II. Curio meus, epist. 12. lib. II. Curio filius, ep. 19. et 24. lib. II. De patre cum loquitur, nihil adscribit: ut ep. 12. et 17. lib. I. et 20. lib. III. De hac oratione in Curionem simul et Clodium mentionem faciunt Quintilianus, Nonius, Rufinianus. MAN.

Axius] Hunc opinor esse Axium, vel hujus certe filium, qui in Argenteo denario *L. Axius L. F. Naso* descriptus est. URSIN.

Expectationem Cæsaris] Habet, cur etiam a Cæsare opem expectemus. MAN.

De collegiis] Ex quatuor legibus eam nominat, quæ maxime contra ipsum pro Clodio fuit: qui, collegiorum nomine, opes, et servitia in Ciceronis perniciem conscripserat. In orationibus. IDEM.

Potui.] Oportuit, debuit. Non perfectum est autem, quia merita mea nulla erant. Tale illud ep. 9. lib. II. *Orbis hic in republica conversus est, citius omnino, quam potuit.* ID.

Responso] Cum ab eo contra Clodii iniquissimam legem auxilium petii. Quid autem ei respondit Pompeius? nihil se contra Cæsaris voluntatem posse facere. De quo ep. 4. lib. X. IDEM.

Turpissimo consilio] Abeundi in exilium: cum potius morte occumbere deberem. IDEM.

Cum Culeone] Ut Pompeii amico, ep. 16. lib. VIII. Sed video legi etiam posse, *Aculeone*, ut sit C. Visellius Varro Aculeo, qui cum esset Ciceronis consobrinus, et juris civilis disciplinam a patre Aculeone traditam teneret, (*Brut....*) de privilegio poterat respondere, et ut Cæsaris amicus, quid Cæsar cogitaret, cognoscere. Orat. de Prov. Cons. COR.

De privilegio] Lege Clodia mihi privato irrogata ita, ut privilegium possit appellari, cum leges sacratæ, et XII. tabulæ id vetent. *Orat. pro Dom.* Itaque locutus est Culeo de me agendum esse, tanquam, quod tulit Clodius, privilegium sit, non lex, et ob id me statim posse revocari: ut censuit etiam L. Cotta. *Ibid.* IDEM. *Privilegium* hoc differt a *lege*, quod hæc ad multos, illud ad unum pertinet. MAN.

Prior lex] Duas leges Clodius tulit. Prior fuit contra eos, qui cives Romanos sine judicio populi necassent; qua in lege nominatim de Cicerone scriptum nihil erat; itaque nihil eum lædebat: *Velleius* lib. 2, et *Dio* 38. Altera nominatim in Ciceronem, quoniam is cives Romanos, indicta causa, condemnasset. MAN.

In vestitu mutando] Nam, si legem laudare noluerat, negligere saltem debuit. Neutrum fecit; sed, vestitu mutato, populum rogavit, ne legem perferri sineret. Quod ei perniciosum fuit. Populum enim offendit, cum de antiquanda ea lege rogavit, in qua popularia multa de industria Clodius admiscuerat. IDEM.

Si quid ageretur] Si quid ageretis de salute mea. MAN.

Ne tangatis] Primum, quia nominatim in ea contra me nihil est: de-

inde, quia, popularem legem abrogare, aut infirmare si vultis, populus offendetur. Alteram igitur, date operam, ut abrogetis: quando et minus popularis, et nominatim contra me est: priorem ne tangite. IDEM.

Ne referri, neve dici] Primum refertur, deinde dicuntur in senatu sententiæ, rogante senatores consule, aut eo, qui senatum habet. IDEM.

Domitius] Domitius Ahenobarbus, qui hoc anno præturam gerebat, ut ex Suetonii Julio, et ex epistola lib. I. ad Q. fratrem cognovimus. IDEM.

De re] De me revocando. IDEM.

De bonis] A Clodio publicatis? quorum tamen nemo rem ullam attigit, qui non omnium judicio sceleratissimus sit habitus, *Orat. pro Dom.* CORR.

De domo] A Clodio libertati consecrata? *Ibid.* IDEM.

Cyzicum] In Asiam. Quod faciam, nisi mihi tuæ litteræ spem aliquam ostenderint. Epist. 15. et 16. MAN. De Cyzico urbe, vide supra, ep. 13.

16 CICERO ATTICO SAL.

Datarum] Quas a te, ut opinor, eo die datas, expecto. Et Kal. Sext. scripsisse Atticum putabat; quod, cum ex veteri consuetudine senatus Kalendis haberetur, statim, senatu dimisso, quid actum esset eo die de Ciceronis re, scripturus Atticus videbatur. MANUT.

Non aliud aliquid] Totum hoc abest a libro Ms. et recte, ut opinor. URSIN. Recte, cur? dictum oportuit.

Lectæ] Malim sic: *Quod cum lætæ sunt, tum id... infirmant.* Ut sit, *lætæ*, quia spem ostenderent meliorum rerum; *infirmant*, quia certi nihil afferrent: quorum alterum ad consolationem, alterum ad veritatem. IDEM.

17 CICERO ATTICO SAL.

Tristes] Nuntiabatur enim, reversum ex Asia provincia repetundarum accusatum iri. Supra, ep. 8. MAN.

Livineius] De quo Fam. XIII. 60.

M. Reguli] Reguli prænomen fuit Lucius, ut bene monuerunt docti viri. Vide F. Ursin. comment. de famil. Rom. in familia Livineia. GRÆV.

De C. Clodii filio] Accusatorem fore Q. fratris C. Clodii filium, eum, qui postea Milonem accusavit, C. Clodio, Publii fratre, natum. MAN.

Sextii] P. Sextii tribuni plebis designati, pro quo extat oratio. IDEM.

Quæstio] Publicis judiciis exercendis, quæ quæstiones dicebantur, præficiebantur quotannis prætores, qui et quæsitores inde vocabantur. Cum autem hæc Cicero scribebat, Appius Clodius designatus erat prætor, ut docet Dio, eique obtigerat, ut hinc conjicimus, quæstio de pecuniis repetundis. Itaque verebatur Cicero, ne valde periculosum esset Q. fratri causam dicere de pecuniis repetundis, quarum audierat eum postulatum iri, Appio Claudio prætore, qui erat Quinto, propter ipsum Ciceronem, inimicissimus. BOSIUS.

18 CICERO ATTICO SAL.

Auctorem] Qui referret in senatu, contempto Clodiæ legis capite, quo cautum erat ne referri liceret. MAN. Idem in Pison. *De me senatus ita decrevit, Cn. Pompeio auctore et ejus sententiæ principe.* Ex quo loco videmus ipsum Pompeium fuisse auctorem. Hoc hic promittit, se auctorem daturum, hoc est, incitaturum qui senatui persuaderet, ut Cicero restitueretur patriæ et dignitati, sive tunc ipse futurus esset auctor hujus

rei, ut fuit, sive alius, cujus opera uteretur. GRÆV.

Dixisse] Habitis comitiis, de me in senatu actum iri. Ep. 13. et 14. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 19

Ex tuo portu] Non accipio μεταφορικῶς dictum, sed revera ex portu: ut sit, ex quovis portu libenter ad salutem, ex tuo libentissime proficiscar. *Ex tuo* autem, ex quo tu solvis, cum in Italiam a tuis possessionibus redis. MANUT.

Aut, quod scripsi supra] Aut nusquam facilius hanc miserrimam vitam vel sustentabo, vel, quod melius est, abjecero. MANUT.

Quantum] Cum vitam abjecero. Sic interpretatur Mongaltus noster.

CICERO S. D. Q. CÆCILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO. 20

Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico] T. Pomponio Attico, qui a Q. Cæcilio, avunculo suo, testamento adoptatus, heresque factus, *Q. Cæcilius Q. F. Pomponianus Atticus* appellabatur, vetere prænomine omisso, nomine ita conservato, ut in *anus* desineret, cognomine eodem: ex usitata adoptionum formula. MANUTIUS.

Quod quidem ita esse] Epistolam cum præscriptione conjungit, ut ep. ult. lib. I. Fam. CORR.

Avunculum] Q. Cæcilium, de quo ep. 1. lib. I. te adoptasse et heredem fecisse. IDEM.

Per fortunas] Genus obtestationis, quod usurpamus in re misera, nec unquam sine dolore. *Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus*: in epistola ad Terentiam. *Per fortunas tuas*, dixit Cælius, *per liberos*, Cicero, *te oro, et obsecro, ne quid gravius de salute, et incolumitate tua consulas*. MANUT.

Ædibus] Ab avunculo relictis.

Proponitur, maxime tamen] Melius fortasse legetur: *proponitur maxima, tamen*. CORR. Illud *tamen* quo pertineat nemo dixerit, et plane id respuit Latinæ linguæ, imo omnium linguarum usus et ratio. Quid mihi accuratius hæc perpendenti in mentem venerit aperiam doctis hominibus: illi judicent rectene viderim, an secus, Ciceronem, nimirum scripsisse: *Ego huic spei et expectationi, quæ nobis proponitur cum maxime, volui præstolari apud te in Epiro. Cum maxime* Ciceroni est in præsenti tempore, in præsentia. Orat. de Harusp. resp. cap. 15. *Veruntamen antiqua negligimus: etiamne ea negligemus, quæ fiunt cum maxime?* GRÆVIUS.

Curionis oratione] Quia Clodius Ciceronis domum libertati consecraverat, ideo Atticus cum Curione, qui pontifex erat, sermonem habuerat de domo liberanda. MANUT.

Secus a me erga te] Responderat Atticus ad id, quod Cicero scripserat, *Mea officia et studia parum antea luxerunt*. Ep. 15. IDEM.

Tuosque omnes] Lege, *tuosque, omnesque ad nostram*, &c. MURETUS.

Rogatio Sextii] Sextius tribunus plebis designatus rogationem scripserat de Cicerone restituendo; quam deinde in magistratu ferret. Eam rogationem Atticus ad Ciceronem miserat. MANUT.

Neque dignitatis] Cum de me nominatim non ferat. IDEM.

De bonis] A Clodio publicatis. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 21

Ipsi] Integri. Locutio antiquis scriptoribus usitata. *Ego*, inquit in epistola ad Cælium, *cum Athenis decem ipsos dies fuissem*. MANUT.

Novemb.] Additur in veteri libro *Thessalonicæ*. BOSTUS. *Baluziatus*.

22 CICERO ATTICO SAL.

Piso] C. Piso Frugi, Tulliolæ vir. Ep. 2. lib. I. MANUT.

Retinet] Thessalonicæ. IDEM.

Decedere] Quæstor enim erat Plancius in Macedonia, prætore L. Appuleio. In oratione pro Plancio. IDEM.

Milites] Quos L. Piso proconsul, L. Appuleio prætori Macedoniæ successurus, præmiserat. Ab iis autem ideo timebat, quod sibi Pisonem inimicissimum cognoverat, utpote cujus in consulatu a Clodio pulsus esset. IDEM.

Dicentur] Faerni liber, *dicerentur*. Malaspina, *dicantur*. Grævius, *diceretur*.

Lentulus] Consul designatus cum Metello Nepote. Fam. lib. I. IDEM.

In illius potestate] Quia debebat Lentulo Pompeius. Vide ep. ad Lentulum, lib. I. Fam. IDEM.

Metello] Nepote, consule designato, fratre P. Clodii. IDEM.

Profectum] *Perfectum* est in antiquo, pro *profectum*. URSINUS. Scribendum esse *perfectum*, censuit etiam Muretus. GRÆV.

23 CICERO ATTICO SAL.

Januarium] Cujus mensis die primo novi coss. magistratum inituri erant.

Voluntate] A Cicerone non amplius aliena. MAN.

Ab octo] Collegis Clodii: veteres enim tribunos plebis intelligit, ut ipse paulo post declarat. IDEM.

Promulgata] De reditu Ciceronis: quæ tamen lata non est, duobus reliquis tribunis intercedentibus, P. Clodio, et Ælio Ligure. IDEM.

Utilitatis] Etiam si lex lata non sit, hæc tamen octo tribunorum promulgatio hoc attulit utilitatis, quod mox a novis tribunis majore studio in magistratu causa suscipietur: quippe cum intelligent, Clodianæ potentiæ nervos jam esse magna ex parte præcisos, quando de reditu Ciceronis promulgarint octo tribuni plebis, quorum nemo magistratus initio, promulgante Clodio legem in Ciceronem ausus erat intercedere. Hoc utilitatis putabat Atticus eam promulgationem attulisse. MANUT.

Cum hac lege] Quæ desperata erat, cum intercessissent duo tribuni plebis Clodius, et Ælius. IDEM.

A nostris] Rectius legeretur, *a novis*. Sequitur enim ἀντίθετον, *veterum*. Et, novis, pro designatis accipe. Aut *nostris*, nostram causam adjuvantibus. IDEM.

Ordinem] Senatorium: quem, qui legibus ejiciuntur, cum civitate simul amittunt. Sibi tamen ereptum lege Clodia non esse, in oratione pro Domo probat. IDEM.

Cavenda] Cavendum autem fuerat de domo, et de bonis. Quod tribuni plebis in lege omiserant. IDEM.

Tralatitium de impunitate] Quæcunque lata unquam lex fuit, in ea hoc scriptum est, ut, si quid ejus legis causa contra alias leges factum esset, id latori impune esset. Est autem, *Translatitium*, usitatum, aliunde translatum. IDEM.

A quo] Ex octo tribunis plebis quis caput hoc inculcaverit. IDEM.

Aut omnino] Lege, *aut, ut omnino* &c. BOSIUS *Baluzianus*.

Cum revera] Lege, *cum et re vera ita sit, et cum semper*, &c. IDEM.

Hoc est quod per legem Clodiam] Hæc verba a cæteris apicum varietate distinguenda, quod Ciceronis hoc glossema, quod ille de suo ad tribunariæ rogationis contextum addidit, inconsideratam tribunorum vecordiam ridens, qui menti propositoque, quod in animo habebant, repugnans caput adscripserant, quo lex Clodia in ipsa excipiebatur: qua salva manente Cicero ab exilio revocari non poterat, ac proinde ut effectum haberet rogatio, et res ad exitum

perduceretur, ei legi nominatim derogari, obrogari, abrogari, necesse erat. BRISS.

S. F.] Sine fraude, hoc est, sine damno. Quod sequitur, *E. H. L. N. R.* hoc est, *Ejus hac lege nihil rogatur.* Vide Brissonium de Formulis.

Hoc in illis] In veteribus tribunis plebis quod Clodius in sua lege posuerat, ut ei pœna esset constituta, qui promulgasset, abrogasset, derogasset; eo collegæ ipsius non tenebantur: siquidem tribuni plebis si quam quis ex collegio suo legem tulisset, ea lege soluti erant. Itaque, cum hoc tertium caput, de vitanda legis Clodiæ sanctione, qua ipsi non tenebantur, sine causa posuerint; vereor, inquit, ex octo tribunis plebis ne quis malitiose fecerit, ut deinde novi tribuni plebis cum rogationem de me ferrent, multo magis eo capite sibi utendum putarent, quo usos viderent eos, qui tamen Clodia lege non tenerentur. Neque vero necessarium videbatur, cum lex abrogaretur, ab iis sanctionibus, quæ in ea lege essent, cavere. Abrogata enim lege, sanctiones non observantur. MANUT.

Ejusmodi caput] Nemo enim sibi cavendum putavit a sanctione legis, quam abrogaret. Neque opus est: nam si esset, omnes in abroganda lege ejusmodi capite sibi caverent. IDEM.

Investiges] Investiga, inquit, ejus capitis addendi quis fuerit auctor, et quare octo tribuni plebis ad senatum de me referre non dubitarint. Si enim idcirco non dubitarunt, quod observandum illud caput non putabant, quo Clodius sanxerat, ne de me referri, neve dici liceret: iidem postea tam cauti esse voluerunt, ut caput illud, quod ad senatum referentes non observarant, in abroganda lege Clodia metuerent? IDEM.

Sive quod] Locus corruptus. Legendum putat, *si qui*, Corradus: *si enim, quod*, MANUTIUS: *sitne quod*, Bosius; *sitque observandum.* GRÆV.

Soluti cum essent] Quia lege collegii sui non tenebantur. MAN.

T. Fadio] Quam T. Fadius tribunus plebis designatus anno sequenti de Cicerone ferret. De hoc in oratione post reditum in senatu, et lib. I. ad Q. fratrem. IDEM.

Visellius] Jurisconsultus, Ciceronis consobrinus, de quo in Bruto. IDEM.

Multitudine comparata] Ut ex omni fere Italia Romam convenirent ad diem rogationis ferendæ. IDEM.

Perfringatur] Hæret hic oratio, nec est dictum de ulla re, quæ perfringi posset. Hinc Manutius et M. Brutus ediderunt, *perfringantur*, subintelligentes, ea quæ distinent. Sed contra librorum, ut puto, fidem, ex sola conjectura. In Helmstad. est *perfungatur*. Immutata una litterula scribendum: *Ut uno impetu perfungamur*. Quæ est lectio perelegans, id significans, ut uno impetu omnia removeamus quæ nunc morantur nostra vota et desideria. GRÆV.

Primorum dierum] Post initum a tribunis plebis magistratum: quod IV. id. Decembris fiebat. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 24

Vestro consensu] Consensistis, ut senatus provincias decerneret consulibus designatis Lentulo, et Metello; quam rem novi tribuni plebis usque differri volebant, dum ipsi magistratum ingrederentur: non ut senatus-consultum impedirent, sed ut non impedientes, eo quasi beneficio consules ad nostram causam adjungerent. MAN.

Ornatas] Verbum est sæpe de provinciis usurpatum ab antiquis scriptoribus. Quod ita accipio, ut cum ipsis provinciis simul decernerentur eæ res, quæ provincias administrantibus necessariæ putarentur, ut milites, pecunia, et hujusmodi. Sic *Ornare classem* in oratione pro Lege Manilia, pro instruere: ornatæ provinciæ lege curiata, quorum rectori-

bus imperium, exercitus, stipendium, legati dabantur. Sed lege curiata non omnes ibant in provincias, ideoque non omnes publico sumptu. Epist. 9. l. I. Fam. IDEM.

Videtur] *Videretur*. Bos. *Baluzian.*

Expertes consilii] Hoc enim sine eorum consilio fecistis. MAN.

Nostra concessione] Nisi enim concessum a nobis esset, ut a senatu consulares provinciæ ornarentur, dilata res a veteribus tribunis plebis ad novos devenisset. Quæ cum nostra concessione ante confecta sit, quam ingressi magistratum sui juris vi, et potestate uti potuerint, jure nobis succensent. IDEM.

Ornandis] Sic *ornare prætores*, Ep. 3. lib. II. ad Q. fr. sic *magistratus omnes*, Liv. lib. XLII. sic *decemviros*, Orat. 2. contra Rull. et quibus ornarentur rebus. Consules autem erant P. Lentulus, et Q. Metellus Nepos. CORR.

Adjungerent] Beneficio non impediendi. MANUT.

Libere facere] Quia nihil amplius a nobis expectent, cum jam sui voti compotes facti sint, provincias per senatum assecuti. IDEM.

Nihil posse] Nihil enim ipsi per se consules possent, cum penes tribunos plebis sit intercedendi potestas. ID.

Se invitis] Ipsis tribunis plebis qui causam habent, cur nobis succenseant. IDEM.

Nullo modo] Quia tribuni plebis, cum lex de provinciis consularibus ad populum ferretur, intercedere potuissent. Quo metu consules ad conciliandos sibi tribunos omnia nostra causa fecissent, si de nobis prius in senatu, quam de provinciis, ageretur. Nunc video vestro consensu factum esse, prius ut ageretur de provinciis. Ita neque jam consules tenemus: quibus, nulla nunc necessitate obstrictis, liberum est, quidquid volunt: et tribunos plebis, cum jure succensere possint, vereor, ne amiserimus. MANUT.

Nihil decernere] Nam quacunque de re coss. verbum facere coeperunt, aut referre ad senatum, cunctus ordo reclamat. Ostenditque nihil eos esse acturos, nisi prius de me referant. *Orat. in Pis. post red. in senat. et pro Sext.* CORR.

Præsertim in ea causa] De ornandis provinciis. IDEM.

Nihil jam possit non decerni] Jam nihil erit, quod nostræ causæ non anteponatur. MANUT.

Ad quos relatum est] Quos hac de re consultos a nobis esse scribis. ID.

Simultatem humanissime deponeret] In tribunatu susceptam, ep. 2. lib. V. Fam. Deposuit autem eam in templo Jovis, permotus cum senatus auctoritate, tum P. Servilii gravitate dicendi. *Orat. de Provinc. Cons.* in *Pis. et post red. in Senat.* CORR.

Ne hos tamen] Legendum, *ne hos cum tenere potuerimus*, &c. MURET.

26 CICERO ATTICO SAL.

De me] In patriam revocando. MAN.

Legum] In eo enim senatus-consulto scriptum erat, non solum ut lex de Cicerone, sed ut aliæ, item leges aliis de rebus eodem tempore ferrentur. IDEM.

Si obtrectabitur] Si quis tribunus plebis legum lationem impediet. ID.

Auctoritate senatus] In patriam redibo; etiam si mihi ob eam rem dimicatio cum inimicis impendeat. Legis tamen lationem expectavit: rediit enim non ante pridie nonas Sext. IDEM. *Uti auctoritate senatus* dicebantur, qui rem suscipiebant senatui probatam et placitam; etsi de ea, ob intercessionem tribunorum et alia impedimenta, senatus-consultum solenne fieri, et legitimum non potuisset: contempto periculo, quod propterea metuendum esset. Livius, IV. 57, ubi videndus Sigonius. J. F. GRON.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER IV.

CICERO ATTICO SAL. 1

Eundemque te] Qui non satis diligens in meæ salutis custodia fuisses, primisque temporibus, potius, ut in exilium abirem, quam civilem seditionem excitarem, cohortatus esses, quod id mihi ducenes præstare, eodem scilicet, quo ego, errore inductus, idem tamen postea nostrum discidium acerbissime ferens, ad reditum mihi omnia tua studia contulisti. MANUT.

Timoris] Victor. Manut. Lamb. *rumoris.* Scilicet, brevi me redituruum: qui per sexdecim menses exilium pertuli.

Magis, quam optaramus] Neque enim optandum putabamus, quod sperandum non videretur. MAN.

Inscribam] In his litteris. Sic Horatius, *Inscribam nomen in actis.* ID. Legendum, *scribam.* MURETUS.

Brundusinæ coloniæ] Dies erat idem, quo et Brundusium deducta colonia fuerat, et Salutis ædes in Quirinali colle dedicata. Quam ideo vocat Attici vicinam, quod in eodem colle et Salutis templum erat, et Atticus habitabat. Patet ex libello P. Victoris de regionibus urbis Romæ, et ex Nepote in Attici vita. MAN. Vide *Orat. pro Sext.* 63.

Comitiis centuriatis] Comitia centuriata erant, cum populus non fuisset in tribus convocatus, sed censu, ordinibus, ætatibus descriptus, suffragium, nec nisi singulis de rebus, ferebat: ideo centuriatis comitiis consules creabantur, et Cicero ab exilio revocatus. IDEM.

Id ipsum] Hoc videlicet, mihi eos esse inimicos. IDEM.

Ad theatrum] Pædiani verba sunt in Miloniana: *L. Cæcilius Rufus prætor fuit Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote cos., quo anno Cicero restitutus est. Is cum faceret ludos Apollinares, ita infima coacta multitudo annonæ caritate tumultuata est, ut omnes, qui in theatro spectandi gratia consederant, pellerentur.* MAN.

Frumenti inopiam] Vide lib. II. ad Q. Fratr. ep. 3.

Meo nomine recitando] Cum meum nomen recitaretur. Post senatusconsultum, ejus nomen recitabatur, cujus in sententiam factum esset. ID.

Habui concionem] Videtur esse oratio, quæ extat, post reditum ad Quirites. Quod si ita est, præposterе factum ab iis, qui eam ante orationem in senatu habitam collocarunt: cum pateat ex hac epistola, post fuisse collocandam. IDEM. Non illam orationem, quæ extat, post reditum ad Quirites, sed diversam. Hæc enim habita est de caritate frumenti: in illa de ea re tenuis est mentio, et ea, quæ ostendat potius vilitatem fuisse: et verisimile videtur, Ciceronem, si minus antequam senatui gratias ageret, certe non post aliquot dies illam habuisse, sed statim, cum senatui gratias egisset: ut alias conjecturas mittam. CORR.

Dederunt] Concionem. Nam concionari privato non licebat, nisi magistratus curulis, aut tribunus plebis concionem daret. Prætorem autem, qui concionem non dedit, intellige Ap. Clodium, P. Clodii fratrem: tribunos plebis Sex. Atilium Serranum, et Numerium Quintium, de quibus in oratione pro Sextio, et Pædianus in Pisonem. MANUT.

Consules] P. Lentulus, Q. Metellus Nep.

Messius] Tribunus plebis, de quo Post redit. in senatu, cap. 8.

Illa nostra lex] Conscripta ex senatus-consulto in nostram sententiam facto. CORR.

Illam velle se dicit] Ut modestus videatur, sed dicit tantum, et per familiares alteram quærit, ut ep. 1. lib. I. Fam. atque id ipsum more suo, ep. 9. b. l. IDEM.

Favonio] Qui tamen consularis non erat. Sed summa libertate utens, acerrime, quæ minus probaret, oppugnabat. MAN.

Si sustulerint religionem] Si decreverint, quam partem areæ Clodius Libertati dedicavit, eam partem, sublata religione, restitui mihi posse; aream, in qua exædificamus, amplissimam habebimus. Consules autem vel æstimabunt, quod, super solum antea ædificatum, dirutum a Clodio est; vel, si id minus, quod nunc est demolientur, ipsi curam suscipient extruendæ mihi domus, qualis antea fuerat. IDEM.

Rem totam] Non separatim domum: sed quæcunque amisimus, omnia simul una æstimatione complectentur. Singula tamen per se æstimata, proxima insequens epistola ostendit. IDEM.

Quædam domestica] De uxore accipiendum. Nam et in epistola sequenti, *Amamur*, inquit, *a fratre, et a filia*. Uxorem non nominat: quasi quiddam esset, cur ab ea se non æque, atque a fratre, et filia, intelligeret amari. IDEM.

2 CICERO ATTICO SAL.

Non modo negligentiæ] Victorius alteram negationem addidit hoc exemplo, *non modo non negligentiæ meæ*. Quo pacto legitur in plerisque libris excusis. Sed liquido jurare possum ab omnibus meis antiquis abesse alterum *non*. Et sane quandoque cum apud alios veteres auctores Latinos, tum apud hunc nostrum, *non modo*, scriptum reperias in bonis exemplaribus, pro, *non modo non;* ut ep. 5. lib. XIV: *qui orbis terræ custodiis non modo septi, sed etiam vagi esse debebant* Bosius. Vide Muretum Var. Lect. X. cap. 7.

Dolor et magnitudo] Sic ediderunt Victorius, et Bosius: sed Man. et Lamb. *doloris magnitudo*. Gulielmus vero conjiciebat, *dolor, et rei magnitudo*.

Deberi non potest] Edenda est, quia flagitari a juventute video. MAN. Vide Tuscul. II. 27.

Eam partem areæ] Ut ea pars intelligatur, in qua Clodius Libertatis atrium ædificasset. Neque enim totam domum, sed eam partem solum, quæ cum Catuli porticu juncta erat, dedicaverat; reliquam everterat. MANUT.

Ille] P. Clodius. IDEM.

Appius] Illius frater, prætor.

Suam libertatem] Atrium Libertatis, a se extructum, dirui ne patiantur. MANUT.

Illuc] Ad aream. IDEM.

Porticum Catuli] Quam in domo M. Fulvii Flacci eversa de Cimbricis manubiis a Q. Lutatio Catulo factam, P. Clodius cum Ciceronis domo everterat. *Pro Domo sua. Valerius* VI. 3. IDEM.

Qui erant senatores] Iis enim, qui senatores non erant, ingredi senatum non licebat. Et pontificum collegium apparet non fuisse totum ordinis senatorii; cum pontificiam dignitatem, etiam qui senator non esset, consequi posset: ut in oratione *de Harusp. resp.* IDEM.

Marcellinus] Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, ordinis patricii, consul designatus cum L. Marcio Philippo, qui Cæsaris Augusti vitricus fuit. IDEM.

Quæsivit, quid essent in decernendo secuti] Pulchra dicendi ratio, planeque sæculi illius aurei, finem significans. *Quæsivit*, inquit, *quid essent in decernendo secuti:* hoc est, qui sensus, quod consilium, quæ cogitatio fuerit illorum, cum dixerunt, videri

sine religione partem areæ posse restitui. Videri enim poterant nonnullis, judicasse restitui oportere. Itaque Lucullus ad ea: pontifices de religione, quod sui fuit officii statuisse: nempe aream, omni religione liberam esse: de lege Clodii constituere, ad senatum pertinere. MALASP.

Lucullus] M. Licinius Lucullus pontifex, consularis, et triumphalis. MANUT.

Diem consumere] Ne senatus-consultum fieret. Licebat enim senatori, et quamdiu vellet, et qua de re vellet, dicere. Gellius lib. IV. cap. 10. ID.

Præter] Præter ipsum Clodium. IDEM.

Serranus] Sex. Atilius Serranus, tribunus plebis. IDEM.

Referre] Esset intercessio a republica, necne. Cum enim non esse, statuitur: agit senatus cum eo, qui intercessit, ut tollatur intercessio. ID.

Si quæ vis] Quo minus posset Ciceronis domus, Catulique porticus restitui. MAN.

Cornicinus ad suam veterem fabulam rediit] Cn. Oppium significat. Nam Cornicen Oppiorum cognomen fuit: ut apud Livium lib. III. *Ad veterem* autem *fabulam* ideo dicit, quod etiam antea idem Oppius hunc ipsum generum suum, Kalendis Januariis quo die P. Lentulus cos. retulit de restitutione Ciceronis, intercedentem suppliciter rogarat, ut desisteret: quod tamen non impetravit; idque omnino causæ fuit, serius ut Cicero restitueretur. In oratione *post reditum ad Quirites*, et *pro Sextio*. IDEM.

Kal. Jan.] Quo die, Lentulo referente, Serranus idem intercesserat: et tanquam soceri precibus commotus, cum ad deliberandum tum quoque noctem postulasset, postea tamen intercessionem non omisit. IDEM.

Sibi] Serrano. Et *sibi*, pro *illi*. ID.

Illam porticum] Quæ illa sit, nescio. Libertas non habebat porticum, sed legendum puto pro *porticum*, πόρτιν, vel πορτίδιον. Quam enim pro statua Libertatis Deæ ibi posuerat Clodius, ea fuerat imago Tanagreæ meretricis. *Pro Domo*, cap. 43. J. F. GRONOVIUS.

Petere posse] Ego, inquit, in quindecim legatis, quos Pompeius postulavit rei frumentariæ causa, me legari sum passus, ut mihi sit integrum aut petere censuram, si Marcellinus et Philippus coss. designati in proximum annum comitia censorum habebunt, aut suscipere votivam legationem et liberam voti solvendi causa ad omnia fana et lucos. POPMA.

Votivam] Genus liberæ legationis. Vide legem Juliam *de legationibus liberis*, in limine Tomi IV.

Proscripsi] Hoc non reficio, ut Formianum, sed venditurus proscripsi. Proscribit enim domum, aut fundum, aut quidvis hujusmodi, qui divulgato scripto se esse venditurum significat. Hinc proscripti, quorum nomina in tabula palam constituta legebantur, ut ad cædem quærerentur, præmio percussori promisso. MAN.

In ea re] In exilio meo, cum me sua pecunia sustentarunt. Itaque nunc ab iisdem mutuari non licet. IDEM.

Quod sensisti tu absens, præsentes] Fortasse, *Absens præsensque*. MAL. Nihil muto. Sumendum enim. ἀντὶ κοινοῦ, *senserunt*. Nam supra scripserat, *quod sensisti tu absens*. BOSIUS. Lambinus divinabat: *præsentes senserunt*. Sed vere monuit Manutius hunc locum esse mendosum. Nihil autem succurrit nunc melius quam quod conjecit Malaspina. GRÆV.

Copiis] Alibi *copiæ* pro divitiis, aut pro exercitu: hic totum intelligitur, quantumcunque possumus sive auctoritate, sive gratia. MAN.

Meos defensores] Eos, qui, cum me absentem defendissent, et ab exilio revocassent, reverso deinde invidere cœperunt; neque in iis rebus, quæ mihi erant propter rei familiaris naufragia necessariæ, eam voluntatem, quam expectaram, præstiterunt. *Famil.* I. 9. IDEM.

Laboratur] Quod in proxima epistola dixit, *In re familiari valde sumus*

perturbati. Et in hac ipsa, *Domesticarum rerum consilia valde impedita.* Ut eandem sententiam varie ter exprimat. IDEM.

Secretiora] Secretiora.

A fratre, et a filia] Non igitur ab uxore, ut ep. sup. et hic videtur significare. CORRAD.

3 CICERO ATTICO SAL.

Expulsi] A Clodianis. MAN.

Domus] Quæ erat juncta cum domo Ciceronis et muro tantum discreta. Ideo Clodiani facile poterant lapides ex area Marci conjicere in domum Quinti. Ep. 4. lib. II. POP.

Vehemens] Lego, *demens.* MUR.

Nolebat] Cum lex de reditu Ciceronis lata fuisset, ipseque P. Clodius, studium populi erga illum vidisset; ut comitia impediret, cum gladiatoribus, quos C. frater in ludos funebres comparaverat, impressionem fecit; multosque tum vulneribus, tum cæde multavit. Hujus rei causa, de vi postulatus a Milone; ne judicium fieret, omni ope contendebat, ut comitia ædilitia, quorum ipse candidatus erat, ante haberentur, sperans, se, si ædilis fieret, ut factus fuit, judicium evasurum. Etsi enim nomen ipsius delatum fuerat, judices tamen sortiti nondum erant. Et Metellus consul, qui Clodio studebat, prætori inhibuerat, ne quod ante sortitionem illam judicium faceret, comitiaque haberi volebat: quæ Milo, quo judicium fieret, obnuntiationibus eximebat. Idque est, quod hac epistola scribitur. Historia est apud Dionem, lib. XXXIX. MALASP.

Difficilem] Ad defendendum. COR.

Sed tamen causam] Erat tamen aliquis quasi angulus excusationis, quo confugeret, cum posset infitiari a se factum, posset in alios culpam rejicere, &c. MAN.

Decimum] Decimus et Gellius asseclæ Clodii, homines turpes et infames: de illo meminit *Pro domo;* de hoc *Pro Sextio, In Vatinium,* &c. POPMA.

Designatorem] Curatoris nomen: unde Horatius, lib. I. ep. 2. *Designatorem decorat lictoribus atris.* MAN.

Tertii Damionis] Quis fuerit, nesciunt interpretes; et nescire nobis liceat.

Diæta] Ab ægrotantibus sumpta translatio. Sensus est: institui me tueri contra meos inimicos moderatione quadam, qua utens, spero fore ut huic malo dies quotidie magis medeatur, sicuti solet diæta non recte se habentibus. Ferro ut res agatur, minime volo. MAN.

Acidinos] L. Catilina, et C. Manlius Acidinus, adversus patriam arma tulerunt. Sallustius, et Cicero. Acidinus autem, Manliorum cognomen fuisse, cognoscitur ex lib. II. de Orat. Velleio, et Fastis. IDEM. Sed in Catilinariis plerique non *Manlium,* sed *Mallium* legunt. Itaque *Acidinos* hic alii dictum putant de Manlio illo, qui, cum regnum appeteret, de Saxo Tarpeio fuit præcipitatus.

Germalo] Qui Romæ mons fuit. MANUT.

Anniana] Domo Miloni a se C. Annio avo materno cum reliqua hereditate relicta. Ascon. in orat. pro Mil. CORRAD.

Viros] *Eduxit viros,* et *vocitat homines,* non sine artificio dixit, ut, cujusmodi fuerint utriusque copiæ, ex nominibus appareat. MAN.

In interiorem] Alii, *in interiora:* alii, *in interiorem partem.* Aperta sententia. Clodius cum a Q. Flacco peteretur, se in interiorem partem ædium abdidit, aut proripuit: Sylla postridie Idus in senatu questus est de vi, quod Clodius domum ipsius occupasset, Clodius ipse domi se continuit. POPMA.

Egregius] Marcellinus cos. designatus se virum egregium præbuit adversus Clodium; omnes etiam senatores acres in illum fuerunt. IDEM.

Calumnia] Cum astutia uteretur, multaque malitiosus injiceret, ut di-

cendi tempus eximeret, ne senatusconsultum contra Clodium fieri posset. MAN.

Oppio] Potius crederem legendum, *Appio:* qui erat in senatu; et frater Clodii, ut adjuvare vellet; et prætor, ut facile posset. MAN.

Familiari tuo] Hortensium notat, qui valde fuit familiaris Attico, ut refert Cornelius Nepos in vita Attici. *Constantiam* autem scripsit εἰρωνικῶς, cum ejus levitatem argueret: queritur enim alio loco se summa simulatione amoris insidiosissime tractatum fuisse ab illo. BOSIUS.

Constantia, virtute] Sine copula, usitate, ut hic ep. 9. lib. XI. et Fam. ep. 24. et 28. lib. XIII. MAN. Faernus vocem *virtute* mutabat in *viri tuæ*, legebatque translata interpunctione, *de cujus constantia viri, tuæ verissimæ litteræ*. Pantagathus autem pro *virtute* corrigebat *nutante*, et *Sextius* nomen mutabat in vocem *fratris:* atque in totum locum legebat: *De cujus constantia nutante verissimæ litteræ fratris. Furere ille postea.* URS.

Furere] Homo iracundus; quem etiam notat morositatis vitio in epist. quadam ad Q. fratrem. Et, *furere*, quod a Metello diem eximi videret. MANUT.

Ille] P. Clodius. IDEM.

Sua] Quibus ædilitatem petiturus erat, cum candidatus esset. IDEM.

Judicio] Quod de vi Clodiana constituendum esset. CORRAD.

Comitiis anteferret] Cum diceret judicium de vi prius esse faciendum, quam comitia haberentur: quod tamen factum non est: itaque Clodius judicium effugit, comitiis creatus ædilis. MAN.

Publii] Clodii.

Hæc tamen summa] Tamen, inquit, Metellus consul, neglecta illa futuri per comitiales dies auspicii proscriptione, comitia habuisset, nisi Milo in campum ipsum cum magna manu, ut, si opus esset, vim vi repelleret, profectus obnuntiasset. Laudat igitur Milonem magis etiam, quam Sextium. Nam ille tantum proscripserat, se de cælo servaturum; Milo autem ad religionem auspicii, quam spernì videbat, fortitudinem adjunxit. MAN.

Campum] *Campo* est in antiquo. URSIN. *In campum*, me quidem non offendit; cum etiam verbo, *nuntiare*, quandoque veteres eadem ratione uterentur et in loco, et ad locum; ut, *ponere in gratia*, et *in gratiam; esse in potestate*, et *in potestatem*. Quod Gellius observavit lib. I. cap. 7. Sic, *Nuntiatum Romam esse*, dicit Cicero in ep. ad D. Brutum, *Nuntiatur domum*, in Verrem, et Plautus in Truc. *Magna mentias ad me gaudia*. MAN.

Delectas] Ita Victorius, et Bosius: sed alii, *dejectas*, vel *deletas*.

Contentio] Ut contra omnes fere suscepta; et suscepta, ut Clodius judicium effugeret: quo nihil in libera civitate turpius esse potest. CORRAD.

Fratrum trium] Metellus Appio, et Publio Clodiis frater erat patruelis. MAN.

Furtim] Ut Milonem falleret, cui dixerat se in comitio fore; putans, ante se comitia in campo habiturum, quam Milo posset obnuntiare. ID.

Marcellus candidatus] Ædilitius; qui tamen stertens parum laborare de comitiis videbatur. Hunc autem C. Marcellum potius, quam M. puto fuisse. Nam Marcus, qui consul fuit cum Ser. Sulpicio quadriennio post, ædilis esse non potuit Marcellino, et Philippo coss. cum ædilitas a consulatu quinquennio distet; ut in libro de magistratibus ostendemus. IDEM.

Pauci] Hic mendæ suspicio. Victorium sequimur. Gruterus ex Bosio, *paucis pannosis linea laterna*. Vide an non magis apposite ad hunc locum scribatur: *Paucis pannosis una laterna*. Quod et vilitatem et paucitatem hominum ostendit. GRÆV.

Heroe] Milone. Ut ep. 14. l. I. CORRAD.

Casum] Exilii calamitatem: in quam incidi, quia pessimos cives occideram. MAN.

Inerti nobili] Notat eos, quos a se defendendo metus averterat. Fam. lib. I. ep. 9. IDEM.

Respondemus] Sensus est, se quæ Q. fr. in eum contulerit reddere velle pro sua copia, ne et ipse frater egeat, et in hoc uti subsidiis amicorum, hoc est, mutuam petere ab amicis pecuniam, quam det fratri, quamvis eam recuset. *Respondere* dicuntur eleganter debitores, qui ad diem solvunt. Vide Gronov. lib. II. Observat. cap. 4. GRÆV.

4 CICERO ATTICO SAL.

Cincius] Qui Romæ Attici negotia curabat. MAN.

Perbelle feceris] Hic videtur esse principium alterius epistolæ. Nam Cicero prima epistola Romæ, extrema ruri videtur esse, et Atticus contra: nisi Romæ domi suæ velit esse, quamvis absit ipse. CORRAD. Cicero tum erat Antii. Manutius itaque hoc ipsum, *apud me*, sic interpretatur: *Domi meæ cœnato, etiamsi ego absim.* Sed facit cum Corrado Mongaltus noster, cui lubens assentior.

Designationem] Ordinem, quo bibliotheca mea disponatur. MAN.

Tyrannionis] Grammatici. Vide ep. 4. lib. II. ad Q. fratrem. IDEM.

Glutinatoribus] Glutinatoribus non solum utebantur ad voluminum terga exornanda, sed ad chartas membranasve conglutinandas ut in longum possent extendi. In volumine enim chartaceo chartæ chartis adtexebantur in longitudinem, ut volvi possent in rutulum. In codicibus plures tabellæ ac paginæ, cujuscunque essent materiæ, aliæ aliis superstruebantur, eaque massa paginarum, quæ quin glutine quoque fuerint compactæ non est dubitandum, dicebatur codex, cujus forma eadem fuit quæ nostrorum librorum, qui ex nostrate charta compinguntur. SALMASIUS, de Usurarum modo, cap. 10. quem vide pluribus de hac re disputantem.

Συλλάβους] Legendum est, σιλλύβους. Membranulæ enim quibus indices librorum inscribebantur, σίλλυβοι sunt dicti. Hesych. Σίλλυβοι, ἀκάνθιον, ἀδρὸν καὶ ἰδιωτικόν τι καὶ τὸ τῶν βιβλίων δέρμα. Dicuntur aliter πιττάκια, illi indices, sive membranæ, quibus inscribebantur nomina auctorum, et quæ voluminibus adglutinabantur. Σίλλυβοι et σίλλυβα sunt etiam pelles, quas oræ vestium adsuebant, ut ex Polluce, Hesychio et Eustathio docuit Salmasius ad historiam Augustam. Sicut autem pelles oris vestium adsuebantur, sic etiam pelliculæ, seu membranulæ cum nominibus scriptorum et operum affigebantur tergis voluminum et codicum. Hinc etiam dicit in epistola sequente et 8, bibliothecam suam talibus sillybis illustratam et pictam fuisse ab his librariis. Nam et in illis sic legendum est, non *sitibys*, (aut *syllabis*) ut libri præ se ferunt. GRÆV.

Piliam] Piliam nondum Atticus duxerat uxorem. Nuptias enim celebravit pridie Id. Febr. ut est in epist. 3. lib. II. ad Q. fratrem. Hæc autem scripta III. Kal. Febr. Accipiamus igitur sic, nuptias quidem nondum celebratas, sed desponsatam tamen fuisse. MAN. Si potes adducere, si tibi concedunt parentes, ut eam adducas, quam nondum duxeris. COR.

Locum] Puto vocem, *locum*, vitiose Latinis litteris scribi, cum Græca sit, λόχον: quo nomine significatur globus sedecim militum, ut tradit Ælianus περὶ τάξεων: quasi innuat Cicero Atticum emisse octo paria gladiatorum, qui mirifice pugnarent. BOSIUS. Non video cur gladiatores emerit Atticus, qui cum honores populi non affectaret, nec delinire populum muneribus necesse habuit. *Locum* igitur intelligo ad spectandum gladiatoribus. Cum autem proximis diebus a nescio quo muneratore dati essent gladiatores eximii, qui magno concursu et voluptate hominum spectarentur, scribit Attico Cicero, si locum illum locare voluisset, potuisse ex locario tantum reficere, quantum pro eo adhuc debeat. J. F. GRONOV. Censeo locum emisse, in quo exercerentur

gladiatores: Atticum et ante habuisse gladiatores, quos per lanistas exercuerat, non tam ut ipse munus ederet, quam ut aut illis locandis, aut vendendis, rem faceret, cui tuendæ augendæque semper studuit. Vide vitam ejus a C. Nepote scriptam. GRÆVIUS.

His] Proximis, quibus populo munus gladiatorium datum est. MAN.

Liberasses] Tanti locasses, quanti emeras. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 5

Urgebar ab eo] A Cæsare, ad quem ut se cum eo conjungeret, librum vel epistolam miserat; in quo ipsius acta laudabat, quæ antea vituperaverat. POPMA.

Circumrodo] Paulatim quasi molior. Μεταφορὰ, a canibus, qui circumrodunt, quod postea devorant. CORRADUS.

Παλινῳδία] Recantatio, qua quos adhuc laudavi, vituperarem, et contra. IDEM.

In istis] Intelligit maxime Bibulum, Catonem, Domitium, Curionem, Cæsaris inimicos. MAN.

Cum iis in republica consentirem] Post reditum, ut ante consenseram. CORRAD.

Non etiam ut scriberem] Monuisti tu quidem, ut ea facerem, quæ Cæsaris animum non offenderent; atque etiam quæ delectarent; non tamen, ut etiam scriptis eum laudarem: quod ego nunc, a te non admonitus, mea sponte feci. MAN.

Modici fuimus ἐνῳδίου] Modice laudavimus: uberem ἐνῴδιον non cepimus, sed ejusmodi, ut modice laudaremus. IDEM.

Ἐνῳδίου] Argumento.

Villam] Ægre ferunt, inquit, atque indignum putant, me hominem Arpinatem quidem, sed tamen consularem, nobilissimi viri Catuli villam habere: nec cogitant Vettii fuisse hominis mancipis ac publicani, de quo ego emerim. MAL.

Sed quid ad hoc?] Quanquam ea quæ modo narravi de villa et domo, satis superque indicant illorum malum in me animum, exigua tamen sunt, et prope contemnenda præ ea re quam mox referam. Quia enim a Pompeio aliquando dissentiebam in dicenda in senatu sententia, quo fiebat ut is mihi quodammodo infensus esset, quamvis illi non probarent quæ a Pompeio dicerentur, sed contra mecum sentirent, tamen lætabantur me ea de causa incurrere in odium Pompeii. Quæ lætitia non aliunde proficiscebatur, quam ex malo, et invido illorum animo. Præpositio, *ad*, hic comparationem significat, ut apud Terentium Eunucho, *estne ut fertur forma?* P. *sane.* CH. *at nihil ad nostram hanc:* id est, præ nostra hac. BOSIUS.

Invisis] Quid si, *Invises?* ut sit, Te invisurum scribis cum eris Romæ. Nam certe nondum Atticus Romam pervenerat. Quod illud declarat proximo subscriptum: *Tu de via recta in hortos.* MAN.

Viaticum Crassipes præripit] Cicero post mortem L. Pisonis, cognomento Frugi, Tulliolam Furio Crassipedi, Marcellino, et Philippo coss. collocavit. Ei pro dote pecunia erat numeranda: ut Ciceroni ad votivam legationem, de qua obeunda cogitabat, viaticum præriperetur. Nam, quod villas invisere vellet; quoniam id paucorum dierum viaticum futurum erat, ut in ep. 4. lib. II. ad fratrem, ideo potius accipiendum videtur de viatico legationis, quo quidem opus esset haud paulo majore in multorum mensium peregrinationem. ID.

Videtur] Distingue sic: *Tu de via recta in hortos. Videtur commodius ad te. Postridie scilicet. Quid enim tua?* Explana sic: Commodius domum tuam pergere. Id scilicet postridie facies. Quid enim tantum in uno die? quid tua, citius serius uno die? MANUT. Omnino aliter Mongaltus, *Tu, Attice, in hortos Crassipedis veni,*

Id mihi quidem erit commodius: Quid enim tua? Postridie ad te ibimus. Sed viderimus. Atticus scilicet Romæ tunc erat: Cicero Antii, unde mox rediturus; et ante in hortos Crassipedis, quam in urbem. Hæc ille.

Pinxerunt constructione, et sittybis] Id est, in re utraque artificiose variaverunt et ornaverunt eam: tum in pegmatis, ubi est loculorum librariorum constructio; tum in libris ipsis, quorum sittybas curaverunt elegantissime. Sunt enim *sittybæ*, scortea librorum integumenta, et vestes e corio ἀπὸ τῶν σίττων, a capris, (quarum adhibebantur pelles) antiquo nomine facto, quo caprarii in pecudibus agendis utebantur. JUNIUS.

Sittybus] Legendum *sillybis* ostendi ad ep. 4. hujus libri. GRÆV.

6 CICERO ATTICO SAL.

Lentulo] L. Lentulo, flamine Martiale, de quo ep. 24. lib. II. et de Haruspicum resp. MAN.

Non ut Saufeius et vestri] Non ideo vicem ipsius minime dolemus, quia Saufeium, et reliquos Epicureos sequamur, qui nihil dolere soliti sunt, nisi quod ad ipsos pertinet, aliena non curant; sed mehercule, quia minime dolendum ejus interitu videtur, qui tanquam deorum beneficio, cum patria civilibus discordiis arderet, ex ejus incendio videatur esse ereptus. *Saufeius et vestri;* quia et Saufeius, et Atticus Epicurei. IDEM.

Πολιτικὸς] Reip. deditus.

Proprium servitutem] Servi omnes videmur: ita nobis erepta libertas est vitio civium improborum; in hac servitute, quæ communis omnibus est, tu quoque vivis; ego autem habeo propriam, et præcipuam, qualem præterea nemo habet. IDEM.

Communi frueris nomine] Non propriam, sed communem servis servitutem. Hoc videtur significare: sed, verba num vacent mendo, haud satis scio. MAN.

Nequicquam] Frustra, inquit, libeat in otium secedere, ut non ingratus videar erga eos, quorum studio, et opera evocatus sum ab exilio. Nam ii meo aliquo publico munere, et officio sibi volunt satisfieri. Itaque ut ingrati animi vitium effugiam, vel eorum gratia, versandum mihi est in republica. BOSIUS.

Immo etiam in bellum] Legendum cum interrogatione. Et repetendum ἀνὶ ναοῦ, *si libeat*, et extrinsecus assumendum verbum, *sequi*, aut *comitari*, quod assectatoris est. Quid, si libeat, inquit, Pompeium et Cæsarem sequi etiam in bellum, et in castra? Huic vero interrogationi ita respondet, quasi turpe existimet eum, hoc est, se, qui dux esse noluerit, alios in militia assectari. IDEM.

Ὀπαδοὶ] Asseclæ. Ταγοὶ, duces.

Reliqui est] Subintellige, Hoc quod dicam, ut *quam Spartam nactus sum, ornem:* id est, ut quando me cum Cæsare, et Pompeio conjunxi, ornem eos, et tuear, quibus rebus possim. Hoc quidem reliquum est: sed ego, ut faciam, a me impetrare non possum: ægre enim adducor, ut a republica desciscam, cujus illi rationibus privatas opes anteponunt. MAN.

Philoxeno] Qui, Dionysii tyranni versus quia libere improbabat, in carcerem Lautumias conjectus est: deinde eductus, cum idem Dionysius alios item versus ei legendos tradidisset, opinatus fore, ut metu carceris probaret; sententiam non mutavit, sed, versibus lectis, demisso capite, ultro ad Lautumias tacitus iter convertit. Cumque Dionysius ad abeuntem clamasset, Quo, Philoxene? Ad Lautumias, inquit: ut intelligeret tyrannus, ab eo versus non probari. Diodorus Siculus, Stobæus, Lucianus, Athenæus lib. I. et interpres Aristophanis, in Pluto. IDEM.

Veruntamen] Hæc dictio non semper habet adversandi vim, sed interdum concludendi, ut hoc loco, quasi dicat: Sed, ne longior sim, ne te multis teneam, ut indicem tibi animum

mecum, ego nunc mecum ipse rationem quæro, qua ista improbem. ID.

Ista] Istorum acta, quæ ad tyrannidem spectant. Et dixit, *commentor*, quia rationem quæreret, qua, neque se illa probare ostenderet, et Cæsarem tamen, ac Pompeium haud magnopere offenderet. Quæ autem erat hæc ratio? vel ut scriberet de optima republica, quod fecit paulo post; quibus in libris, quod esse debeat optimi civis officium, cum ostenderet, satis indicabat, acta se Cæsaris, et Pompeii non probare: vel ut ab urbe abesset; ut absentiæ suæ causam esse constaret, quod ea, quæ tum agerentur, non probaret. IDEM.

Improbem] Quæ sit Ciceronis sententia, declarat ea quæ proxime antecedit, Manutii annotatio. Sed voluerat legi Malaspina, *probem*: quod recepit Lambinus, ac tuetur J. F. Gronovius. Videant Critici.

Fulmen] Quibus, ut fulmine, sum ictus, quia Lentuli obitum, aut certe desperatam salutem significarent. MANUT.

Ferrei] Manifesto comprehenditur, hic *servi*, non *ferrei* legendum esse. VICTOR. Quamvis receperint emendationem Victorii Manutius et M. Brutus, hanc tamen ipse Victorius non ausus fuit recipere. GRÆV.

Illa Hortensiana] Videtur intelligere Hortensium librum de philosophia, quem postea scripsit. MANUT.

Incipiendo] Cum jam aggressus essem scribere illa Hortensiana, revocavi me, et, quod institueram, abjeci; ne, cum videar injuriam Hortensii, quæ tamen non gravissima fuerat, parum sapienter tulisse, rursus in eodem illustrando parum sapiens haberi possim. Neque enim sapientis est, cui antea maxime succensueris, eumdem paulo post maxime laudare. ID.

Quod videor] Videbatur Cicero stulte fecisse, quod in quadam causa tacite non tulerat intemperiem Hortensii, sed ei objecerat injuriam sibi immerito illatam. BOSIUS.

Βαθύτης *mea*] Βαθύτητα vocat taciturnitatem, et occultum aliqua de re animi sensum, sumpta translatione a puteis, et aliis locis altis, in quibus demersa ita latent, ut nemini appareant. IDEM. Βαθύτης non est taciturnitas; sed singularis quædam prudentia intelligitur. Sallustio, *altitudo ingenii* vocatur, ut docet Turneb. III. 15. Βάθος διανοίας Themistio, Quintil. declam. *profunda mentis consilia*. Polyb. βαθύτης τῆς ψυχῆς. Nec multo aliter *altitudo animi*. Cic. sic et ep. 10. lib. V. *Itaque admirabere meam βαθύτητα, cum salvi redierimus*. Aliter tamen VI. ep. 1. *Quod meam βαθύτητα in Appio tibi, libertatem etiam in Bruto probo, vehementer gaudeo*. Is. CAS. Vide Fr. Odinum in Offic. I. 25. Tomo nostro III. *pag.* 292. *not.* 91. [*Edit. Olivet.*]

Oculatior] Castigavi, *oculatior*, auctore Decurtato, cum antea legeretur, *occultior*, repugnante sententia. Oculatus hic qui omnium oculis patet, quo significatu Plinius locum oculatissimum vocavit. BOSIUS.

Lucceio] Fam. lib. V. epist. 12.

CICERO ATTICO SAL. 7

Εὐκαιρότερον] Opportunius.

De Quinto] Q. fratris filio. CORRAD.

De Apollonio] P. Crassi, ut arbitror, liberto. Ep. 16. lib. XIII. Fam. ID.

Qui illi Dii] Formula male precandi, in qua omittitur verbum *sint*, et *qui* ponitur pro *utinam*, ut in omni imprecatione dixit Terentius Phorm. *Qui illum Dii omnes perduint*. Plautus Trinummo, *Qui istum Dii perdant*. POPMA.

Conturbare] Est, omissis veteribus creditoribus, satisfacere iis, qui postarius crediderunt. MAN. *Conturbare*, quantum ex jurisconsultorum verbis possum judicare, est accipere, et non reddere: hoc est, omnino quasi decoquere. CORR. Est autem elliptica locutio: plena enim est *Conturbare rationes, rem*, &c. Terent. Eun. V. 3. 29. *Ita conturbasti mihi rationes omnes*. Qui enim non sunt solvendo, ne-

que se extricare nominibus possunt et ære alieno, illi conturbant, inquit Turnebus, quem vide *Advers.* IV. 15.

Terentius] P. Terentius Hispo. Ep. 10. lib. XI. et ep. 65. lib. XIII. Fam. Corr.

De Metello] Quisnam e Metellis? Hærent interpretes. Corradus et Mongaltus Q. Metellum Nepotem significari putant: Manutius vero, Metellum Creticum.

Οὐχ ὅσιν] *Pium non est, mortuis insultare.* Odyss. x. 412.

Qui quidem] Est ἀποσιώπησις qua Cicero aliis cogitandum relinquit, quid ipse sentiat de Metello, ne, si forte quod in animo habebat expromeret, hominem mortuum maledictis incessere videretur. Innuit vero improbum virum fuisse. Bos.

Tibi nummi meo periculo sint] εἰρωνικῶς. Indicat enim nullam spem esse eorum nummorum recuperandorum. Ideo mox subjicit, *in hoc thecam nummariam ne retexeris.* Idem.

Quid enim vereris] Sensus est, Quid vereris, quemcunque Metellus heredem fecit, ne is scilicet hereditatem non cernat, quod eam damnosam existimet, nisi forte Publium heredem fecit? non enim verendum est, sed pro certo habendum, neminem eam hereditatem aditurum præter Clodium; qui ære alieno cum totus sit obrutus, nullam quantumvis damnosam repudiaturus est hereditatem. Veruntamen improbe non fecit Metellus, quod affinem suum heredem fecit, quem sciebat certo hereditatem suam aditurum. Itaque hujus rei causa, ne thecam nummariam retexeris, id est, aperieris, ut in eam nummos indas tibi debitos a Metello. Ii enim tibi perierunt. Idem.

Thecam nummariam] Proverbium est, *thecam nummariam non retexeris.* Sportulam vimineam intelligit, quæ si fuit angustior, videtur potuisse retexi. Is. Casaub.

Præsidia] Ne, dum ædificatur, impetum aliquem Clodius faciat. Man. P. Victorius ex conjectura censebat emendandum *prædia*, sed nihil tamen in sua editione immutavit, nec immutandum censuit. Male Bosius et Gruterus receperunt Victorii conjecturam. Græv. Idem tamen, altero tomo extremo, ubi *addenda* et *corrigenda* proponit, in contextu scribi jubet *prædia*, Mureto quoque, inquit, hanc lectionem approbante. Quamobrem ergo, si de locandis *prædiis* agitur, Milonem admonitum velit; ego non video. At video cur ille admoneatur, si locanda sint *præsidia:* conductas enim operas habebat. Olivetus.

De Laterio] Laterium erat villa Quinti Ciceronis in Arpinati, quam ædificiis, aquæductibus et viis ornabat, ut constat ex Epistola prima lib. III. ad eundem. Sed, ut videtur, Arginates vicinos suos hac re offendebat, quod Marcus frater dolebat. Ille vero non curabat sermones illorum. Popma.

Ὁ δὲ οὐκ] Hic vero non curabat quæ dicebantur. *Odyss.* A. 271. 305.

8 CICERO ATTICO SAL.

Tyrotarichi] Videtur Atticus, iis quæ de tyrotaricho, et de rauduscullo scripserat, notasse miram Ciceronis parsimoniam, qua grande æs alienum, quod rebus suis adversis conflaverat, ita minuerat, ut id modicum jam esset. Nam rauduscullum est modicum æs. Tyrotarichus autem genus erat opsonii vilioris, rusticis familiare, quod caseo, et salsamentis constabat: unde et nomen acceperat. Bos.

Nam de rauduscullo] Quod ais me æs illud alienum, quod contraxi, ita minuisse, ut id jam non æs, sed rauduscullum sit; ne me magnum, id est, bonis affluentem, et fortunatum dixeris, priusquam videris qui futurus sit exitus rerum mearum. Nam fieri potest, ut, antequam moriar, iterum fortunæ meæ ad eosdem miseriarum scopulos allidantur. Idem.

Μίκκω μέγαν] Invenimus hunc versi-

qulum apud Joannem Stobæum, sub nomine Sophoclis. Explicat autem fere Solonis sententiam, qui neminem beatum antequam obiisset dici volebat. VICTOR. Sensus vulgaris non convenit huic loco. Leg. Μήπω μήν' εἴπῃς. Hoc est, ne quid magnum dicas, priusquam mortuum videris. seu ne glorieris de adversario, priusquam jaceat. Τελευτῶν non modo est mori, sed quocunque modo finire. Itaque τελευτῶν sæpe ponitur pro denique, ad postremum. Cicero elegantissime abusus est hoc dicto. Accepit τελευτήσαντα quasi esset accusativi pluralis neutrius, et loqueretur poeta de nummis. Significat igitur, ne gratuleris tibi de nummis, priusquam finientia, hoc est, finem negotii videris. J. F. GRON.

Nihil reperio] Quod emere possis.

In oppido] Antiatum. CORR.

Antium Buthrotum esse Romæ] Ut Corcyra Buthrotum prope habet, oppidum amœnissimum, et quietissimum: ita Antium Roma. MAN.

Εἴη μισητὸς] Hoc sensu: familiaris tua domus tibi odio fuerit præ Antiatibus illis ædibus. Proverbium Græcum est, φίλος οἶκος ἄριστος, quo familiaris cujusque domus laudatur. Verum ita amœnæ erant ædes illæ Antiates, ut nemo esset qui suis illas longe non anteferret. BOSIUS.

Mens] Cum antea, bibliotheca nondum a Tyrannione disposita, quasi corpus esset sine mente. MAN.

Dionysii, et Menophili] Quibus Tyrannio usus est glutinatoribus. ep. 4. IDEM.

Pegmata] Vide supra, ep. 4. ubi de *sillybis* pro *sittybis*, quod habent vulgati.

Valde ut] Ita Lambinus. Alii vero, *illustrarunt valde. Et scribas*, &c. Reponendum autem conjicit J. F. Gronovius: *Vale, et scribas*, &c. Ita ut *Apenas vix discesserat*, sit novæ epistolæ initium.

De gladitoribus] Supra, epist. 14.

Apenas] Servus vix discesserat cum litteris ad te meis, cum epistola mihi a te reddita est: in qua scribis fore, ut legem non ferat. Quem autem legem non laturum, et quam legem intelligat, quoniam in divinatione positum est, omitto. MAN.

De Trebonio] Tribunatum plebis petituro, quem gessit anno sequenti, Pompeio, et Crasso coss. IDEM.

Tibi assentior] Eum tribunum plebis legem de provinciis consularibus ad istorum arbitrium laturum. Plut. in Pomp. et Dion. lib. XXXIX. CORR.

De Domitio] L. Domitio Ænobarbo consulari candidato. IDEM.

Σύκῳ]. *Ficui per Cererem ficus nulla unquam tam similis fuit.* Senarius cum dimidio comici nescio cujus.

Περίστασις] Status, conditio. Status iste Domitii simillimus est nostro, cum in exilium pulsi sumus: vel quod ab iisdem læditur, a quibus olim ego; vel quod præter opinionem, &c. MANUT.

Habeat] Hæc omnes intelligunt de Domitio, ineptissime. Scribendum: *in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas habeant.* Sc. Pompeius, Cæsar, et Crassus, qui jam inter se convenerunt de consulibus in multos annos, quos fieri sint passuri, idque habeant perscriptum in codicillis, ut jam aliquot annorum consules non populi Romani, sed suo arbitrio fecerint. *Quid illo miserius?* scilicet, bono Domitio, qui inter hos notatos in codicillis haud dubie non est, cum tamen quasi genitus et sublatus sibi videatur in spem consulatus, patre consulari, triumphali, censorio. Suet. Ner. 2. J. F. GRON.

De Natta] Cognomen est Pinariorum. Forte is est, de quo dixit Horatius: *ungor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.* CORR.

Effugere] In lucem exire. MAN.

De Fabio Lusco] Nisi M. Fabius hic est, cujus modestiam etiam commendat ep. 25. lib. IX. Fam. Fateor me, qui sit ignorare. CORR.

Quod eram exorsus] Alibi, vel in cogitatione. Certe in hac epistola non est exorsus, nisi forte pars illa desideratur. IDEM.

Tantulane causa] Minima enim causa, ideo commoveri, quia, cum Fabius Romæ fuisset assiduus, ad eum tamen non venisset. MAN.

Firmanis] Interpretes, qui sint fratres hi Firmani, ignorant.

Πολιτικῶς] Civiliter, sed cum reipublicæ bene gerendæ studio. CORR.

Τὴν ἔσω γραμμὴν] Id est, interiorem lineam, quæ media inter extremas duceretur: significat media via utendum esse, ut idem alibi loquitur: quod fit, cum quis nimis non inclinat in alterutram factionum partem. BOS.

Degustes] Leviter in sermone tentes. Μεταφορὰ a cibis, quorum saporem degustando percipimus. Et respexit ad illud, *odorare*.

9 CICERO ATTICO SAL.

Censum] Est *census* censorum opus, hoc in loco. *Vitiari* autem dicuntur dies, cum vitiosi fiunt aliqua religionis obnuntiatione. JUNIUS.

Sic enim] Solet enim *aliud sentire, aliud loqui*. Epist. 1. lib. VIII. Fam. Hinc ep. 14. h. l. *Dixit, sed utrum fronte, an mente, dubitatur*. CORR.

Quasi] Ut Phocylides poeta suis præceptis præponere solitus est illum dimidiatum versiculum; Τὰ δὲ Φωκυλίδου: *Et hoc Phocylidis;* sic nos, cum Pompeii sermones referemus, semper addemus, *Ut loquebatur:* quoniam ille aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habebat. POPMA.

Componenda] In theatro Pompeii. De quo Plut. Plinius, &c. MAN.

A se] A villa sua; sicuti, *Ad me*, valet, ad villam meam. Nec est, cur hoc loquendi genere quisquam offendatur. Sic ille, quem hic noster tanti fecit, Terentius in Heauton. *Hinc a me quisnam egreditur?* et alibi cum ipse, tum, optimus Latinitatis auctor, Plautus. IDEM.

Nihil minus velle] Quia favebat Æmilio Scauro. Videbat autem duos patricios simul esse consules non posse: vetabat enim antiqua lex. Ideo timebat, ne, dejecto Scauro, Messala crearetur. Quod evenit. IDEM.

Lucceio] Vide ep. 6. hujus libri.

Ædificium] Domum quæ ædificatur. De qua lib. III. ad Q. Fr. MAN.

Haberet] Mallem: *tecum haberes:* ut ea causa iret ad Atticum Q. frater. IDEM.

Lætum] Placeret, *Pætum;* ut sit Papirius Pætus, de quo Fam. IX. ID.

10 CICERO ATTICO SAL.

Esse in regno] Restitutum a Gabinio, Syriæ proconsule. Nota historia ex Dione, Cæsare, aliis. MAN.

Fausti] Hic est L. Cornelius Sylla Faustus, Syllæ dictatoris filius, Pompeii gener, quem magnam et exquisitam bibliothecam habuisse licet suspicari ex eo quod Sylla pater devictis Athenis inde aliquot librorum millia abstulerit, ut tradit Plutarchus in vita. POPMA.

His rebus] Piscibus et ostreis, quibus sinus Puteolanus et lacus Lucrinus abundabant. IDEM. Placet ut legatur *ostreis*, pro *his rebus*. URSIN.

A cæteris] Videtur *ut* suo loco excidisse. Forte Cicero sic scripsit: *Sed mehercule ut a cæteris... sic litteris*, &c. GRÆV.

Sub imagine Aristotelis] In tua bibliotheca. MAN.

Ambulandum] Mihi ut legato. Ep. 1. et 2. h. l. Nisi velit significare, quod devorandum esse dixerat, ep. 5. h. l. CORR.

Ambulationem, et Laconicum] In ipsius domo. De Laconico, vide Vitruvium lib. X. cap. 9, 10. MANUTIUS.

Cyrea sint] A Cyro architecto facta sint. Ep. 3. lib. II. Al. *circa sunt*, idque fortasse rectius, ut balnearia significet. Ep. 1. lib. III. ad Q. fr. CORR.

Ut possim] Ut ego quoque habeam, ubi te possim accipere, acceptus a te toties: quod nunc, nondum ædificata domo, non possum. MAN.

Parilibus] IX. Kal. Maii. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 11

Etiam illud] Hoc quod sum dicturus, quodque mihi Pompeius affirmavit, de rationibus cum publicanis putandis. Id ipsum repetit, post hanc narrationem, his verbis, *Id cujusmodi sit, aut nunc si scias*, &c. MALASP.

Demetrio] Pompeii liberto. Plin. lib. XXXV. cap. 18. Plutarch. in Pompeio et Dion. lib. XXXIX. CORRAD.

Gladiatoribusne] Putarene vellent rationes, quibus diebus gladiatores pugnarent? Ante, Pompeius respondit. MAN.

οἶδὰν] *Nihil dulcius, quam omnia nosse*. Desit fortasse verbum ἐστὶν.

Censores] Num civitatem censeant, an id desperetur. Ep. 17. MAN.

Appius] Quia videbat eum hoc anno consulatum petiturum. Anno enim proximo consulatum gessit. ID.

Apuleia] Appii frater P. Clodius, qui populum in tribunatu non secus, atque Apuleius Saturninus, concitat. *Apuleiam* autem appellat per contemptum quasi effeminatum, et mollem. IDEM.

Abs te. Opere] Alii aliter et legunt; et interpretantur: sed germanas, opinor, gerras afferunt. Hic tamen aberrasse librarium scriptorem facile crediderim. OLIVET.

Nostrum librum] Commentarium earum rerum, quas in consulatu gessimus: ut habeat, unde sumat ad historiam conficiendam. Ep. 12. lib. V. Fam. MAN.

Demetrii Magnetis] Ep. 11. et 16. lib. VIII. CORR.

Mitto] Librum περὶ ὁμονοίας ab eodem Demetrio Magnete ad te missum. IDEM.

Ut sit] Ille, qui Magnetis librum attulerit. IDEM.

CICERO ATTICO SAL.

Aquilio] Jurisconsulto: ut sit C. Aquilius Gallus, qui Ciceronis collega fuerat in prætura: ut in oratione pro Cluentio, et Offic. lib. II. MAN.

Præsto esse] Macronis causam non videor posse defendere, cum auctioni constituerim interesse. Forte autem vel emere quippiam Cicero volebat in auctione: vel ad eum bonorum pars, quæ vendebantur, ex hereditate pertinebat. IDEM.

Biduum præterea] Subintelligit, Larini mihi commorandum est, aut aliquid aliud tale. LAMB. *Biduum:* quod auctioni huic, præter Idus, dabitur. MONG.

Facio fraudem senatus-consulto] Cum senatus vocabatur, senatores, qui erant in urbe, adesse jubebantur in senatu; qui non erant, juberi non poterant. Cicero autem, ne citari posset, urbem non est ingressus Kalendis, quo die senatus habebatur, sed in hortis suburbanis consistere, et cœnare voluit. Fraude igitur subterfugit senatus-consultum, quo in senatus-consulto scriptum erat, ut senatores, qui in urbe essent, in senatum vocati venirent, non venientibus pignora auferrentur. Philipp. I. MAN.

Promonebo] Est, præmonebo; ut prodicere diem, prædicere, apud Varronem De Lingua Latina. BOSIUS. Id est, porro monebo, ut eo die cœnes apud me cum Pilia: quod ante dixerat. JUNIUS.

CICERO ATTICO SAL. 13

Milonis nuptiæ] Duxit uxorem Faustam, Syllæ dictatoris filiam. MANUT.

Ego, ut sit rata] Quamvis, inquit, rata sit opinio illa comitiorum, ita ut ea certo habeantur, tamen non moleste fero me abfuisse ab iis altercationibus, &c. Hæ vero fuerant, ut

suspicor, de habenda aut non habenda quorundam ratione. Bosius.

Σκυλμὸν] Perturbationem.

Potest] Bosius edidit, *pot' est.*

Ὀξύστινος] Famelicus.

Æqualem] Ejus filium, qui consul periit Cannensi prælio; Africani minoris patrem naturalem. Is in secundo consulatu paludatus exiit ad bellum Macedonicum; nec multo post victor, capto etiam rege Perse, triumphavit. *Æqualem* Crassi, vel cum joco nominat, quod uterque iterum consul ad bellum sit profectus; vel serio, quod eadem ætate essent, cum ad bellum exiere. Nam, sexagenarium utrumque fuisse, tum ex Livio, tum ex Plutarcho licet conjicere. Manut.

Nequam] Qui, C. Ateii Capitonis, tribuni plebis obnuntiationibus, dirisque neglectis, auri Parthici cupiditate præceps, ante finem consulatus ivit in provinciam. Cicero lib. I. de Divin. Plutarchus, Dio, alii. Ejus tamen absentis dignitatem defendit in senatu. Ep. 8. lib. V. Fam. Id.

Libris] Tribus ad Q. fratrem. Id.

Τὴν παροῦσαν] Præsentem statum reipublicæ, subjecta rudi ejus forma.

14 CICERO ATTICO SAL.

Dixerat.] Faernus corrigebat, *dixeras*, pro *dixerat*, et ita videtur legendum. Ursinus.

Fratre] Nunc Cæsaris legato. Cor.

Festine odorari] Videant eruditi, an rectius quod manuscripti adhuc retinent libri, et Germani in margine sui codicis adnotarunt, *festive* legatur: id est, eleganter, et suavibus quibusdam blanditiis. Vict.

15 CICERO ATTICO SAL.

De Eutychide] Servum Eutychidem Atticus liberaturus, eum de suo vetere prænomine, novo nomine, quod ipse a Cæcilio avunculo adoptatus acceperat, T. Cæcilium Eutychidem appellare constituerat. Man.

Junctus] Ita, ut M. Pomponius Dionysius vocetur. Corr.

In meo dolore] In exilii calamitate. Man.

Humanitatem] Deleo *sed;* quod manifesto ex syllabæ antecedentis repetitione (ut fere fit in Mss.) fuit inculcatum; aut ex initio sequentis comprehensionis adscriptum ab oscitante librario. Junius.

Rhetor Clodius] De quo Philip. II. et Suetonius in libello de claris Rhetor.

Pituanius] Gentile nomen fuit *Pinarius*, cognomen *Pituanius*. De gente Pinaria dictum est alibi. Junius.

Ἡμερόλεγδον] Ut quæque singulis diebus acciderunt.

Sufenas] Tribuni plebis biennio ante fuerant Sufenas, Cato, et Procilius.

Τρισαριοπαγίτας] Ἐιρωνικῶς corruptissimos judices uno verbo τρισαριοπαγίτας vocavit. Nam sæpenumero τὸ τρὶς in compositione vim habet augendi, ut τρισόλβιος, τρισάθλιος, τρισάσμενος. Bos.

Neque tamen] Id est, valde refugere. Inveniri enim qui hujusmodi cædes ferant; quales fuere XXII. illi judices, qui Procilium absolverant. Idem.

Publius] Clodius. Man.

Hortalus] Q. Hortensius. Idem.

Verita (vulgo *veritas*) *est enim pupilla*] In hoc verborum ambitu suspicor latere mendum. Et forte locus ita corrigendus: *Verita est enim filia, quæ nunc laborat, ne animum Publii offenderem;* vel, *ne animus Publii offenderetur.* Ut eum Tulliola rogaverit, ne Procilium defenderet contra P. Clodii accusationem: verita scilicet, ne Clodius ex facto gravius irritaretur. Idem. Placet, dum verum eruatur, conjectura Manutii, nisi quod putem legendum: *ne animum in Publio offenderet.* Scilicet ægrotans filia, ne ægritudo morbum

dugest, si forte in oratione aliquid dicerem in Clodium, quod rerum potientes ægre ferrent, et mihi meisque periculum denuo conflaret. Ego nolui in reos dicere, quia filia mea nunc ægrotans verita est, ne memoria Publii, qui socius erat accusationis, aliquidve in eum dictum hoc alieno tempore suum animum lederet, et perturbaret, eique offunderet nocivos dolores. GRAEV.

Τίμπαν] Loca amoena, quæ Vopiscus Cæsar *Italiæ* numen appellabat. CORR.

Consulem] Ap. Claudium Pulchrum. Et de hac Reatina causa Varro libro III. cap. 2. de re rust. et Tacitus in primo Annalium. MANUTIUS.

Emissus] An igitur antea non defluebat? Etiam. Sed angusto tantum Velini ore, quod natura fecerat. Consul autem M. Curius Dentatus, postquam anno urbis Romæ CCCCLXIII, ante natum Christum CCXL, Sabinos devicit, monte intercisso latius ipsi lacui aperuit ostium, quo nunc quoque e celsissimis præruptissimisque cautibus in subjectum Narem se præcipitat, ubi spumans cœlumque obnubilans unda cum sole perpetuam reddit iridem. CLUVER. *Ital. antiq.* II. cap. 8.

Rosea] Campus Reatini agri. Virgil. VII. *Æn.* *Rosea rura Velini.*

Vixi cum Axio] Jucundissime sui: ut infra in epistola nescio qua: *Cum Pansa vixi in Pompeiano.* Et villam habuisse Axium in agro Rosiano, testis est Varro lib. III. cap. 2. de re rust. MAN.

Septem aquas] Omnes agri Reatini lacus simul ita dictos existimo. HOL.

Fonteii] Fortasse *Pontini*, qui tunc volebat triumphum. *Q. Fr.* III. 4. CORR.

Magno, et æquabili plausu] Qui mihi theatrum ingredienti a populo datus est. Et addidit *æquabili*, quia, *magno*, per se non referebatur ad laudem. Nam et plausus magnus datur odiosis hominibus, sed minime æquabilis, clamoribus, sibilis, omni strepitu permixtus: magnus, et æquabilis iis, qui diliguntur. MAN.

Manumissus] Decreverat dominus Antiphontis, qui ludos edebat, illum merito vel immerito donare libertate. Ideo scribit Cicero illum manumissum prius fuisse, quam productum; quod sive vicisset, sive non, certum esset eum manumissum iri. Victoriæ præmium in servis histrionibus erat manumissio. BOS.

Nihil tam.... Verum] Sic dedit Gruterus. Et recte quidem Bosius animadvertit, suspensam hanc locutionem ac sententiam apprime his epistolis atque huic loco convenire. Malunt alii: *nihil tam verum. Hæc tu tecum habeto.* Quod sic explicat Corradus: Cum alienam agere personam deberet, *veram*, hoc est, suam agebat ita ut nihil imitaretur. Atenim id si voluisset intelligi Cicero, non scripsisset *nihil tam verum*; sed, *nihil tam suum.* Deinde in actore scenico id quod significatur voce hac *verum*, non vituperationem continet, sed laudem maxime propriam. Ut enim is optimus est poeta, qui *reddere personæ scit convenientia cuique*, et veras e *vitæ morumque* exemplari *voces dare*, (quemadmodum docet Horatius, *de Arte Poet.* 316.) sic præcipue actoris commendatio est, si ita agat, ut ad verum ac naturam proxime accedat. Ea scilicet maxime probanda imitatio est, quæ minime apparet imitatio. Qui a Simeonis Bosii judicio dissident, Mataspina, Gronovius, alii, videntur mihi scutras magis spectasse, quam actores. Legi potest ea fabella, quæ habetur Phædri V. 5. Addam hoc quoque, quod Plutarchus narrat. Mima quædam Scia cum Andromachen ageret in Astyanactis morte lugentem, sui ipsius filii cineres scenicam in urnam conjecit, ut *veris* lacrymis alienum dolorem imitaretur. Volebat illa dici, *Nihil tam verum.* An, cum diceretur, vituperari se existimabat? OLIVET.

Quam Astyanax] Quam tragœdus, qui hanc personam agebat. MONGAULT.

Parem] Ergo superiores omnes, ut sit jocus ex ambiguo. CORR.

Arbuscula] Fuere eodem tempore tres insignes meretrices, eædemque mimæ, Arbuscula, Cytheris, Origo. Servius Ecl. 10. Arbusculam et Horatius nominat Sat. ultima lib. I. MANUT.

Ludi] Ludos Apollinares intelligit: de quibus infra. IDEM.

Venatio] Nimirum amphitheatralis, cum homines cum feris committerentur. Vide Lips. de Amphitheatro. GRÆV.

Sequere nunc me in campum] Hoc dicitur: Accipe nunc de ratione petitorum. Petebantur enim in campo Martio magistratus. MAN.

Σῆμα δέ τοι ἐρέω] Signum vero tibi dico. Iliad. Ψ. v. 326.

Fœnus ex triente] Hoc dicit Cicero, fœnus fuisse duplicatum, ut cum antea pecunia mutua acciperetur trientibus usuris, hoc est nostro loquendi modo quatuor in centum, nunc propter candidatorum immanem ambitum, multum pecuniæ mutuum sumentium ad largiendum, non nisi bessibus usuris locari pecuniam, hoc est octo in centum. GRÆV.

Istuc] Ego Atticus, qui lucrari aliquid potero ut heres Cæcilii fœneratoris. Ep. 9. lib. I. et ep. 29. lib. III. CORR.

O virum, o civem] Ironia. MAN.

Consules] Ap. Pulcher et Domitius Ahenobarbus, Memmio, et Domitio Calvino consulatum pactione polliciti. Pactio autem quæ fuerit, aperte scribit in extrema epistola hujus libri. IDEM.

Ἐξοχὰ] Excellentia.

Damnatus] Quod ambitiose, et non Catonis arbitrio petiisset. CORR.

Messius] De quo ep. 1. hujus libri.

Revocatus] A propinquis, ut opinor, aut ab amicis. Nam judicii causa neminem de legatione in urbem invitum revocari licebat. MANUTIUS.

Servilius] P. Servilius, Isaurici filius, hoc anno prætor. IDEM.

Tribus habet] Tribus hæ Messium videntur absoluturæ. IDEM.

Agitur] Aliquid tamen proficitur; etsi acres habemus adversarios. ID.

Ad Drusum] Ut post Messium defendam Drusum. 10. IDEM.

Indices gloriosi] Indices sunt tituli orationum, ut pro T. Annio Milone, pro M. Marcello. Quia vero clarissimos viros defensurus erat, idcirco ait suis orationibus indices gloriosos parari. BOSIUS.

16 CICERO ATTICO SAL.

Abs te] Ita sine argumento, atque sententia, ut ex his nihil aliud possem cognoscere, nisi ubi esses. MAL.

Bruto] Mallem, *Buthroto:* ut ep. 16.

Locum] Scriptorum meorum.

Ἐξωτερικοὺς] Ἐξωτερικοὶ λόγοι dicebantur ad quos non modo discipuli, sed quilibet e populo admittebatur, qui ἐξωτερικοὶ sive extranei dicti sunt: situc ἀκροαταὶ ejus discipuli, et familiares; hinc ἀκροατικοὶ λόγοι quos habebat ad solos suos discipulos, ac familiares. SALM.

Desideras] Lib. II. et III. de Or. Nam in primo loquitur. CORR.

Πολιτείᾳ] Libris de republica.

Τεχνολογίαν] Artis rationem, disputationem de præceptis artis.

Joculatorem] In tradendis artis præceptis non solet esse locus jocis. Ea enim tractatio spinosior est, quam ut sermonis urbanitatem in disserendo recipiat. Idee Cicero ab ea Scævolam joculatorem exclusit. BOSIUS. Vulgo *Joculatoriæ disputationi*. Quod non convenit. Nam Τεχνολογία est disputatio spinosa et morosa, a qua removebat Q. Mucium Scævolam joculatorem sive festivum senem. POPMA. Omnino legendum *joculatoriæ*. Nam et ars tota puerilis quodammodo est, et Cicero procul dubio respicit tractatum absolutissimum de jocis, qui II. de Oratore continetur. Malaspina quærit, quo referatur τὸ *ut noras*. Respondetur, optime ad

senem posse. J. F. Gronovius, Isaacus Casaubonus, in eadem sententia est. GRÆV.

De re] De dote in aliquo fundo, ut puto, collocanda. CORR.

Indiciis] Id est, ut indicat Aurelianus.

Ventitabo] Cum rem tam luculentam emero ipsius causa. CORR.

Duo faciles] Alii *Deo faciles*, perperam. Scis, inquit, quis sit iste Vestorius? cum te et me utatur facillimis, tamen nihil difficilius ipso. *Duo* pro duos antique, ut alibi. POP.

C. Catone] Qui Lentulo et Philippo coss. tribunus plebis fuerat. Ep. 2. lib. 1. fam. et epist. 3. lib. II. ad Q. fr. CORR.

Lucretio] Vide ep. 22. lib. VII. ID.

Procilio] De quo, epist. superiori.

Judicia nosti] Quam sint incerta, et quam sordidi judices. Paulo post. Et sane a tribunis ærariis absolutus postea fuit. Ep. 13. lib. II. ad Q. fr. ID.

Hirrus] Vide epist. 1. lib. VII. ID.

Non mihi ut qui] Hæc est vetus scriptura, ex qua fortasse legendum *non misi ut qui*. Hoc sensu; senatus-consultum *Quicunque posthac*, quod consules de provinciis fecerant, non misi: quia jam intelligebamus enuntiationem Memmii, cum in senatu recitavit pactionem quam ipse et competitor Domitius cum consulibus fecissent, valde Cæsari displicere, et ob id senatus-consultum non valiturum. POPMA. Codices Tornæsianus, et Crusellinus, *non mihi, ut quod:* Decurtatus, *non mihi, ut qui*. Mendum ita correximus, *non mi hili, ut qui*. Sensus est, senatus-consultum de provinciis consularibus non est mihi hili, hoc est, id senatus-consultum hili non facio, ut qui jam intellexerim enuntiationem Memmii, cujus causa factum est illud senatus-consultum, valde Cæsari displicere: cujus cum valde intersit id senatus-consultum irritum fieri, non dubito quin, quod eo cautum est, ad nihilum recasurum sit. Tanta est enim ejus auctoritas, ut id facile impetraturus sit a senatu. Ex, *mihi*, feci, *mi hili*. Nam sæpenumero in his etiam epistolis, *mi*, μονοσυλλάβως scriptum reperias, pro *mihi*. BOSIUS. Popmam hic Grævius præfert.

Enuntiationem] Cum C. Memmius pactionem in senatu recitavit, quam ipse, et suus competitor Domitius cum consulibus fecissent. Vide ep. 18. MAN.

Liberalis] Munere dato. Ep. 17. ID.

Tacitum judicium] Quod factum non ederetur. Hoc autem decrevit senatus, ut, qui nullo pudore prohiberentur ab effuso ambitu, largitionem omitterent; cum intelligerent futurum, ut irrita esset designatio, si damnati tacito judicio fuissent. Erat igitur ad cohibendam largitionis impudentiam quasi frenum quoddam taciti judicii timore. IDEM.

Consiliis] Judicum. IDEM.

Omnibus] Jam facta erat in singulos candidatos judicum sortitio, (nam non eadem erant omnium candidatorum consilia) sed judicia nondum facta. IDEM.

Opimius VEJEN. TRO. *Antius*] Hoc est, *Opimius Vejentina, Tromentina Antius*. Nomina sunt tribuum, in quarum prima censebatur Opimius, in altera Antius. Sæpe enim tribubus designari solebant cives Romani. Cælius in epist. ad Cic. Fam. VIII. 8. BOSIUS. Merito probarunt eruditi viri emendationem Bosii, sed explicationem non possum probare, cum ex Opimio et Antio duos homines facit. Si duo diversi homines fuissent, secundum Romanam consuetudinem scripsisset Cicero *Opimius Veje. et Antius Tro.* Nullum dubium Opimium Antium eundem esse hominem, qui duas tribus habuerit, alteram nativitate, alteram adoptione GRÆV.

Res cedit] Vict. Man. *rescidit*. Fortasse legendum, *res ad senatum*. URSIN. Vel, *re S. C. D.* id est, re senatus-consulto decreta. CORRAD. Lectionem, *res cedit*, potiorem ducit Bosius, et sequitur Mongaltus.

Terentius] Tribunus plebis. MAN.

Levi brachio] Non vehementer:

qui ad populum de tacito judicio leviter tulissent. MAN.

Hic Abdera] Hic summa fuit senatorum stultitia: ut Abderitæ viderentur: de quorum stupore, atque insania multi scripserunt. Et ipse infra, epist. 7. lib. VII. est, inquit, Ἀβδηριτικῶν, id est, ratione carens, quasi factum Abderitarum. IDEM.

Satisfecerat] Nummos distribuerat, ut ea liberalitate consul designaretur. IDEM.

Occuparant] Ante dederant: ut Domitius, Messala competitores. ID.

Hæc negotia] Ludit in vocabulo nundinarum. His negotiis interventuras multas nundinas, potest intelligi vel dies non comitiales (nam nundinis comitia haberi non poterant) vel multas suffragiorum emptiones. J. F. GRON. Alterum hoc sequitur Mongaltus noster: et recte quidem: magnas enim candidatorum esse largitiones, Atticus non moleste ferebat, ut modo dictum est pag. 199. OLIVET.

Luciscit] *Luciscit* autem per *i*, non *lucescit*, semper in antiquis libris scriptum observavimus: quod etiam in Terentio illo Politianus adnotat, de quo alibi diximus: nec non omni laude et honore dignus Petrus Bembus, in suo dialogo de fabulis Terentii, in illo loco: *Luciscit, hoc jam cur esse pultare ostium?* tam pusillam et tam tenuem θεωρίαν, tam magnus et tam gravis vir non est aspernatus. VICTOR.

Antium] Antium Restionem virum prætorium, nam Plutarcho autore, Pompeio, et Crasso iterum coss. prætor fuit. Hunc scribit Macrob. legem sumptuariam tulisse. Val. Max. lib. VI. c. 8. CORR.

Favonium] Ep. 1. lib. II. CONRADUS.

Non fecisse] Reus, a judicibus absolutus, his verbis innocens pronuntiabatur, *Non videri fecisse*. Ergo hic Drusum, et Scaurum dicit absolutos, Drusum de prævaricatione, Scaurum de repetundis, Cicerone utrumque defendente. MAN.

Scaurus] Non jam de repetundis, sed de ambitu. Vide Quintil. IV. 1.

Tribus libris] Oratoriis. MAN.

Ut opinionem habeas rerum] Hæc pars tota, usque ad, *Sed accipe alia*; ἀπεστασμένον quoddam mihi videtur esse epistolæ alterius, aut certe epistola sine capite et calce. Quæ me causæ moverint, ut hoc sentirem, dicam haud multo post; certe nomen Gabinii, cujus hic de judicio tam multa dicuntur, omitti non debuit. Et tamen, mecum ipse cogitabam, an emendari sic posset, *Nunc ut Gabinium habeas reum*. Illa sententia scilicet: Nunc ut de Gabinio reo certiorem te faciam: ferendum est: siquidem est absolutus. MALASPINA. Ego paucis mutatis, veram, nisi fallor, lectionem reposui, hoc modo, *nunc ut opiniorem habeas reum*. BOS. Hoc totum, *ut opinionem habeas rerum*, quod est in libris vulgatis, depravatum est; imo vero alienum, et suppositum est, legendumque hoc modo: *nunc de Gabinio habe absoluto. Verum*. Proclive tamen fuit ex *Gabinio* facere *opinio*: deinde ex *opinio*, *opinionem*, deinde ex *habe absoluto*, *Verum habeas rerum*. LAMB.

Ille] Quomodo, inquies, ferebat Pompeius me in ea causa libere et constanter adversus Gabinium agere? humaniter, inquam, et placide, quoad mihi satisfactum esset ab ipso Gabinio, qui me, per summam injuriam, dum consul esset, in exilium egerat. Ita, inquam, favebat Gabinio Pompeius, ut mihi tamen ab eo satisfieri vellet. BOSIUS.

Γοργεῖα] Accusatores Gabinii Cicero vocat γοργεῖα λημνὰ, quod ii nihil præ se ferrent, nisi terrorem quendam inanem; quo genere formidabiles videntur larvæ. Nam γοργεῖα sunt προσωπεῖα καὶ μορμογόκεια, ut ait Hesychius, sumpta notatione ἀπὸ τῆς Γοργοῦς, ὅτι γοργότητα καὶ φόβον ἐμποιεῖ. Addit autem γυμνὰ quod larvæ illæ nemini notæ non essent, ut quæ nudæ apparerent, detracta omni simulatione tanquam veste. IDEM.

Judicia reliqua] Erat enim de ma-

jestate absolutus; sed præterea de ambitu, et de repetundis accusabatur. Vide ad Q. fr. ep. 2. et 3. lib. III. MANUT.

Per me] Est hic ἔλλειψις verbi *licet*, quod nonnunquam tamen adhibetur, ut Acad. (II. 29.) *Per me stertas licet, ait Carneades, non modo quiescas* MALASP.

Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι] Inter vos philosophari. CORR.

Stomachus] Ubi sedes iræ fuit. MANUT.

Concalluit] Nonius ita legit, *Concalluit*: pro, callum obduxit: ut jam nulla res me ad iram adducat. Sic in epist. ad Varronem: *Consuetudo callum obduxit stomacho meo.* IDEM.

Fluit ad interregnum] Interrex creabatur, cum urbs sine consulibus, et reliquis patriciis magistratibus esset, ut is haberet comitia consularia; iisque comitiis consules creati, haberent comitia reliquorum magistratuum. Dum autem unus esset patricius magistratus, auspicia ad patres redire non poterant: ita nec creari interrex: quem et a patribus, et auspicato creari oportebat. Qua de re alias fusius. *Fluit, tendit.* Quia, cum hæc scriberet mense Novembri, nondum habitis consularibus comitiis, quæ nec in expectatione essent, futurum videbatur, ut res usque eo protraheretur, ut, anno confecto, cum nulli consules essent, interrex comitiorum causa crearetur. Quod ita factum est. Nam consules ex interregno creati Domitius, et Messala, sicuti Appius quoque, et Ahenobarbus, itemque Pompeius, et Crassus. IDEM.

Timidos] Quia a Pompeio, ad quem dictaturam delatum iri putabant, sibi timentes, si ejus amicissimum Gabinium damnassent, absolverunt. Ad Q. fratr. ep. 7. lib. III. IDEM.

Quin foris esset] Nam cum ex a. d. XII. ad IV. Kal. Oct. ad urbem fuisset: Gabinius, in eamque noctu ingressus esset: nec nisi decimo die, in senatum venisset: Syllam fortasse potuit latere: foris illum esse, qui intus esset, credentem. Verum, quid tanti erat ad nominis delationem, ut foris esset? Nihil opinor: sed hisce verbis Cicero consilium Syllæ voluit indicare: qui ut Gabinium a triumphi cogitatione deduceret, properaverit in judicium adducere: nesciens, jam tum illum, spem ejus abjecisse, atque in urbem ingressum. Atque hæc quidem loci hujus sententia videtur, non sane jacens. In libro tamen Faerni, *fortis essent* scriptum est. Ubi si *fortes* emendetur, ad judices referri possit, quos timidos idem proxime appellavit. Est, inquit, nonnullus odor dictaturæ, sermo quidem multus: qui etiam Gabinium apud timidos judices adjuvit: quos tamen Sylla non dubitans quin fortes essent, hominem postularat. Hanc scripturam adjuvant, quæ sequuntur, *sed omnes absolventur*; hoc est, ita timidi sunt, ut non solum Gabinius evasurus sit, sed plane omnes: nisi si quis hominem occiderit. Item illud, quod est in libro III. ad Q. fratrem, extrema prima epistola. *Gabinius a. d.* IV. k. *Octob. noctu in urbem introivit: et hodie* (existimatur autem fuisse III. Kal.) *octava hora cum edicto C. Alfii, de majestate eum adesse oporteret: concursu magno et odio universi populi, pene afflictus est.* Sic ibi. Quod ergo notum erat universo populo, Gabinium Romæ atque adeo in urbe esse, id Sylla ignoraverit? MALASP.

Contra dicente] Contenderunt Torquatus, et Sylla: ut accusandi munus alter alteri eriperet. Obtinuit Sylla: cum id ante non sperasset. MANUT.

Hoc tamen] Tantum de parricidiis accipiunt Corradus et Mongaltus: sed aliter Manutius; nam γενικῶς de omnibus reis.

Indicia] Sic antiqui libri, non, *judicia*. Quotidie, inquit, nocentes homines indicio produntur. IDEM.

Urbani] Homines faceti, qui alios nigro sale defricant. GRÆV.

Ne respondent quidem] Hoc est, non se sistunt in judicio, sed in exilium eunt. GRON. Observ. II. 8.

Et tamen] Lego: *est tamen*. MURETUS. Sed hæc ita sunt supplenda: Et tamen aliquid est novi. Et post *tamen* distinctio locanda. GRÆV.

Sopolidis] Pictor fuit celeberrimus tempore Ciceronis, cujus meminit Plinius XXXV. 40. BOSIUS.

Οὐ σ' οἶδ'] Neque habes quo referas hæc verba, *lege majestatis*. Omnino deesse aliquid videtur.

Latum de imperio] Unius diei, quo ingressus urbem, triumphum ducturus erat. Alioqui imperium habere intra urbem licebat nemini. Hujus generis exemplum apud Livium lib. XLV. his verbis: *Tribus his omnibus decretus ab senatu triumphus: mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset*. MAN.

Insulse] Quia legem de imperio Pontinii Serv. Galba prætor clam ante lucem tulerat: quod a Dione traditum est: et, agi quidquam cum populo ante horam primam, leges vetabant. MAN.

Appius consul] Ejus amicissimus, ut apparet ex ep. 9. lib. III. Fam. IDEM.

Triumphare] Bessarionis liber, *triumphaturum*. Utrumque recte. ID.

Sine lege] Curiata: qua populus proficiscentibus in provincias imperium dabat. Ep. 9. lib. I. ad Lentulum, et ep. 2. lib. II. ad Q. fr. ID.

Paccianæ epistolæ] Hic apparet, divulsa esse, et alieno loco agglutinata harum epistolarum membra. Nam Paccianæ epistolæ incipit respondere in epistola proxima superiore: ut, in hac quo modo respondere possit, non videam. IDEM.

Paulus] L. Æmilius Paulus, qui duas basilicas, veterem restituit, novam extruxit. IDEM.

Contempsimus] Id est, liberaliter insumpsimus, et quasi profudimus centies sestertium in monumenti illius ædificationem. BOSIUS.

Cum privatis] Qui vendebant aream. CORRAD. Faernus delebat *non*, auctoritatem secutus veteris libri.

Lustro] Censores post censum urbem lustrabant: sed censum, lustrumque simul tribuni plebis obnuntiationibus impediebant. Epist. 10. MANUT. Sic in marmore Ancyrano Augustus: *Lustrum post annum quadragesimum feci*, cum tamen interea temporis censores fuerint. H. NORIS. in *Comment.* ad Cenotaphia Pisana.

Coctia] Alii *Plotia*, quæ parum convenit, et *Coctia* nulla est: nisi a L. Valerio Cotta, *Cottia* factum sit, ut eadem sit, quæ Aurelia; quod vix puto. MALASP. Ex litterarum charactere, et rei veritate deprehendi legendum *Cœlia*, et intelligi legem tabellariam in perduellionis etiam crimine, de qua videndus Pighius ad annum urbis 646. J. F. GRONOVIUS.

17 CICERO ATTICO SAL.

Δέρρεις] *Pelles, involucra*. Sensus est, recordans quibus cum impedimentis conflictatus sis, cum transires mare, in Asiam contendens. J. F. GRON.

Germanæ. Putavi de] Etsi nihil immutavi, tamen non dubito, quin ita legendum sit: *Germanam. Peti vide*. Ut sit sensus. Advola, mi Attice, et invise similem rempublicam reipublicæ illi nostræ, quam laudare solebamus. Dicit enim, *Germanam illius nostræ reipublicæ*, cum ironia, quasi prorsus dissimilem, et plane mutatam. Deinde sequitur: vide magistratus peti: nummis ante comitia tributim uno loco divisis palam. Quæ verba si quis diligentius expendat, singula emphasim habere cognoscet. Vide item, inquit, Gabinium absolutum, cum nocentissimus esset. Concedatur etiam, ut auctoritate floreat, et gratia. MANUT. qui solus hic Mongalto et Grævio probatur. Omnes quidem fatentur locum esse corruptum: sed, cum alii alia verba supponunt, ipsam quoque cor-

rumpunt sententiam, non interpretantur. OLIVET.

Detur esse valiturum] Absolutus est, inquit, Gabinius, homo nocentissimus; detur etiam illud, fore ut in republica floreat: auctoritateque et gloria valeat. Verumtamen de hoc non valde laboro. MALASP.

Quod quæris] Num futurus sit consul. CORRAD.

Reum] De ambitu. Nam de repetundis jam fuerat absolutus. Ep. 16. et ep. 2. lib. III. ad Q. fr. MAN.

Συμπάθεια] Animi commotio ex commiseratione.

Duo plebeii] Nam Messala, et Scaurus patricii; plebeii Domitius, et Memmius. Ergo cum Messala Scaurus, cum Domitio Memmius contendebat. MAN.

Militibus] Quos ad suffragia sæpe venisse legimus. CORR.

Pompeii Gallia] Gallia Transpadana, in qua Pompeius Strabo, pater Magni, coloniis jus civitatis et suffragii dederat. POPMA. Mihi scribendum videtur, *Pompeii gratia*. MUR.

Catone] Cum Cato, qui tribunus plebis biennio ante comitia in annum sequentem detruserat, sit absolutus. Ad Q. fr. ep. 5. lib. II. MAN.

Pilius] Piliæ propinquus, quam Atticus habebat in matrimonio. ID.

Veritas] Ut præstes quod promisisti.

Cum dies venerit] Qui dies? An promissi Dionysii? ita ut hominem secum habere Atticus ad certum tempus voluerit, post M. Tullio cedere? Id ego vix credo: cum præsertim proxima superiore epistola, quæ non multo ante scripta est, Cicero Atticum roget, ut Dionysium mittat, de certa die nihil dicat. Placeret, *Quo die veneris*. Ut desiderii vis ac magnitudo indicetur eorum, qui ne unum quidem, aut alterum diem expectaturi essent: sed eodem quo venisset, hominem efflagitaturi. MALASPINA.

CICERO ATTICO SAL. 18

Lepidum quo res cadat] Sic puto hunc corruptum locum esse emendandum, sententia, opinor, non inepta. Lepidum (inquit) spectaculum, videre quo res cadat. LAMB. Nihil muto; manuscriptis hæreo. *Excidat*, impersonale est. JUNIUS. Posses conjicere, *ne lepidum quod excidat*, pro *ne aliquid lepidarum rerum et verborum quæ ad te scribo, aliis innotescat, et spargatur in vulgus*. GRÆV. Delenda hæc verba Muretus censet. Victorium sequimur.

Pactionem] Pactio hæc erat: Memmius, et L. Domitius Calvinus consules fieri cupiunt: Appius autem Claudius, et L. Domitius Ahenobarbus consules id agunt, ut consulatu functi in provincias mittantur. Promittunt igitur, se operam daturos, ut consules creentur Memmius, et Calvinus: illi contra, se tres augures daturos, qui dicerent se affuisse, cum lex curiata de imperio provinciarum ad populum ferretur: et duos consulares, qui se affuisse dicerent, cum senatus-consultum de ornandis, et instruendis consularibus provinciis scriberetur: nisi hoc fecissent, H-S. darent ambo quadringena Appio, et Ahenobarbo. MAN.

Tres augures] Nam, cum lex ad populum fertur, adsint necesse est, qui dicant licere per Jovem legem ferri. Tres autem plane, cum lex curiata ferebatur, quia triginta curiæ tres veteres tribus repræsentabant. Veteres autem tribus suum quæque augurem habuit. MAN.

Quæ lata non esset] Augures igitur pretio erant adducendi, ut latam mentirentur. Non licebat autem sine curiata lege militare imperium in provinciis habere. IDEM.

Cum omnino] Nam revera neque lata curiata lex, neque senatus fuerat: sed, quasi utrumque fuisset, ita provinciarum administrationem, et lege curiata, et S. C. se daturos consulibus promittebant Memmius, et Cal-

vinus, si modo ipsi essent consules facti. IDEM.

Nominibus] *Nomina* proprie dicta de hujusmodi debitis quæ sine usuris contrahuntur. Ideo et pararii proxenetæque interpositi, qui pecuniam mutuam quærentibus, quam sine usura acciperent, creditores conciliarent, qui sic dare vellent. Quorum proxenetarum opera non erat opus his qui pecuniam fœnore sumere cogitarent. Recta enim ad mensam argentariorum ibant, atque inde, si pignoribus et hypothecis idonee cavere poterant, sumebant quantum vellent. SAL. de usuris cap. 6.

Perscriptionibus] *Perscriptiones* sunt, ut nunc loquuntur, assignationes ad trapezitam seu mensam. Solutiones, inquit Salmasius, apud antiquos Romanos fieri solitas legimus duobus modis, vel ex *arca*, vel ex *mensa*. Qui domo solvebat, ex arca sua pecuniam sumere intelligebatur, quæ ibi sine fructu recondita servabatur. Qui ex mensa numerationem faciebat, duplici modo eam facere solitus. Aut enim a mensario accipiebat fœnore, qui pro ipso summam quam desiderabat, et cui numeratam illam vellet, dependebat. Tunc debitor talis summæ mensario existebat. Aut pecuniam ipse habebat apud mensam depositam. Ex qua summa quantum summulam vellet, pro ipso numerabat mensarius, qui tanto minoris exinde manebat debitor. Hoc *scribere*, et *perscribere* dicebatur, et inde *scriptura mensæ*. Salmasius, de fœnore trapezitico, *lib.* I. Cicero pro Flacco: *Pecuniam in ædem sacram reficiendam se perscripsisse aiunt.* GRÆV.

Tabulis] Vide Salmasium in cap. 6. libri modo laudati. IDEM.

Inductis] E codice deletis. CORR. Nominibus scilicet eorum, qui hæc pacti erant, et suam interposuerant fidem.

Erat idem] Ita non commoveba-tur, quasi nihil turpe commisisset. MANUT.

Alter] Domitius Ahenobarbus. In.

Coitione] Coitiones candidatorum quæ sint, nunc omnibus notum. *Invito* autem *Calvino*, quia suo consilio contra Domitii voluntatem eam pactionem in senatu recitarat. VICT.

Seleucianæ] Macedoniæ, quam olim provinciam contempsit, et quam vocat Seleucianam a Seleuco Nicanore victore Lysimachi, qui tum Thraciam et Macedoniam in ditione habebat. *Justin.* lib. XVII. cap. 2. J. F. GRON.

Hibernam legionem] Quidam *regionem* sine causa, præsertim repugnantibus libris. Nam cum suas legiones Cæsar, quo facilius provinciam in officio contineret, non unam in locum ad hibernandum mitteret, optionem Quinto dabat, ad quam vellet proficiscendi: ita ut integrum illi esset, in propinquiora loca, et munitiora venire. MALASP.

Istorum] Optimatum? Ep. 5. h. l.

Pompeio] Ituro in Hispaniam.

Ad me] Hoc aut abundat; aut explana, in aliquam villarum mearum, ubi tum ero. MAN.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER V.

CICERO ATTICO SAL. 1

In discessu] Cum a tuo complexu in Tusculano divulsus sum, in provinciam Ciliciam proficiscens. MAN.

De Annio Saturnino] Hanc alii quærent historiam, nisi forte T. Annium Milonem significet per notam. CORR.

De satisdando] Satisdare dicitur qui fidejussores dabat, qui litis eventum in se recipiebant, ita ut quanti condemnatus esset reus, ipso non solvente, is qui fidem suam interposuerat pro reo solveret. GRÆV.

Satisdationes secundum mancipium] Quid rei sit apud jurisconsultos, vide Cujacium, *Observat.* X. 4. et Salmasium, *de modo usurar.* cap. 16.

Aperuisti] Exposuisti, ostendisti te daturum, si urgeret. Ep. 4. MANUTIUS.

Versura facta] Versuram facit, qui, vetus ut æs alienum solvat, novum contrahit: fit enim conversio quædam, et mutatio creditoris. IDEM.

Nostrorum nominum] Pecuniæ mihi ab aliis debitæ. IDEM.

Transversum] Cum pagina, versibus recto ordine subsequentibus completa, nihil ultra capit; tum, si quid ejusmodi superest, quod multorum verborum non sit, scribere solemus de transverso. IDEM.

Dies] Non dies in vesperum jam vergens, (nam et Marcum fratrem eadem causa in Arcano retinuisset) sed dies festus Arcani pagi, quem sibi Quintus in suo fundo celebrandum putavit. IDEM.

Mulieres, ego pueros] Quas mulieres obsecro? Terentiamne ac Tulliam? Quid? hæ invitatæ fuerunt, quasi hospites? Neque enim dicit *voca*, sed *invita*. Suspicio ergo mea illa est, Pomponiam mulieres illas invitare jussam fuisse, quæ Arcis officii causa, salutatum venerant: quas Quintus humanitate ac liberalitate adductus, invitari volebat, mulieres a muliere: itaque et *viros*, citius quam *pueros*, esse legendum: ut Arcanos item accipiamus. *Arcæ* porro fuere, haud procul Arpino, ad Melpham fluvium positæ: qui ex Apenino defluens, perque planiciem suas undas agens, sub Fregellis denique, Liri jungitur. Hoc oppidum, hodie quoque Arcæ dicitur, unde Arcanus: ut a Thebæ, Thebanus. MALASP.

Statius] Libertus Quinti. *Videret?* Pararet, curaret. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 2

Rufio noster] Hic est C. Sempronius Rufus, de quo in ep. Fam. ep. 8. lib. VIII. quem hic per jocum appellat Rufionem. Quoniam autem cum Vestorio nescio quid ei erat controversiæ, arbitrum statuerant Ciceronem, ut cognosceret. Deinde, cum Sempronius se a Vestorio videret observari; (observabat autem Vestorius, ut, si Ciceronem Sempronius adiisset, statim et ipse accurreret, transigendæque controversiæ arbitrum moneret: quod Rufio nolebat, ut qui se non bonam habere causam intelligeret) hominem stratagemate fefellit: nam ad Ciceronem non accessit. Hunc Cicero gratissimum sibi fecisse, dicit, quod de controversia audiri no-

luerit, id est, quod ad se arbitrum non accesserit, ut de controversia, quam habebat cum Vestorio, transigeret. In quo quasi gratiam referre Ciceroni pro accepto beneficio visus est, quod eum audiendi molestia liberaverit. Hic Rufio per jocum a Cicerone vocatur Vestorianus ep. 14. lib. XIV. ob insignem, et diuturnam cum Vestorio controversiam. MAN.

Postea jam jussi] Cicero scripsit, *Postea etiam jussi.* MURET.

Exiens e sua villa] Ita Muretus et Lamb. Alii, *e Pansæ sui villa:* alii, *expense e sua villa;* quod quid sit, ne ipsi quidem satis explicant. OLIVET.

Molestiæ] Provincialis. MAN.

Nondum] Ex epistola Cælii ad Ciceronem prima, sane facile cognoscitur, nuntium huc Ciceroni, de Transpadanis allatum, rumoremque de auctoritate perscripta, falsum fuisse. Cælius enim e complexu Ciceronis Romam reversus (hoc enim judicium facio ex ejus litteris) scribit se de Transpadanis, ne tenuissimam quidem auditionem accepisse: Marcellum præterea nihil adhuc de successione Galliarum retulisse: sed eam relationem, in Kalend. Junias distulisse: ut intelligere possimus, nihil cum his, illa Cæliana pugnare. Cur autem quatuorviros creare Transpadani a Cæsare jussi sint, quidque illud referret, totusque hic locus, accurate, copioseque a Carolo Sigonio, in libro tertio de antiquo jure Italiæ, explicatur. MALASP.

Ex Pompeio] Cum quo Tarenti sermonem habuit de rep. Ep. 5. MAN.

3 CICERO ATTICO SAL.

Semel] Quid si legatur *simul.* URSINUS.

Edictum P. Licinii] Edictum provinciale, ut edictum Asiaticum Q. Mucii ep. 1. lib. VI. Ex iis edictis Cicero, quidquid utile provinciæ putaret, in suum edictum transferebat. MAN.

Σπουδαιότερον] Magis serium.

Apud Lentulum] Commodum illud quod in Lentulum conferre debeo, faciam ut a te profectum esse credat, seque ob id tibi valde obligatum putet. VICTOR.

Dionysius] Ciceronum puerorum magister, qui et ipse cum pueris in provinciam proficiscebatur. MAN.

Nicanor] Attici servus. Ep. 2. lib. VI. IDEM.

Beneventi] Supple, pernoctaturum.

Continentia, et diligentia] In administranda provincia. MAN.

A Pontio] Cum essem apud Pontium. IDEM.

4 CICERO ATTICO SAL.

L. Pontio] Ut sit: ex Trebulano ad te litteras dederam L. Pontio, qui post meum e villa ejus discessum Romam se conferebat. CORR. Legerem, *ex Trebulano L. Pontii.* MURET.

Mandato] De collocanda filia.

Ac me ille] Concisa est oratio, et aliquantulum obscura, quam sic explico: ac me ille, quem nosti, valde rogat, ut sibi nuptui dem Tulliam: et sane in illam conditionem descendam, non quia illam probem, sed quia, aliorum inopia, eo genero contentus esse cogor. BOSIUS. Corruptus locus, quem Bosius, tum veteris libri ope, tum ingenio fretus, ita refinxit. Variæ aliorum sive lectiones, sive conjecturæ, nihil ad rem, nisi fallor. OLIVET.

Nostra] Filia. Hic etiam sunt varietates non tot quin plures. Quas, si quis oscitare velit, et nihil discere, legat apud Grævium. IDEM.

Δυσδιάγνωστον] Dijudicatu difficile.

Res] Supple, conficienda est.

Habebis mei rationem] In comitiis absentium ratio non habebatur, quia absentes per procuratorem petere magistratus non poterant: in aliis rebus, in quibus fas erat procuratores inter-

venire, ratio habebatur. Rogat ergo Atticum, ut hanc rem ita curet, ut ipse desiderari non videatur. Bos.

Servio] Erat Servius, Servii filius, ille alter procus Tulliæ, cujus negotium agebant Servilius Isauricus, et Servius Sulpitius pater. Popma. Muretus censet delendum esse *Servio*.

De Marcello] M. Claudio Marcello consule, collega Ser. Sulpicii. Man.

Rem tamen conficies] Ages tamen de supplemento. Nam certe, ut de cæteris senatus non probet, mihi tamen, et Bibulo, qui proconsul in Syriam ibit, attribui oportebit. *Attribui*, autem explano, pecuniam: cum sequatur, *compendium populi*. Idem.

Probe] Quod ei in sermone significasti, me ad te de eo scripsisse. Ep. 1. Idem.

Quod Chærippus] Subaudi, de me locutus est. Idem.

Πρόσπυσιν sustulisti] Atticus antea πρόσπυσιν, id est, assensionem sustulerat, cum scripserat δυσδιάγνωστον esse, velletne is Tulliam uxorem ducere, qui non alienus videbatur. Hic vero iterum assensionem submoverat, cum dubitarat quid in Chærippi negotio fieri oporteret. Bos.

O provincia] Cum indignatione. Etiamne, inquit, quid Chærippus libertus de me cogitet, aut dicat, mihi curandum est? Man.

Ne quid ad senatum] Ne ea de re quicquam senatus intelligat. Bos.

Consule] Legendum, *ne quis ad senatum: consule, aut numera*, scilicet dicat. J. F. Gronovius. Festus Pompeius: *Numera senatum, ait quivis senator consuli, cum impedimento vult esse quo minus faciat senatus-consultum: postulatque ut aut res, quæ adferuntur, dividantur: aut simul consulantur, aut si tot non sunt senatores, quo numero liceat præscribi senatus-consultum, expectentur*. Ex quo Festi loco conjicio hunc esse sensum istius πυκνοπῆς. Etiamne mihi Chærippus curandus est? hactenus certe mihi curandus est, ne quid, cum de supplementis referetur, propter illum mihi morarum objiciatur in senatu, ita ut sint, qui clament *consule, aut numera*, quod faciebant, ut Festus ostendit, qui impediebant, ne senatus-consultum fieret de re, de qua relatum erat. Græ.

Nam de cæteris] Ἀποσιώπησις. Nam de cæteris rebus, quæ ab aliis de me dicuntur, parum curo. Aut de cæteris hominibus ad quorum aures hæc de Chærippo pervenire poterunt, præterquam de senatoribus, securo animo sum. Bosius.

Quod cum Scrofa] Subaudi, locutus de illo, quod Chærippus de me dixit. Man. Quod Chærippus ea de re cum Scrofa sit locutus. Mong.

Minus urgendi] C. Pontinius, M. Anneius, L. Tullius legati Ciceronis in provincia fuere: sed Pontinius honoris gradu præstantior: nam et prætor fuerat, et triumphaverat. Videtur igitur Atticus hoc scripsisse: debere Ciceronem, si Pontinius ante Kalendas Junias Brundusii futurus sit, eo comite contentum esse, et minus urgere Anneium, ac Tulfium: qui deinde suo commodo ad eum, vel in Græciam, vel in Ciliciam ire possent. Nam, si dignitas in comitatu quæretur, Pontinii major, quam cæterorum. Man.

De Sicinio] Videtur, aut hic *Licinio*, aut proxima superiori epistola, *Sicinii*, legendum esse, *De Sicinio* autem dixit, pro *a Sicinio*; ut de edicto illo intelligat. Malasp.

Quinque præfectis] Vid. ep. 7. Man.

De Oppio] Vide epist. 1. Idem.

Ut agam amplius] Est, ut sim locupletior, ut laxiorem habeam sumptum familiarem. J. F. Gron. Conjiciebat Malaspina, *ut ne angar amplius*: quod Lambinus recepit.

Ducentos] Hunc locum sic distingue: *Aufer ducentos, (etsi meam in eo parsimoniam hujus paginæ contractio significet) dum acta et rumores velis*, scilicet ad me perscribere large, quæ in urbe aguntur, et rumoribus feruntur. Ducentos scilicet scapos chartæ, quos mihi paraveram. Vide Plin. XIII. 12. J. F. Gron.

Vellet] A te quærere. Man. Sed vide superiorem annotationem.

5 CICERO ATTICO SAL.

Venusia] Oppidum in Appulorum, Lucanorum, Samnitiumque sive Hirpinorum confinio, Horatii patria.

Διαλόγους] Sermones.

H-S XX *et* DCCC] Quæ Cæsari debemus. Ep. 1. MAN.

6 CICERO ATTICO SAL.

De Cæsaris nomine] De H-S XX et DCCC. quæ Cæsari debemus. MAN.

7 CICERO ATTICO SAL.

Præfectos delaturum novos] Cur, *novos?* quia vacationes, et judiciariam causam iis petebat. Vacationes vocat excusationes a muneribus militaribus, et aliis, quæ præfecti obire consuerant: causam judiciariam, munus judicandi inter Græcos. Neutrum tamen Cicero concessit. Nam præfectis omnibus vacationes denegavit, ut apparet ex epistola 11. hujus libri, et Græcis, non Romanos, sed peregrinos, hoc est Græcos judices attribuit, ut scribit. ep. 1. lib. VI. BOSIUS. Scribendum crediderim: *Quot ante ait se Pompeius quinos præfectos delaturum, non vult vacationes, et judiciariam causam:* scilicet præfectis deferri. Quot ante fuerant in provincia illa, nunc quoque ait se quinque præfectos delaturum, iis autem prohibet vacationes concedere, et committere judicia: quod Cicero secutus etiam est, ut Bosius ostendit. GRÆVIUS.

8 CICERO ATTICO SAL.

Qua jam emerseram] Scribe, *quanquam emersi jam.* J. F. GRON.

Socius] Solebant Romani in negotiationibus, et commerciis uti libertorum opera, ut apparet ex Plutarcho in Catone majore, et aliis multis auctoribus. Ea de causa Cicero sibi socium in bonis Milonis adjunxerat Philotimum libertum, cum ea ab hasta emeret. Emerat autem, ne ea emptori alieno addicerentur, hoc est, non amico, et non familiari ipsius Milonis. Quo facto futurum erat ut Milo multis mancipiis, quæ secum abduxerat, spoliaretur. Nam ea emptor alienus sibi vindicasset, tanquam sibi mancipata cum cæteris illius bonis: quod nequaquam facturus erat Philotimus, qui in ea re nihil agebat, nisi Ciceronis consilio. BOS. Vide *Fam.* VIII. 3.

Faustæ] Milo in exilium Massiliam abiens Faustæ uxori caverat de dote: quæ cautio uti rata esset, Cicero et Philotimus bona ejus ab hasta empta occupaverant, animo restituendi. Fausta hæc est filia L. Syllæ dictatoris, soror Fausti. POPMA.

Nihil nobis fuerat tanti] Legendum censeo, *nihil nobis* fuerit *tanti.* Nihil tanti æstimabitur in bonis Milonis, ut propterea ejus velim offensam contrahere: malo nihil ex iis, quæ Milo mihi debet, accipere, quam illum, qui tam bene de me est meritus, offendere. GRÆV. Videtur *fuerat* retineri posse, et perinde hoc in loco valere ac *fuerit.* OLIVET.

9 CICERO ATTICO SAL.

Muneribus tuis] Attici res agebant Areus et Eutychides liberti, Corcyræ, et Sybotis: ejus igitur nomine ad Ciceronem munera detulerunt. MAN.

Φιλοφρονεστατα] Blandissime.

Saliarem in modum] Ut solent epulari Salii sacerdotes.

Impedimentis] Quæ ad procen-

sularem dignitatem pertinent. JUNIUS.

De XX.] De quibus ep. 5.

Ne intercaletur] Nam intercalatio dies interponebat: ita, diebus interpositis, longior fiebat administratio provinciarum. MAN.

Annum] Si tenere non potes, ne intercaletur, quod in anno comprehenditur; annum saltem, hoc est, ut tempus tamen sit annuum, teneto. CORR.

Dionysius] Hominem Græcum, pueri M. Ciceronis magistrum. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 10

Ἔρδοι τίς] *Quam quisque norit artem, in ea se exerceat.* Senarius integer apud Aristoph. in Vespis, 1422.

Quid adhuc] Quid accidit adhuc, ut te provincia offendat? MANUTIUS.

Δυστεξίμητα] Quo nomine significantur, res imis sensibus demersæ, et abditæ quæ, ut palam fiant, vix inde educi, et proferri possunt. Nam δυστεξίμητον idem est quod δυσανίμητον. Alterum enim ἀπὸ τοῦ ἀνιμᾶν, alterum, ἀπὸ τοῦ ἐξιμᾶν, originem ducit. Bos.

Βαθύτητα] Vide lib. IV. ep. 6.

Μελέτη] Meditatio.

Ἄνω κάτω] *Sursum et deorsum.* Et omnes per hanc philosophiam, Academicam significare volunt. Sed Malaspina pro ἄνω καὶ κάτω, vult legi, *Antiochina*, ab Antiocho, cujus frater erat Aristus. LAMB. Ἄνω κάτω, id esse dicitur, quod ita perturbata quadam mutabilitate variat, ut nulla sede stabiliatur, et hæreat; sed modo sursum feratur, modo imo loco desidat. Itaque eum Academici in nullius magistri verba jurarent, nihilque certi affirmarent, eleganter Cicero duabus his vocibus eorum sectam designavit. Sensus ergo est: ἄνω κάτω si quid est, hoc est, si quid est Academicæ philosophiæ, id totum est in Aristo, qui frater fuit Antiochi. BOSIUS. Bosii lectionem sequor, interpretationem minime. Nam ἄνω κάτω Græcis dicitur bifariam: primum de eversione aut confusione rerum, q. d. τὰ ἄνω κάτω, quam phrasim Galli verbum de verbo exprimunt dicentes, *sens dessus dessous*: secundo autem de universitate, q. d. ἄνω καὶ κάτω, id est, ubique, in singulis partibus, a summo ad imum. Quo sensu locum hunc placet accipere, et locus postulat, ratione contestante. JUNIUS. Tu, si cum Bosio facis, appone distinctionis notam post voces Græcas: ego secus, qui cum Junio. OLIVET.

Xenonem] Qui res Attici curabat. Alii *Zenonem* legunt. Male.

CICERO ATTICO SAL. 11

Fœde de Comensi] Indicat Marcellum fœde fecisse, quod in odium Cæsaris pœnas sumpserit de Comensi quodam, tanquam de peregrino, cum tamen is civitate Romana donatus esset. Historia nota est. BOSIUS.

Nostro] Pompeio, cujus pater Strabo Transpadanas colonias deduxerat. LAMB.

Theophani] Orat. pro Balbo.

Ἄφρακτα] Naves apertæ. *Dicrota*, biremes. De his Pollux, I. 9.

Ἀκτουάρια] Gellius, X. 25. *Actuariæ, quas Græci ἐπιπόνους vocant.* Actuariæ in genere sunt quævis naves, quæ remis aguntur: specialiter tamen id de eo genere navium dictum, quæ homines tantum vehebant, aut onera. J. F. GRON.

Οἷα γ' ἡ δέσποινα] Adagium est, *Catellam dominæ similem esse.* Plato *Rep.* VIII.

Ἀνοξίαν] *Abstinentiam.* Hæc ego non dubito per jocum a Cicerone scribi. MALASP.

In præfectis] Vulgata, quamvis corrupta sit, potius servetur, quæ tot in libris extat, quam ex paucis deterior substituatur. GRÆV.

Μετέωρος] Suspensus, incertus.

Patronem] Philosophum Epicureum.

Barones] Eleganter *apud Patronem et reliquos Patrones* emendare mihi visus sum. Urbanissime autem Cicero reliquos Patronis sodales, ac ejusdem sectæ velut contubernio junctos *Patrones* vocat. Ea enim figura veteres in talibus uti solent. Ita Juvenalis Sat. V. 149. Virronis congerrones, quorum ille sodalitio in primis delectabatur, quosque præ cæteris adamabat, *Virrones* vocat. *Virro sibi, et reliquis Virronibus illa jubebit Poma dari.* Horatius, *lib.* II. *Sat.* III. 61. Catieni collegas eadem ratione Catienos vocat. J. RUTGERSIUS. *Venusin. Lect.* 23.

Rem illam] Vide *Fam.* XIII. 1.

Ὑπομνηματισμὸν] Decretum.

Συμπαθῶς] Cum animi commoti significatione.

Νομανδρίαν] Vix alibi usquam id occurrit vocabulum, nisi quod in aliqua Græcarum vocum collectione est: Νομανδρία, *cœtus virorum pastoritius*; quasi sit hoc nomen substantivum; quod secus esse demonstrat ista Ciceronis oratio. Adjectivum est omnino, ejusdem formæ conditionisque ac Πολυάνδριος. Componitur ex vocabulo νόμος, quod *pastionem* significat, et *præfecturam.* Unde Νομάνδριος est vel *pastoritius*, vel *præfectorius.* Νομανδρία ἀγορὰ est *pastoritia concio, pastoritius cœtus.* Νομανδρία *excusatio* ea est, quam præfecti et publicarum rerum administri frequenter usurpant, ductam a negotiorum multitudine ac varietate. ANON. Eodem redit Mongalti nostri interpretatio, Locum hunc, inquit, explicat ille alter, supra, IV. 2. *Si forte rarius tibi a me, quam a cæteris, litteræ reddantur; peto a te, ut id non modo negligentiæ meæ, sed ne occupationi quidem tribuas,* &c. En illam ab occupationibus petitam excusationem, quam Cicero non vult accipi, ingeniosa eruditi hominis sagacitate exploratam. Aliorum commenta piget describere. OLIVET.

12 CICERO ATTICO SAL.

Ad Zostera] Promontorium Atticum. Strab. lib. IX.

Ad Ceo] Græcorum more, *Ceo* dixit quarto casu. BOSIUS.

Gyarum] Gyarus, aspera maris Ægei insula, in quam relegabantur Romani. Juven. *Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum.* GRÆV.

Scyrum] Insulam maris Ægei, Sporadum et Cycladum extrema. ID.

Delum] Nobilissima Cycladum.

Ἀκρωτηρίων οὔρια] Signa secundæ tempestatis ex vexillis in fastigiis navium et domorum.

Ut audivi] Accusatum de ambitu post consulatum. Accusatus autem erat et ante, cum esset candidatus. Ep. 2. lib. III. ad Q. Fr. MAN.

Συνηγανίων] Cum illo mœrebam.

Πολιτικώτερον] Accommodatius ad rationem tractandæ reipublicæ.

Meos] Scriptos de republica. *Thallumeto:* litteratus Attici servus. MANUTIUS.

De strue laterum] Vict. et Man. *salinarum.* Emendavi, *De strue laterum*, cum legissem in Tornæsiano et Crusellino, *de strues alterum.* Cogitabat Cicero de aquæ ductu lateritio faciendo, cujus generis quatuordecim fuisse Romæ tradit Procopius libro primo. BOSIUS.

13 CICERO ATTICO SAL.

Post pugnam Bovillam] Post Clodii cædem ultra Bovillas. Interfectus est Clodius, ut refert Asconius XIII. Kal. Februar. Cn. Pompeio III. Consule sine collega. Hæc scribebat Cicero anno proxime sequenti, Ser. Sulpitio, M. Marcello coss. Ab eo vero die, quo cæsus est Clodius, usque ad eum quo Cicero venit Ephesum, qui fuit XI. Kal. Sext. dies sunt quingenti et sexaginta: quam summam reperies, si duo et viginti

dies, qui eo biennio intercalati fuerunt, cæteris diebus annumeres, et ex Macrobio, et Censorino statuas tum menses hoc dierum numero constitisse, Januarium, XXIX. Februarium, XXVIII, Martium, XXXI. Aprilem, XXIX. Maium, XXXI. Junium, XXIX. Quintilem, XXXI. Sextilem, XXIX. Octobrem, XXXI. Novembrem, XXIX. et Decembrem, XXXI. Annus enim, antequam Cæsar fastos emendaret, erat tantum trecentorum et quinquaginta quinque dierum. Bosius.

Ostentationes] Horum verborum sententia hæc est: Et ostentarat se Cicero semper amicissimum ordini publicanorum, et semper item servire instituerat provincialium commodis. Nunc cum inter decumanos et provinciales male conveniret, periculum erat, quicquid inter eos decrevisset in provincia sua, ne in alterorum offensionem incurreret. Ait igitur, se usurum ea palæstra, quam ab Attico dicerat. Muret. Var. Lect. XIV. 11.

Pactiones] Inter publicanos, et provinciales de exactionibus, ep. seq. Corrad.

Thermoque] Q. Minucio Thermo proprætori, Ioniam regenti. Man.

Tradidi] *Tradere quempiam alicui* est, constituere ipsum apud illum, et quasi præsentem in manus porrigere, et dare. Erat autem Philogenes libertus Attici. Victor.

Apolloniensem] Ab urbe Apollonia, quæcunque ea fuerit. Nam ejus nominis multas Stephanus enumerat. Bosius. Hoc autem hic addit, quia alius Xeno Atheniensis, de quo ep. 10. et lib. XVI. Popma.

Edidi] Cum ei tantundem me dicerem redditurum, quantum a te accepissem. Ep. 13. Man.

De illo domestico] De filiæ, opinor, intelligit matrimonio. Idem.

De aqua] De qua, ut et *Philippo*, vide epist. præced. Græv.

CICERO ATTICO SAL. 14

Παράγγελμα ἐνιαύσιον] *Mandatum annuum*, hoc est, mandatum de annuo munere provinciali non propagando.

Appio] Cui succedo. Corrad.

Ἐνδόμυχον] *Arcanum*. Conjugium (opinor) Tulliæ, de quo supra. Jun.

CICERO ATTICO SAL. 15

Clavum anni movebis] Vocat Cicero clavum anni, indicem et notam anni incipientis ex eo die, quo provinciam ingressus fuerat: ut sibi eodem die anno vertente succederetur, atque ita clavus moveretur. Nam clavis parietibus impactis olim apud Romanos anni notabantur, ut a multis animadversum est. Bosius.

Amicus] Cæsar. Mongaltus.

Nomen] Significans legiones sine viribus esse et robore. Græv.

Mœragene] Latronum duce. Man. A quo Atticus aliquid, servi cujusdam fugitivi nomine, petebat, quem Mœragenes, ut conjicio, receperat. Jocose autem ait, *signis collatis*, quod cum esset cum imperio, omnia armis acturus videretur, et vi Mœragenem adacturus ad satisfaciendum Attico. Bosius.

Clitellæ bovi] Significat munus provinciale parum sibi accommodatum, et non satis dignum suis viribus esse, ut scribit in epistola ad Cælium: *Totum negotium non est dignum viribus nostris, qui majora in republica onera sustinere et possumus et solemus.* Bovi enim clitellæ non insternuntur, sed asino. Popma.

Tarde reddituro] Valet per eum qui tibi tarde reddet. Bosius. Fortasse, *redituro*. An tibi nunc plura scribam, qui non nisi tarde in urbem redituros es?

16 CICERO ATTICO SAL.

Ἐπικεφάλια] Tributum in singula capita. Ὠνὰς, possessiones.

Omnino eos tædet] Ita conjecit Malaspina, et Lambinus edidit. Nam legebatur antea, *Omnium nos tædet*, &c.

Forum agit] Quod ne ab iis quidem fieri solet, qui brevi tempore sibi successum iri putant: eo minus ab Appio debebat, qui posset jam suspicari, sibi esse successum. Ep. 6. lib. III. MAN.

17 CICERO ATTICO SAL.

Συμφιλοδοξοῦσιν] Simul gloriæ meæ serviunt.

Domestica et maxima cura] De collocanda filia. Ep. 4. et 14. MAN.

18 CICERO ATTICO SAL.

Et multa] Videbis. MAN.

Κεφάλαιον] Caput.

Inter cæsa, et porrecta] In ipso articulo discessus mei. Sumpta similitudine a sacrificiis, cum inter cæsa exta, et porrecta sinistri quid accideret, ne litari posset, sed instaurari sacrificium necesse esset. Verebatur Cicero, ne, quo tempore discessurus esset, eo tempore ejusmodi quid accideret, ne posset discedere. IDEM.

Συμπάθειαν] Doloris consensum.

Rem] Vide ep. 1. lib. VI. MANUTIUS.

Exhibeo pupillum] Ariobarzanem regem, qui mihi a senatu in tutelam est traditus, exhibeo creditoribus, ut exigant ipsi. IDEM.

Neque defendo] Tutores enim dicti, quia pupillos tueantur. Ego, inquit, jam non tueor; tutela me abdico. IDEM.

19 CICERO ATTICO SAL.

Messalam] Qui pro Atilio promiserat. Et *appellare*, verbum creditorum. Appellare autem quo tempore de ambitu reus erat Messala, hominis videbatur de humanitate parum laborantis. MAN.

Jam Romæ] Cum Romæ es. Jam enim profectum Atticum in Epirum existimabat. Et dixit, *jam*, quasi paucis ante mensibus natam. Posset etiam sic, nisi repugnarent antiqui libri, *jam mire jucundam*. Ea post uxor Agrippæ fuit, ejus, qui Pantheon, quod nunc quoque integrum magna cum admiratione spectatur, Romæ condidit. IDEM.

Valete Patron] Hunc locum ante aliquot annos ingeniose ex conjectura correxerat eruditissimus vir Claudius Puteanus, supremæ curiæ Parisiensis senator integerrimus: quam ejus emendationem eo usque probavi, donec mihi contigit codicem Decurtatum nancisci, ubi hæc ita exarata reperi, ut, quod ad sententiam attinet, Puteani confirment castigationem, aliquantulum tamen varient ab ejus lectione. Sic enim ibi leguntur, *etiam atque etiam valete Patron, et tui condiscipuli*. Audierat Cicero Atticum valde delectari filia, qua nuper auctus erat, eamque summo amore prosequi, qui amor a natura ipsa proficiscebatur: ideo cum in ea re illum animadverteret decreto Epicureorum adversari, qui negabant φυσικὸν εἶναι τὸν στοργὸν τὸν πρὸς τὰ τέκνα, hoc est, insitum esse natura amorem illum, quo quisque filios complectitur, festive Attici nomine valere jubet Patronem Epicuri discipulum, et cæteros ejusdem condiscipulos, quasi Atticus Epicuri sectæ renuntiaret. De hoc Epicuri decreto vide Arriani Epictetum. Bos.

De Tarentinis] Tarentini sunt equites, leves duos equos habentes, qui jaculis levibus irritabant quasi prælium instar velitum. Sic dicti non quod Tarenti conscriberentur, sed quod hoc genere equitum primi sunt usi Tarentini. De iis Ælianus Tacticis cap. 45. Suidas, Hesychius, Livius XXXV. 28. Polybius, lib. XI. et aliis locis. GRÆV. Adjungi poterat Stephanus Byzantinus, verbo Τάρας. Cæterum unus locum hunc bene intellexit Grævius, et illustravit. Turpiter alii se dederunt. MONGALTUS.

Eum] Hirrum, qui repulsam tulerat in ædilitatis petitione.

Cum sororis tuæ filii patruo] Mecum, qui sororis tuæ filio patruus sum. MAN.

Certaret] Respexit ad certamen de auguratu: de quo Fam. VIII. ep. 3. et 9. IDEM.

Τὸ νεμεσᾶν *interest* τοῦ φθονεῖν] Indignatio distat ab invidia: *indignari*, et *invidere*, non idem sunt. Respondet Cicero tacitæ objectioni. Gaudeo, inquit, nec tamen est, cur quisquam reprehendat. Non enim, quia lætitiam capio ex Hirri repulsa, propterea, si ædilitatem is esset adeptus, inviderem, sed indignarer potius. Jure igitur gaudeo: quoniam ab indignatione, non ab invidia, proficiscitur lætitia mea. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 20

Potui Ciliciam] Potui facere, ut de Cilicia fiat Ætolia, aut Macedonia, in quibus omnia erant celebria, et illustria, cum Ciliciæ loca sint obscura, et ignota. Helmst. *Non potui*. GRÆ.

Ἐν ἐπιτομῇ] Summatim.

Revellimus] Hoc puto dici: quæcunque Appius vulnera imposuerat, sanavimus. MAN.

Παπιὰ] Terrores panicos.

Τὰ κενὰ] Inanes belli terrores.

Laureolam in mustaceo] Jocatur. Quoniam mustaceis lauri folia subjicerentur, ut ait Plinius lib. XV. Mustaceorum confectionem Cato docet in L. de re rustica. Bibulus, triumphi cupiditate adductus, voluit cum obscuris, paucis, infirmis hostibus. confligere. MAN.

Eleutherocilicum] Ἐλευθεροκίλικον. Nam scribit Plin. in illis locis populos plures liberos fuisse, qui ne regibus quidem unquam paruissent. Vide ep. 4. lib. XV. Fam. CORRAD.

Ligurino μώμῳ] Quem hic notet parum constat. Nonnulli putant M. Catonem intelligi, severissimum hominem, cui satisfacere in reipublicæ administratione difficile esset: alii Hortensium oratorem et invidum ipsius; eumque ob gestus in agendo λιγυρούς, id est, argutos et stridulos, Ligurinum dici. POPMA. *Momo satisfacere*, proverbium in rebus difficillimis usurpatum. MAN.

Πεφυσίωμαι] Turgeo.

Λαμπρὰ] Splendida.

Ἐν παρόδῳ] *In cursu:* quasi enim præteriens, et alias res agens, belli Parthici cura occupatus, ἐν παρόδῳ regem Ariobarzanem, præsentibus insidiis circumventum, nec opinantem liberavi. MAN.

Ἀπρόσιτον] Non facilem aditu. Ἀλωβόλητον, Muneribus incorruptum.

Excitavi] Hoc dicit: rem Bruti desperatam restitui, quia rex, mihi tanto beneficio devinctus, pecuniam Bruto debitam, quam solvisset nunquam, me contendente soluturum se promisit. Ep. 1. et 3. lib. VI. MAN.

Est totum] In hoc omnia sunt. Sic locutus est ep. 4. lib. XV. Fam. ID.

Decrevit] Intelligit S. C. Marcello consule referente factum: quo senatus voluntas aperte significabatur de successore Cæsari mittendo. ep. 8. lib. VII. Fam. IDEM.

Quæ tu speras] Cæsarem senatus voluntati cessurum, provinciam successori traditurum. IDEM.

Incendio] Graviter fero de incensa Plætorii domo: sed eo minus molestum est, quod adusta simul est propinqua Leii domus, hominis non amici. Aut sic: eo minus moleste

fero Plætorium condemnatum, quod ex appendice judicii Plætoriani vocatus est Leius in judicium, *quo ea pecunia pervenerit:* ut Rabirius ex damnatione Gabinii. IDEM. Posteriorem sensum alteri præfert Mongaltus noster: ac merito quidem, ni fallor.

De Q. Cassio] Q. Cassio Longino; qui anno sequenti tribunus plebis cum Antonio collega ad Cæsarem profectus, propensum ad civile bellum impulit. Contentio igitur inter Lucceium, et Cassium, cum alter Pompeio, alter Cæsari faveret. IDEM.

Togam puram] Virilem togam, quam sumebat prætexta deposita, anno XIV. finite. *Jubeor*, a fratre meo. IDEM.

Moderabor] Ut minus modesto, minus continenti: qualem se postea Q. filius magis quotidie præstitit. IDEM.

Alexis] Attici servus amanuensis, Cur non litteras ipse ad me mittit, sicuti amanuensis meus Tiro ad te mittit? IDEM.

Κίρας] Cornu, instrumentum musicum. De hoc iterum epist. 1. lib. VI. *Phemius*, cantoris nomen apud Homerum.

27 CICERO ATTICO SAL.

Et libenter requiescere] Hæc delenda censuerant Ursinus, Muretus, Junius. Sed retinet Mongaltus, et ad ea refert, quæ leguntur epist. 19. *Vereor, ne in Epiro sollicitus sis non minus, quam nos hic sumus.* Videant Critici.

Cassius] Hic M. Crassi quæstor in Parthos est profectus: Crasso interfecto, collectis exercitus reliquiis, in Syriam profugit, quo Parthi postea cum irruissent, eos Antiochia, magna cæde edita, rejecit. MAN.

Εὐπραξίματι] *Prospero successu* nullo nostro, id est, non pulsi a nobis.

Provincia] Cyrrhestica, Syriæ parte, Ciceronis provinciæ proxima: epist. 18. *Nostra*, igitur, populi Rom. MANUT.

Legatos] Rectores enim provinciarum, sine successione decedentes, legatos, qui præessent, relinquebant. ID.

Ne intercessor] Vereor, ne S. C. ejusmodi fiat, quo tribuni ab intercessione summoveantur. IDEM.

Ἀκροτελεύτιον] Clausulam.

Acceperam] Alias, ab his, quas tu nauseans Buthroto dederas. Ac si dicat: Etsi ejus epistolæ mentionem facio unius, scito me tamen eas quoque accepisse, quas Romæ a Lentuli triumpho dederas. MALASP.

Γλυκύπικρον] Dulce amarum.

Hermoni] Liberto, aut servo. MAN.

Cybiratis] Quæ apud Cybiram urbem Ciliciæ ab incolis venandi peritis capiabantur. POP. Vide *Fam.* VI. 1. et lib. VIII. passim.

Julia lege] Quæ, transeuntibus, magistratuumque comitibus ut fœnum, aliaque, ab oppidis, et vicis sumministrarentur, jubebat. MAN.

Q. Titinio] Qui mihi legatum dedit L. Tullium. IDEM.

Idibus Febr.] Eorum officium qui provinciis præerant, in duas partes fuit distributum, potestatem, et imperium. Potestas dicitur facultas cognoscendi, et conficiendæ juris dictionis. Imperium, ducendi copias, et bellum gerendi. Hæc munera ita colebant, ut æstatem fere rei militari, hiemem dicarent cognitioni prætoriæ, quæ in juris dictione potissimum versabatur. SIGONIUS, *de antiquo jure Provinc.* II. 5.

Forum institueram agere] Ordinem exponit, quo ageret fora et conventus juridicos in iis regionibus, quas habebat in potestate. Habebat autem Ciliciæ adjuncias dioeceses sex; Cybiraticam, Apamensem, Synnadensem, Pamphyliam, Lycaoniam, Isauriam. Vide Sigonium *de ant. jure Provinc. lib.* II. Quoocirca commemorat *forum Cybiraticum, Apamense, Synniadense, Pamphylium, Lycaonium, Isauricum.* OLIVET.

Κίρας] Curabo, ut Phemio inveniatur mandeturque cornu aptum ac

probatum. De hoc eodem supra: *Phemio quæritur κέρας*. Infra, VI. 1. *Κέρας Phemio mandatum est*. De musico hoc instrumento, quod Græci κέρας, Latini *cornu* vocant, disserit Salmasius *in Solin. pag.* 123. *edit.* 1629; probatque, non differre illud a tibia, quæ Phrygia dicitur. Hinc apparet, cur dicat Cicero: cum illud agetur *forum Synnadense* (ad quod scilicet ventitare Phryges oportebat) *tum Phemio dispicium κέρας*. IDEM.

Lycaonium] Vocabulum hoc ex aliis erat editionibus ejectum. Sic habebant: *Dispiciam κέρας Aonium, Isauricum*, &c. Cornu *Aonium* intelligendum esse aiebant, ad musicos modulatus eximium; propterea quod sedes Musarum esset in *Aonia*. Quemquamne arbitramur fore hominem, qui subtilitatem hanc anteponat sanitati ejus scripturæ, quam a Mongalto expositam in contextum admisi? Non videbit lucere meridie, qui quam sit vera hæc emendatio non videbit. Annotationem eruditi ejus interpretis in hunc locum etsi non descripsi, ipsum tamen mihi in hac explicatione ducem fuisse gratus ac lubens agnosco. IDEM.

Posthumia] Ser. Sulpitii uxor, de qua Sueton. in Julio. Bos.

Torquato, in Lenio] Cui petenti, ut Lenio tuo præfecturam deferrem, negavi, quia Lenius negotiator. Epist. 1. lib. VI. MAN.

Syngraphæ causa] Si præfectus ideo esse vellet, ut ea potestate nummos a Salaminiis exprimeret; non esse, cur præfecturam peteret: me enim curaturum, ut exigeret. IDEM.

A me] De meo. *Solvere ab aliquo* est, delegare debitorem, seu jubere debitorem nostrum, quod nobis debebat, solvere creditori nostro, quod nos illi debebamus. *Observ.* I. 21. J. F. GRON.

Centesimas] Usuras, quæ singulis mensibus nummum, duodenos annuos in singulos centenarios pariunt. GRÆV.

Cum anatocismi anniversario] Scilicet incremento, hoc est, quicquid usurarum non solvissent, id singulis annis subduceretur, et sorti adjiceretur. Ἀνατοκισμὸς enim est, cum usuræ non solutæ sorti apponuntur, et in sequentem mensem, vel annum, velut sortis portio, et ipsæ usuras pariunt. IDEM.

Quaternas] Quaternæ centesimæ sunt, cum quatuor nummi menstrui pro usuris in centum poscuntur, qui quadraginta octo in annum faciunt. IDEM.

Lex Gabinia] Legis Gabiniæ hæc vis fuit, ne provincialibus Romæ versuram facere, id est, mutuum sub usuris sumere liceret, si fecissent, ne ex tali syngrapha jus redderetur. J. F. GRONOV.

Quod ex syngrapha] Lex Gabinia caverat ne ulli provinciali legato Romæ pecunia sub usuris mutua daretur: et ne magistratus provinciales ex tali syngrapha jus dicerent, si qui Romani apud eos quererentur de provincialium debitis non solutis. Senatus consulto autem illo cavebatur tantum ne multam legis Gabiniæ subirent, qui Salaminiis pecuniam dedissent, sub usuris mutuam; sed ut jus dicerent ex tali syngrapha proconsules contra legem Gabiniam non cautum erat senatus-consulto. IDEM.

Qua vi] Est, quo jure. Bos.

Ut eodem] Supple, revertar: nempe ad Scaptium.

In fano] Ne cogerentur amplius usuras solvere: et ita usura consisteret. Ep 1. lib. VI. CORR.

Contentus erat] Contentus erat futurus, cum quaternas plane desperasset. Nam tum quidem aperte ostendebat contentum se non esse. Tacite igitur sic ratiocinabatur Scaptius, ut contentus tum esset centesimis, cum de quaternis non succederet. Secum ipse videlicet ita loquebatur: De quaternis non impetro: quid agam? rem sic relinquere, e re mea est, impetrabo fortasse ab alio proconsule, Bruti gratia, cujus commendatio apud hunc minus valet, quam speravi: differam, cum in dila-

tione spes sit, neque tamen damni quidquam; quoniam usura non consistit, pecunia non deposita. MANUTIUS.

Avunculo] M. Catoni.

Perpetuo] Ne usuræ usurarum solverentur, sed centesimarum perpetuum esset fœnus, alio præterea fœnore non adjecto.

Ducerentur] In supputatione. Inde *Subduco*, et *rationes subducere*. IDEM.

Ὁδοῦ πάρεργον] Quasi *præter propositum*, interponam hoc de Lucceio. Vide Ep. 8. lib. III. ad Q. Fr. ID.

Novas] Quibus pecuniæ creditæ creditoribus condonari solent. CORR.

Duxerit] Id est, quod dies solvendi laxior paulo constituta fuerit. MALASP.

Plus] Tulit mali, perspicuum est subaudiri. MAN.

Ἐνδομύχῳ] *Domestico negotio*. Sensus est: probo idem quod tu, Postumiæ scilicet filium uxorem ducere Tulliam: aut, Postumiæ filio Tulliam nuptui dari, quoniam ille Pontidiæ filius nugatur. Postumiæ filium vocat filium Ser. Sulpitii, cujus uxor erat Postumia. Vide supra, ep. 4. BOSIUS.

Certum] *Cæterum* pro *certum* est in antiquo libro, et ita videtur legendum, interpunctionis nota ad verbum *scribas* posita. URSIN.

Quo die] In quem diem incidant mysteria. Nam intercalatio ordinem dierum mutabat. MAN.

Mysteria] Bonæ Deæ.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER VI.

1 CICERO ATTICO SAL.

Terminalia] Quæ x. vel, ut alii volunt, IX. Kal. Mart. fiebant. Ovid. lib. II. Fast. CORR.

Οἰκονομίαν] Ordinem in re domestica: μεταφορικῶς hic sumitur pro ordine, quem scribentes servamus. MANUT.

Equotutico] Apuliæ oppidulo, quod *versu dicere non est*, ut inquit Horat. Sat. 5. lib. 1. *Æquum Tuticum* Antoninus Augustus vocat. CORRAD. Scribendum, *et quas Equotutico*, &c. BOSIUS *Baluzianus*.

Non οἴχεται] Non periit.

Βαθύτητα] Vide lib. IV. Epist. 6.

Libertatem] Qua usus erat erga Scaptium, in negotio Cypriorum. Vide præcedentis libri epistolam ultimam. GRÆV.

Ὑπομεμψιμοίρους] Nonnihil querentes, leviter expostulantes.

Περοσανατρεφομένην] Recreatam.

Hanc] *Hæc* pro *hanc* habet antiquus liber; et ita videtur legendum. URSIN.

Sed] Ego sic separo, ut sit primum ἀποστώπησις, sed nunc odi, vel non amplius amo: deinde ἐπανόρθωσις, in qua secum nescio quid cogitare videatur: et mox dicat, *revocavi me*, ne dicerem, quod volebam, ne te offenderem. CORR.

Pollicebatur] Ob acceptum a me beneficium. MAN.

Sorte] Pecunia credita. IDEM.

Tutela] Mihi a senatu commissa, ep. 2, et 4. lib. XV. Fam. CORR.

Fœnus] *Fœnus et impendium pupilli recusare* est, nomine pupilli bonam copiam ejurare, seu jurare illius patrimonium esse neque sorti, neque usuris solvendis idoneum. J.F. GRON.

Intercessisse] Apparet, quam pecuniam Scaptius, et Matinius Salaminiis Romæ dederant, eam pecuniam et ipsos mutuam sumpsisse, sponsore Bruto. Nam, *intercedere*, verbum est de sponsionibus usurpatum. *Tantum se pro te intercessisse* dicebat. Phil. II. 18. MAN.

Cum renovatione] Cum anatocismo anniversario. Vide ep. 21. lib. V.

Catenis et... Bruti] Cyprus Catonis erat clientela: epist. 4. lib. XV. Fam. Item Bruti, quia cum avunculo suo Catone fuerat, cum is lege Clodia Cyprum insulam Ptolemæo regi ademit. IDEM.

Si huc Paulus venerit?] Si, inquit, acciderit, ut L. Paulus, qui nunc consul est, consulatu functus, huc proconsul mittatur: male cum Salaminiis agetur. Brutus enim contra eos omnia Scaptii causa impetrabit: quatenus dare cogentur. Erat autem affinis Bruti Paulus; quod ejus frater Lepidus Tertullam, Bruti sororem, habebat in matrimonio. ID.

Ἀκοινώνητος] Minime familiariter.

Cum eo] Est ea lege, ea conditione, cum hac exceptione, hactenus, dum tamen. Livius VIII. 19. *Laviniis civitas data, sacraque sua reddita, cum eo, ut ædes, Junonis communis Laviniis cum populo Romano esset.* Et mox: *Antium nova colonia missa, cum eo, ut Antiatibus permitteretur.* SCIOPPIUS.

Solvatur] Alii paulo aliter; sed eodem tamen redit sententia, quam sic interpretatur Malaspina: Tu me, Attice, vis Bruto morem gerere: sit ita ut vis, mos geratur: sed tamen cum eo, quod sine peccato meo fiat, quod et te arbitror velle. Ergo te ipsum rogo: ne ad Catonem quidem provocabo. Quid? si decrevero uti res Scaptio quaternis statim, ut Brutus contendit, solvatur: hoc meum decretum quale tibi videbitur? expersne culpæ atque peccati? MALASP.

Ἐγκελεύσματα] Hortationes.

Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ] Justitia et honestas mecum.

Sex libris] De republica. CORR.

Anci] Omnes mei veteres præter Decurtatum habent *Annii F.* ut et legitur apud Plinium lib. XXXIII. et Gellium lib. VI. Quia vero Annius nomen familiæ fuit, non prænomen, et filii a prænomine patris ostendebantur, idcirco Manutius illud *Annii* mutavit in *Cnei*, quo modo vulgo legitur apud Livium. Verum germanam lectionem nobis Decurtatus repræsentavit. Sic enim diserte scriptum habebat, *Anci filius:* quo pacto se legisse apud Gellium refert Sebastianus Corradus. Fuit porro *Ancus* prænomen Romanorum, quod Varro, ut scribit auctor Epitomes lib. X. Valerii Maximi, a Sabinis translatum putabat, ipse vero Valerius e Græcia ejus originem repetabat, quod cum cubitus Græce ἀγκὼν vocaretur, illi prænomen *Anci* imponi soleret, qui cubitum vitiosum haberet. Bos. *Baluz.*

Ante decemviros] Qui teste Livio creati sunt anno U. C. 302.

Istam tabulam] Flavius scriba, cum populus, qui dies aut nefasti, aut fasti essent, ignoraret, eorumque notionem a jurisconsultis peteret, ipse fastos circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur. Quo beneficio populi gratiam, indeque curulem ædilitatem, libertino patre natus, obtinuit. MAN. Vide orat. pro Murena, cap. 11.

Οὐκ ἐλαθε σε] *Non tibi latuit, non te fugit.* Quid sit autem illud *de gestu histrionis*, frustra quæras, cum sit nihil infra, quo niti conjectura possit. Videtur tamen respicere aliquid, quod fuerit a Tullio positum in libris de republica, ut vult Mongaltus noster. Fortasse, quæ ibi *de gestu histrionis* legerat, cadere in Hortensium Atticus suspicabatur. OLIVET.

Ἀφελῶς] *Simpliciter*, ita, ut neminem morderem. CORR.

Placere] Ut Tullia nubat equestris ordinis viro, sicut ante fecit. Itaque malo procum de quo Pontidia dixit, quam illum de quo Servilia, quorum alterum Atticus suspicatus erat fuisse C. Memmium, ante exi-

lium: post errorem suum correxit, et alium esse scripsit; qui Ciceroni sic placebat, ut nihil negotii fuerit ipsum in eam sententiam adducere, ut de illo uno cogitaret: alter Servii Sulpitii et Postumiæ filius. Vide lib. V. ep. 24. Popma.

In tuum veterem] Tu Cicero filiam alicui ex equestri ordine collocasses, relictis patriciis. Corr.

Bursa] T. Munatio Planco Bursa, ep. 2. lib. VII. Fam. Qui mihi diem dicere cogitarat. Ascon. in Orat. pro Milon. Idem.

Furnii exceptio] Furnium tribunum plebis (ep. 18. lib. V.) Ciceronis studiosum, legem opinor tulisse de rectoribus transmarinis, nisi Parthus moveret intra Quintilem mensem, eos posse decedere. At id ipsum tempus Cicero timebat, ideoque exceptionem illam minime probabat. Volebat autem omnino ferri, ut annuo imperio terminato decederent. Man.

Dissimulantem] Quod Atticus Pompeio attribuerat, cum ita scriberet, *in Pompeium vel dissimulantem*, &c. Bosius.

Οἰκονομία] Ordo, et dispositio rerum, quæ scribuntur. Man.

Σχεδιάζοντα] Fortuito, repente, et nullo ordine scribentem. Corr.

Alter] Frenis egebat Quintus, ut ingenio valens plus etiam quam satis esset; calcaribus Marcus, ut tardior. Manutius. Vide *Orat.* III. 9. *Brut.* 56.

Liberalibus] XII. Kal. Apr. Ego, inquit, Liberalia sic observabo, quasi intercalatum non sit; suo, inquam, die, observabo, quando mihi est ignota intercalatio. Idem.

Vellem] Vellem haberet Scrofa provinciam, quam Cato repudiavit, ut posset edere specimen integritatis suæ. Est enim provincia lautum ad hoc negotium. Nam cæteri, qui ambiunt illam provinciam, non sic ut Cato illam administrarent, et ideo non tam digni sunt, ut illi sufficiantur, quam Tremellius Scrofa. De Catonis repudiatione provinciæ ex prætura oblatæ meminit Plutarchus in vita ejus. Popma.

Causam] Ne patiatur mihi provinciam prorogari. Ep. 13. lib. V. Man.

De Amiano] Hi tres, Amianus, Terentius, Mœragenes, videntur Attico pecuniam debuisse. Et quod sequitur, *spei nihil*, explano, de exigenda pecunia. Idem.

Rhosiaca] Rhosus urbs erat sita in sinu Issico; de qua Strabo, et Plinius. Id oppidum celeberrimum erat vasis fictilibus, quæ ibi fiebant. Ideo Atticus volebat aliquot inde sibi curari, quæ Cicero scribit se mandasse. Bosius.

Lancibus] Jocus, quia scripserat Atticus, vasis fictilibus se esse usurum. Quid, inquit, cogitas? *in lancibus, et splendidissimis canistris* oluscula apponebas, iisque nos pascere solitus es, cum præterea nullum esset obsonium: in vasis fictilibus, quæ humiliora sunt, quid appones? certe viliora esculenta. Manut.

Κίρας] Vide lib. V. epist. 21.

Aliquando commoveatur] Aliquando Parthici belli curam suscipiat. Quod non esse confectum, ex Bibuli litteris intelliget: contra quam Cassius scripsit. Epist. 21. lib. V. Man.

Quadringenarias] Quæ quadringenos milites contineant: qua ex ratione XXX cohortes, erunt XII peditum millia, quibus si duo equitum, ut sequitur, millia conjungentur, duæ legiones fient, quas Dejotarus, ut scribit Cæsar, disciplina, atque armatura Romana complures annos constitutas habuit. Corr.

Nimis gravi] Sic edixerat Bibulus de pactis conventis inter publicanos et provinciales; *Pacta conventa inter publicanos et provinciales, quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt, servabo.* Hanc exceptionem, *quæ nec vi, nec dolo malo facta erunt*, scripserat Atticus nimis gravis esse præjudicii in ordinem equestrem, cujus erant publicani, quod eos quodammodo argueret et vis, et doli mali. Nec enim prætores eam adjecissent, nisi suspicio fuisset publicanos quædam ge-

rere consuevisse vi, et dolo malo. Proinde Cicero honori et existimationi ejus ordinis consultum cupiens de Bibuli edicto eam exceptionem sustulit, ejusque loco aliam ejusdem vis, sed tectiorem ex edicto Asiatico P. Mutii responsit; et sic rem verbis temperavit. Bos.

Ἰσοδυναμοῦσαν] Vis ejusdem.

Διαίρεσιν] Distributionem.

Magistris] Auctionum.

Ἄγραφον] Non scriptum.

Peregrinis] Qui non essent Romani.

Αὐτονομίαν] Facultatem, libertatem utendi suis legibus.

Vestri enim] Ironia. Vos etiam Romæ graves habetis judices, Turpionem sutorium et Vettium mancipem; utrumque sordidissimi quæstus. Popma.

Τὸ παραδοξότατον] *Præter opinionem, et maxime mirandum.* Quod usuras, quas pepigerant, grandes nimis et centesimas excedentes, servaverit Servilius vir severus. Græv.

Μηδὲν αὐτοῖς] *Nihil ipsis curæ est.* Supplendum μέλει.

Scis reliqua] Quæ perficiunt Græcam sententiam. Man.

Ὦ πραγμάτων διαγελάστων] *O perturbatum rerum ordinem*, quo tu uteris in litteris tuis. Man.

Scipio hic Metellus] Constat ex Dione, Scipionem hunc Metellum, qui a Q. Cæcilio Metello Pio adoptatus est, Scipionis Nasicæ fuisse naturalem filium: ita ut avum habuerit, Scipionem Nasicam eum, qui consul fuit cum D. Calpurnio Bestia, anno U. C. DCXLII. proavum, P. Scipionem Serapionem: qui consul quidem fuit, censor non fuit: quod Scipionem Metellum ignorasse, et vehementur miratur Cicero et irridet. Ignorasse autem se declaravit Scipio, tum ex sermone quem habuit cum Attico, in quo forsan Ciceronem apud eum reprehendebat, quasi in suis libris negasset censorem fuisse: tum ex duabus ipsius Serapionis statuis, altera ad Opis, altera ad Pollucis posita, hoc intelligere potuerit: in quarum neutra censor, in utraque consul tantum scriptum legatur; cum omitti decus illud nec debuerit nec soleret: tum, denique quod Africani statuam censoriam, in Serapionis inscriptione posuerit, ac si ipse quoque Serapio censor fuisset: nihilque referret, utrum Africani imago, Serapionis inscriptioni imponeretur, an hujus in Africani. Quæ inscitia Ciceroni eo turpior visa est, quod animadvertere potuerit, post Nasicæ consulatum, non modo Nasicam ipsum, censorem factum non fuisse, sed ne Cornelium quidem aliquem illo vivente. Mal.

Per te posita] Attici opera, antiquitatis totius peritissimi, hisce in rebus multi usi sunt. Idem.

Πολυδεύκους] *Pollucis.* Supple, templum.

Turma] Apte multitudinem statuarum equestrium *turmam* vocat: nam equitum est turma proprie, ut *caterva* peditum. Anon.

Serapionis] Nempe Africani statua imposita fuerat basi, quæ destinata statuæ Serapionis, ei convenientem habebat inscriptionem. Idem.

Ο ἀποτροπιαίαν] *O historiæ inscitiam.* Gruterus illud *O*, litteris Romanis edidit, non Græcis. Et recte quidem. Non enim Græca uti oratione, vel phrasi Tullius voluit, sed Latina, etiamsi Græcam adhibuerit vocem, quoniam sic brevius dicebat venustiusque, quam si scripsisset, *O! ignorationem historiæ turpem.* Idem.

Ἠπόρησας] Dubitasti.

Τὸν τῆς ἀρχαίας] Illum (Eupolim) ex veteri comœdia celebrem.

Τί λοιπόν] Quid superest?

Πολλοῦ] Multum quidem abest.

De M. Octavio] Ep. 21. lib. V.

Civitatibus] Scripserat ad Ciceronem Cælius, ut et pantheras sibi mitteret, et M. Feridii agros, *Fam.* VIII. 9, qui civitatibus fructus penderent, immunes esse vellet. De agris respondit Cicero; "*In mea provincia nihil* "*cuiquam adimitur, nisi si quid quis de-* "*beat.* Nam, creditoribus ut satisfiat, "volo. Itaque non est, quod petas, ut "civitatibus adimam fructus, qui ex

"agris capiuntur. Ac miror, cur pe-
"tas: cum Romæ audire possis, nul-
"lum in mea provincia nummum,
"nisi in æs alienum, erogari. Quod
"si non auditur, meaque sunt obscura
"facta, ut tanquam in tenebris la-
"team, moleste fero." MAN.

Lepta] Præfectus fabrum. CORR. Liber unus Ms. habet, *lecta tua epistola Dionysius gaudio exultat*. LAMBINUS.

Quem quidem nunquam] Vulgo, *quem jampridem nunquam*: sed ut repugnantia tollatur, quæ est in *jampridem*, et *nunquam*, emendavit Malaspina, uti nos edimus, Lambini audaciam hoc loco imitati. OLIVET.

Litteras] Victorii lectionem exhibemus, nisi quod ille *habuit*, nos *habuisti*. Sic enim locum hunc refinxerat Muretus, ab aliis aliter corruptum. Bosius vero legendum denique censuit, *Litterarum datarum dies prid. Kal. Jan. suavem habuit*, &c. ut ostendit codex Baluzianus, de quo in præfatiuncula diximus. IDEM.

Jurisjurandi] Rempublicam atque urbem mea unius opera esse salvam. Vide *Fam.* V. 1. *Orat.* pro Domo, &c.

Ἀπαγγιφώνητον] Sine responsione.

Potuit] Vendere: nisi forte sibi retinet animi causa: solet enim ibi se cum suo servulo tibicine oblectare. MANUT. *Potuit* proscribere, ut æs alienum dissolvat, quod ante contraxit: *nisi forte* aliquid parsimonia ex aliquo tempore comparserit. *Solet enim* jam non cum amplissimis viris, ut ante, convivari, sed *cum suo tibicine* versari. JUNIUS.

Ære] Ita Gruterus, ex Bosii conjectura: nam, *præ re*, habent Mss.

Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι] *Veriti sunt quidem recusare, timuerunt autem accipere*. Iliad. H. 93. Similiter obæratos dicit Sextium et Cælium, et in illos omnes convenire versum hunc, quod veriti essent a Pompeio et republica dissentire: timuissent autem a Cæsare, etiamsi propter æs alienum cuperent, pecunias accipere: sicut fecit Curio. POPMA.

Restituendo] De exilio Patrensi. Ep. 19. lib. XIII. Fam. CORR.

Nomine] Pecunia ab Egnatio exigenda. MAN.

Minori] Scilicet epistolæ.

In Nemorensi] Cæsar ædificabat villam sumptuosissimam in nemore Aricino, sacro Dianæ. POP. Jocatur Cicero in solutionem a Cæsare factam Attico, et aliis ipsius Cæsaris creditoribus, qui illum ita importune appellarant, ut coactus fuerit nummos eis, dinumerare, quos ædificando Nemorensi reservarat. BOSIUS. *Diligentiorem*, est parciorem in faciendis sumptibus. GRÆV.

Legem] C. Scribonius Curio tribunus plebis lege definierat jumentorum, vehiculorum, et servorum numerum, quibus singuli cives Romani ad iter faciendum uterentur: quam legem Viariam appellat Cælius in epistola quadam ad Ciceronem. In eam legem committebat P. Vedius, quod cum pluribus vehiculis et numerosiore familia iter faceret, quam ea lex pateretur. Idcirco scribit Cicero eum pœnæ nomine H-S. centena pensurum, si ea lex perlata fuerit a Curione. BOSIUS.

Cynocephalus] Fuerunt Cynocephali e simiarum genere, de quibus vide Salmasium ad Solinum. GRÆV.

Res] Hereditas. Liberti enim patronis, et patroni æque libertis heredes erant, cum aut intestati, aut sine filiis obiissent. Sin gentilis erat, de gentilitia hereditate accipiemus. MANUTIUS.

Bruti] Alludit ad cognomina Bruti et Lepidi. M. Brutus, inquit, homo brutus et stolidus, qui Vedio familiariter utitur, nec animadvertit sororem suam propter illum adulterii suspectam esse: Lepidus vero, homo lepidus et facetus, qui tam turpem suspicionem in uxore leviter curat, et negligenter fert. Duæ autem fuerunt sorores Bruti; una Junia, uxor M. Lepidi postea triumviri; altera Tertia sive Tertulla, nupta C. Cassio interfectori Cæsaris. POPMA.

Παριστορῆσαι] Obiter scire.

Προπύλαιον] *Vestibulum*, ut esset in urbe celebri monumentum nominis sui. MAN.

Post Leuctricam pugnam] Quam *Bovillam* dixit, lib. V. epist. 13.

CICERO ATTICO SAL. 2

Id consilium] Consilium Quinti fratris de dimittenda Pomponia, Attici sorore. Statius autem Quinti libertus. MAN.

Illum autem] Quintum. IDEM.

Chæronis] Chæronem loquentem induxerat Dicæarchus in libris περὶ τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως. Athenæus. MANUT.

Ἱστορικώτατος] Historiæ peritissimus.

Νεόκτιστα] Nuper condita.

Τῷ τῶν νεῶν] Navium enumeratione, Iliad. lib. II.

Transtuli] In libros de republica, ad quos pertinebat disputatio de commerciis et mercatibus civitatum, quibus maritimæ magis abundant et pollent, quam mediterraneæ: quod ipsum etiam disputat Aristot. in suis Polit. lib. VI. et VII. POPMA.

Ut habeas] Ut corrigas. Nam *Phliuntios* non recte scripseram, analogia deceptus; quod ut ab Ὀποῦς, Σιποῦς, Ὀπούντιοι, Σιπούντιοι, item Phliuntios a Φλιοῦς deduci putaveram. MAN.

Αὐτονομίαν] Facultatem suis legibus vivendi.

Ὑπερβολικῶς] Supra modum.

Imperita] Ita Vict. et Man. sed Bosius, *impetrita*: Popma, *impœnita*: Lamb. *impedita*, ut conjecerat Corradus. Sed a Victorio cur discedatur, non video.

Provinciales] Difficiles, qualibus uti solent alii, qui provinciis præsunt. CORR. Vide ep 1. lib. I. ad. Q. Fr.

Militia] Cum fui candidatus.

Emerentur] Hoc est, explentur. Inferius ep. 5. hujus lib. *annuum tempus prope jam emeritum habebamus*. CASAUB.

Constantia] Intercessionis. Vide ep. lib. VIII. Fam. CORR.

Scaptio] Vide lib. V. ep. 21.

Auli lex] Auli Gabinii. MAN.

Tenera] Hoc est, parum munita, et injuriis opportuna. CASAUB.

Nepos] Miratur Cicero, cur turmas equitum potius velit Scaptius, quam peditum cohortes, cum in illis alendis majores sumptus facere oporteat: quasique jocans dicit (ut putamus) *sumptu jam nepos evadet Scaptius*, cum primum avarus ut fœnerator a nobis haberetur, nunc repente prodigus et sumptuosus factus est. VICT.

Principes] Cypri. *Scio*, ἱερωτικῶς: ex hoc, inquit, judica, *&c.* MAN.

Sed] Ἀποσιώπησις. Quasi innuat Cicero Cælium non venturum, aut tale quid. BOSIUS.

Pammenia] Sunt negotia illa *Pammenis*, de quibus supra lib. V. sub finem epist. 20. JUNIUS.

Εὐήθειαν] Fatuam simplicitatem.

Vestorii] Cui controversia fuerit cum homine tam fatuo. Vide supra, V. 2. et *Fam.* VIII. 7. MAN.

Nostram] Malim, *Cæciliam* nostris *jubebis litteris*. MURET.

CICERO ATTICO SAL. 3

Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ νότος κυλίσθει κύμαν' εὐρείης ἁλός] *Multos vero in medio auster volvit fluctus lati maris*. Proverb. ingens intervallum: et multa in medio. CORR.

Quæstorem] Cælius nondum venerat. Mescinium igitur intellige. MAN.

Tagax] Sic emendat Cujacius noster. Unde autem ducta sit vox *tagax*, in promptu est. Significatione quadam obscura: quod si cui est, discat ex Festo, cujus hæc verba sunt: *Tagax, furunculus a tagendo dictus: cujus vocabuli Lucilius meminit: Et mutone manum proscribere posse tagacem*. Dicebant autem *tago*, veteres, pro, *tango*. LAMB. Ita quoque ex Tornæsiano Bosius. Alii, *salax*: alii, *rapax*.

Nugarum aliquid] Levem homi-

pem Mescinium. Non pius, si fratrem relinquo; non diligens, si quæstorem, rei militaris expertem. MAN.

Toto negotio nobis opus non fuit] Id est, toto hoc negotio carere nos oportuit, nullamque provinciæ hujus partem attingere. Sic infra: *Totis igitur litteris nihil opus fuit;* quod est: Prorsus scribendum non fuit. MALASP.

Provincia] Epirotica negotiatio. MANUT.

De Curione, de Paulo] C. Scribonio Curione tribuno plebis, L. Æmilio Paulo consule, utroque Cæsaris causam defendente, accepta grandi pecunia. MAN.

Scaptius] Lib. V. 21. VI. 1. 2.

Præsture] Præstare aliquem dicimur, cum efficimus, ne quid is committat secus, quam volumus: ut ad Q. fr. *Ego Messalam Cæsari præstabo.* MAN.

Scaptio] Fuerunt enim duo Scaptii amici Bruti: unus negotiator in Cilicia, et præfectus Appii in Cypro; alter negotiator in Cappadocia. POPMA.

Canis] Scio *canis* posse defendi ex historia: mihi tamen magis placeret *causa*, ut est emendatum in libro viri doctissimi, ? URSIN.

Culleolum] Fam. lib. XIII. ep. 41. scribit ad L. Culleolum provinciæ præfectum: sed, hic alium, nullius pretii hominem, videtur intelligere. MANUT.

Oratione] Alii legunt *operatione:* Bosius, *obiratione:* Junius, *ratione.*

Ἀλοιτόμητον] Alienum a familiari consuetudine.

Granius] Granius, inquit, quem potentiores despiciebant, ipse se non contemnebat, sed plurimi faciebat: idemque reges oderat superbos, hoc est, magnates illos, qui ipsum despectui habebant. Hic Cicero sibi partes sumit Granii Luciliani, ut Bruti fastum, et arrogantiam retundat, usurpatque versus Lucilii, quos in ore frequenter Atticus habebat. BOSIUS.

Gladiatoribus] Hoc est, cum ludi gladiatorii ederentur Laodiceæ. GRÆV.

Nihil amplius] Ad cœnam vocavi, quod esset Hortensii filius: aliis eum officiis non sum prosecutus, ne pater, cui scio odiosum, invisumque esse, moleste ferret. MAN.

M. Servilium] De repetundis accusatum. Ep. 8. lib. VIII. Fam. CORR.

Si nihil] Si nihil sit, inquit, quod scribas, volo tamen mihi nunties vel per tuum tabellarium, nihil fieri. BOSIUS.

4 CICERO ATTICO SAL.

De conditione] De nuptiis.

Μυστικώτερον] Secretius.

Τῆς δάμαρτος] *Uxoris meæ libertus (nosti quem dico) visus est mihi dudum e verbis, quæ inconsiderate effutiebat, turbasse calculos, ex coemptione bonorum Crotoniatæ tyrannicidæ*, hoc est, T. Annii Milonis, qui Clodium occidit, *Timeo, ne id adhuc non intellexeris. Unus nimirum hoc ubi consideraveris, reliqua in tuto pone.*

5 CICERO ATTICO SAL.

Quam si domi esses] Quam si esses Romæ: et tamen minus a me aberas, in Græcia cum esses. MAN.

Τῆς ξυναίρου] *Uxoris meæ libertus, visus est mihi sæpe garriens et errans in conciliabulis et circulis, quodam modo conturbasse rationes in bonis Crotoniatæ.*

Ἐξ ἄστεως] *Ex urbis septicollis mœnibus* (id est, Roma) *Camillo edidit* (Philotimus libertus uxoris meæ) *rationes XXIV. minarum, et XLVIII. minarum æris alieni* (ab uxore scilicet contracti) *seque debere XXIV. minas ex bonis Crotoniaticis* (hoc est Milonis) *et Chersoniticis* (in Cherso-

neso exactis) *XLVIII. et quamvis ex hereditatibus, quas adierit, redegerit bis sexcentas et quadragenas, se tamen æris illius alieni ne obolum quidem dissolvisse, cum jam debeantur a Kal. secundi mensis: libertum autem ejus, qui idem, quod Cononis pater* (Timotheus) *nomen habebat, nihil curasse. Primum igitur hoc, omnia ut serventur: alterum, ut ne usuras quidem negligas, quæ debentur ex die supra posito. Per eos dies, quibus illum pertuli, magno in timore fui. Venerat enim explorandi causa, atque aliquid sperabat: qua spe frustratus abiit temere; sic fatus: Concedo; Turpe est diu manere, &c.* ex Hom. Iliad. B. 298.

Quantum fieri potest] Lego, *quantum potest, perspice. Nos etsi, &c.* Bosius. *Baluzianus.*

Molestus] Non rogabar, ut subsidio venirem. Fam. lib. II. ep. 17. Man.

De omnibus rebus] Ut de filii auguratu, aliisque rebus, potius quam de bello.

Ἀελιθέτως] Sensim, clam.

Ἄλλο πρόβλημα] Alia quæstio.

CICERO ATTICO SAL. 6

Accusatoris] Dolabellæ. Manut.

Egerat] De Tulliæ conjugio. Et Nero hic est, opinor, de quo Fam. lib. XIII. ep. 63. et 64. qui Tiberii imperatoris pater fuit. Idem.

Ἐξακανθίζειν] Proprie *spinas vellere et colligere.* Hic spinæ sunt Dolabellæ vitia, quæ non vult ex superiori ejus vita colligi. Idem.

Πυρούς] Frumenta in populum.

Placet hoc tibi?] Elegans usus verbi *placet.* Cum in manifesto peccato aliquem deprehenderant, ita ut ne ipse quidem factum suum defendere posse videretur: ita eum interrogabant: *Placet hoc tibi?* Sic Thais Terentiana deprehensum Chæream leviter objurgans; *Satin' hoc tibi placet?* Tibullus in carmine obscœno: *placet....qui sub arborum coma,* et quæ sequuntur. Piget enim adscribere. Muret. *Var. Lect.* XV. 8.

Libri] De republica, in quibus improbavi largitionem in cives: videtur enim ad tyrannidem spectare. Manutius.

Πρεσπύλῳ] Vide hujus libri ep. 1.

Ἐπέχειν] Dubitare, assensionem retinere. Ἐποχῆς, dubitationis.

Triennium] In Asia.

Ad populum] Dicerem, afferrem, cum excusarem me, quod fratrem provinciæ non præfecissem. Tibi autem alias causas exponerem. Dicerem enim, timuisse me, ne quid in provincia Quintus committeret iracundius, &c. Man.

Non dimittebat] Mansisset igitur in provincia cum patre, facileque quia puer, et puer bene sibi fidens, commisisset, quod esset nobis magnopere dolendum. Idem.

Id censere] Dimittendum. Idem.

Non dico equidem quid egerit] Legendum est: *Non dico equidem quidquid egerit.* Muret. Var. Lect. XV. 8. Melius in Mss. *Sed tamen quod egerit, multo minus laboro.* F. Ursin.

Ut etiam] Manutius, *aut etiam inquirerem in eum, &c.* Ut sit sensus: Ne inquirere quidem in eum debui, nedum non relinquere.

Hoc melius] Quod quæstorem potius, quam fratrem, reliquerim. Man.

Librarii tui] Hoc est, quas non tu, sed tuus, dictante me, scripsit librarius. Nicanor, ut videtur, quem secum adduxerat Cicero. Atticus vicissim litteras non raro scribebat Ciceronis nomine. Mongaltus.

Παλιγγενεσίαν] *Alterius* quasi *vitæ instaurationem,* propter exilium. Man.

CICERO ATTICO SAL. 7

Ἐν αἰνιγμοῖς] Ænigmatice.

Ἀφελῶς] Simpliciter.

Apud duas civitates] Deposuit Laodiceæ, et Apameæ, totidemque verbis ad ærarium retulit. *Fam.* V. 20. Man.

Puerorum] Ut inde Cicerones pueros secum deduceret. Lib. V. ep. 18. et ep. 17. lib. II. Fam. IDEM.

In supplicatione] Quæ triumphi pene semper prærogativa est. CORRADUS.

8 CICERO ATTICO SAL.

Opportunitate Piliæ] Quæ tibi obviam progressa, opportune advenienti occurrerit. MAN.

Exercitum] Anno insequenti petendi consulatus causa. Cum enim lex esset, ut absentes consulatum petere non possent, obtinuerat Cæsar decem tribunorum rogatione, consule Pompeio, ut et absens, et cum imperio posset petere. MAN. Scribendum, *Cæsarem exercitum*, &c. BOSIUS *Baluzianus*.

De illo] C. Hirro qui repulsam tulerat ædilitate curuli, victus a M. Cælio, ut in petitione auguratus a Cicerone, cui se solitus erat anteferre. Fam. lib. VIII. ep. 9. POPMA.

Aphractus] Quo tum periculose, tum tarde navigavimus. MAN. Quid ἄφρακτον, vide supra V. 11.

Conscendentes] In navem scilicet. Nam sine adjectione navis, sic *conscendere* Cicero usurpat: GRÆV.

Rauduscuło] Forte, quod pecuniam dissolveris. Vide Ep. IV. 7. MAN.

Hospes] Alii, *hostis*. Plus est, quam, *dum unus hostis*: cum non modo hostes, sed et hospites, Bibulus timuerit. IDEM.

Domo sua] Cum domo consul se tenuit metu Cæsaris collegæ. IDEM.

Αἰσχρὸν σιωπᾶν] *Turpe tacere*. Versus Euripidis in Philocteta. Vide lib. III. de Orat. cap. 35.

Multa] Supple, vel scripsi, vel scribenda superessent mihi.

9 CICERO ATTICO SAL.

Cum exissem] E navi. CORRAD.

Servo meo] Lege: *Statore meo*. MURET. Var. Lect. XV. 8.

Σύγχυσιν] Confusionem.

Παραφύλαξον] *Observa*, si me amas, *conturbatoris* Philotimi *cupiditatem quam maxime*: et cura, ne Præcianam hereditatem attingat. Vide *Fam.* XIV. 5.

Κενὸν] Inanem. Ἄτυφον, sine fastu.

Ἐπίχειν] Assensum sustinere.

Ἀθέτησις] Improbatio.

Τοῦμὸν ὄνειρον ἐμοί] *Meum mihi somnium*: subaudi, *narrabas*.

Ἐπιχρονία] *Diuturna tua dubitatio* fecit, ut non amplius dubitarem.

Referaturne] A censoribus ad senatum, ut S. C. fiat de sumptu signorum, et tabularum coercendo. Fam. lib. VIII. epist. 14. MANUT. Nostri, *referantur*. Ut puto, melius. Solebant enim ædiles, tabulas signaque et alia ornamenta a civitatibus atque hospitibus, mutuo accipere, ad magnificentiam ornatumque ludorum, quæ postea dominis referenda curarent. Quidam tamen, ut fit, per simulationem ædilitatis accepta, domum deinde atque in hortos suos avertentes, restituere negligebant. Huic quasi latrocinio, censores providere volentes, suis restitui jusserunt. Itaque Cicero, num referantur, quærit. MALASP.

Legiones] Adducturus erat. CORRADUS.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER VII.

CICERO ATTICO SAL. 1

Philosophi] Philosophus enim Saufeius ex hæresi Epicurea: et omnes philosophi, quia præter sapientiam nihil curent, tarde solent ambulare; tardissime autem Epicurei, quia molles. MAN.

Φιλοτιμία] Vulgo *ambitio*, sed hoc loco *Philotimi actio*.

Turannius autem] Hæc particula causa fuit olim, ut ego putarim hunc locum totum ita legendum esse. *Cur fratrem provinciæ non præfecissem, breviter exposui: Turannius autem secus tibi Brundusii dixerat, quod ex his litteris cognovi, quas.... accepi. Hæc &c.* CORR.

Πρόβλημα] *Quæstionem* ad me unum pertinentem, utram partem eligam, Cæsaris, an Pompeii. MAN.

Ἀλλ' ἐμὸν] *Sed mihi nunquam persuasisti patria quidquam ulli sua dulcius esse.* Odyss. I. 34.

Cum altero vincere] Cæsare, qui patriam velit oppugnare. CORR.

Dic] Sensus est: cum rogabor sententiam, dicamne ut me expectent, dum te consulam? Nugæ. Non enim erit locus ad tergiversandum. Statim enim cogar dicere, quid sentiam. Dicam igitur contra Cæsarem, ne absentis ratio habeatur, cui dexteram dederim, fidemque meam obstrinxerim? Non possum. Nam ut ei liceret, adjuvi rogatus ab ipso Ravennæ: ab ipso autem? etiam a Cneo nostro in illo divino consulatu. Aliter sensero; et cum non possim tacitus præterire, nec dicere contra Cæsarem, pro Cæsare locutus fuero: αἰδέομαι non solum Pompeium, sed reliquos etiam cives, teque ipsum in primis laudatorem factorum et scriptorum meorum. MALASP. *Dic, M. Tulli*, est solemnis formula qua consules utebantur in rogandis sententiis. Vide Brisson. de Form. lib. II.

Densæ] Junctæ et implexæ. POP.

De Cælio] Ut M. Cælium, amicissimum meum, tribunum plebis inducerem ad legem ferendam de habenda Cæsaris absentis ratione. MANUTIUS.

Αἰδέομαι] *Vereor Trojanos et Trojanas. Polydamas mihi primus probrum inferet.* Iliad. Z. 442.

Marcellorum] Quia profectus est ante in provinciam, quam M. Marcellus referret de successione Galliarum. Et anno proximo, consule C. Marcello, de provincia decedens, tamen ad urbem non pervenit, tribus mensibus in itinere consumptis. MANUTIUS.

Extra] Nam triumphare volenti urbem ingredi non licebat. CORR.

Ὁδῷ πάρειμι] Obiter.

Ἐπίκηρα] *Caduca*, quæ cito fluxerint, et evanuerint.

Ἐκβολὴ λόγου] Orationis egressio.

Εὐπαρέιστον] Parabilem.

Plus decrevit] Quia, cum mihi supplicationem non decerneret, tamen in sententia sua summis me laudibus ornavit, cum diceret, innocentia potius, et mansuetudine mea, quam vi militum, aut benignitate deorum, provinciam esse servatam. Is autem fuit M. Cato, ut Fam. ep. 5. lib. XV. MANUT.

Quid] Iujuriam Catonis in supplicatione non decernenda Cæsar commemorat; laudes, quas mihi idem Cato sua sententia tribuit, dissimulat. IDEM.

Φυράτας] *Conturbator*, Philotimus.

Lartidius] Id hoc sensu accipio, Ulysses, qui *Lartides* vel *Laertides* erat, astutissimus et callidissimus veterator est habitus: talem Philotimum dicere possum, et Lartidium, hoc est, Ulysseum vocare. TURNEB. *Advers.* XX. 16. Mongalto non placet hæc interpretatio: qui *Lartidium* putat famosum olim fuisse, nobisque incognitum furem. Nec vero Manutius aliter.

Ἀλλὰ] *Sed hæc quidem, quæ ante acta sunt, omittemus, licet cum mærore.* Iliad. T. 65.

Ἄμμμετα] Si ad te pecunia in triumphi apparatum redigetur, non erit quod factum meum Philotimus accuset, tanquam ei non confidentis, cum te, non quemvis, illi præferam, in pecunia triumphali, non domestica: ἄμμμετα: causam accusandi nullam. MANUT.

Quemadmodum experiamur] Jus nostrum persequamur, et quasi in jus Philotimum vocemus. CORR.

2 CICERO ATTICO SAL.

Onchesmites] Nomen venti, ab Onchesmo, Epiri portu, quem nominat Ptolemæus. MANUT.

Σπονδειάζοντα] Genus carminis sic vocatum, quod in quinta regione spondeum haberet pro dactylo. Hunc igitur imprudens, ut fit, cum edidisset Cicero, idque postea animadvertisset, joci occasionem arripiens, Tuum, inquit, esse dicito, &c. MALASP. Lege *vendita*. En versum spondaicum rotundissimum, qui mihi dum scribo nec opinanti nascitur. Eum tu, si voles, cui jubebit adolescentium studiosorum, qui eruditionis causa te affectantur et colunt, jacta te fecisse. GRON.

Τῶν νεωτέρων] Juniorum.

Pamphilus] Attici servus.

Αὐτόχθων] Nativa, vernacula.

Deporto Romam] Hæc est Manutii conjectura, quam recepit Lambinus. Nam alii, *de Tortorio:* in quo explicando, et seipsos et lectores mirifice torquent. Agitur de testamento, non serio illo quidem, sed festivo ac ludicro. Per cohortem prætoriam, Grævius intelligit comites et contubernales Ciceronis, qui eum in provinciam fuerant secuti. OLIVET.

Fecit palam] Heredem. MAN. Vide Turnebi Advers. XX. 16. et maxime Gronov. de Pec. Vet. II. 1.

Corcyræ] Actium non hic est promontorium Acarnaniæ, nec locus aut ager Corcyræ, ut docti viri existimant, sed portus Corcyræorum, ad differentiam alterius dictus *Actium Corcyræ*, ubi octiduum tempestatibus retentus ab Alexione medico suo cibariis laute et abundanter moneratus est. De portu Corcyræ et in eo mora sua scribit ad Tironem ep. 9. De Alexione medico suo infra lib. XV. ep. 1. et 2. POPMA.

Thyamin] Flumen Thesprotiæ, ubi res tuas habes. Ep. 3. lib. VI. CORRADUS.

Φυσικὴν] *Naturalem* amorem. Πρὸς τὰ τέκνα, *in filios.* Man. et Lamb. habent στοργὴν φυσικὴν, &c.

Si hæc non est] Quæ huc faciant, legi possunt lib. I. *de Offic.* cap. 4.

Bene veniat] Finem hominis ultimum Carneades (*Fin.* II. 11.) esse aiebat *frui principiis naturalibus*, neque alio affectu optabat nasci sibi liberos, quam quo cupiebat, bene ac feliciter venire plantas atque arbores, quas serebat. Id non immerito videtur Ciceroni homine indignum, *expers honestatis*, pudendum: minus tamen, quam quod sentiebant Lucius et Patron, ambo Epicurei: qui cum *omnia ad se* referrent, atque unam spectarent voluptatem, nullam prolis habere rationem poterant, nihilque liberum causa agere. Jam quod ait, *pudentius, quam Lucius et Patron*, non autem, pudentius, quam ii, qui Epicurum sequuntur; cavit ne Atticum offenderet, si gentem infamaret universam. OLIVET.

Lucius] L. Torquatus, qui senten-

tiam Epicuri tuetur lib. I. de Fin. MANUT.

Libris] De republica, ubi de rebus hisce disputabat Lælius. CORR.

De rauduscuło Numeriano] Quod parvam pecuniam, mihi a Numerio debitam, exegisti. Sic locutus est ep. 8. lib. IV. et 8. lib. VI. MAN.

Hortensius] Filius, quid egerit nimirum de auctione. Ep. sequ. CORR.

Cæsar] Vide supra, ep. 1.

De altero illo] Fortasse Philargyro. Ep. 11. lib. IX. CORR.

Puero] Cicerone filio.

Non juraret] Solebant domini, qui servos manumittebant, quasdam eorum operas sibi recipere, ad quas præstandas eos jurejurando adigebant. Ulpianus libro 28. ad Sabinum, *ut jurisjurandi obligatio contrahatur, liberum esse oportet qui juret, et libertatis causa jurare:* et paulo post, *Jurare autem debet post manumissionem, ut obligetur; et sive statim, sive post tempus juraverit, obligatur. Jurare autem debet operas, domum, munus se præstaturum; operas qualescunque, quæ modo probe jure licito imponuntur.* Et Paulus libro 7. ad Plautium. *Servum testamento ita manumisi; si juraverit se Cornelio filio meo decem operarum daturum, liber esto: quæritur quid juris sit, et sciendum est jurando servum conditionem implere, sed non teneri operarum nomine: quia, nisi post manumissionem juret, non obligatur.* Drusus ergo prætor dicebat se eos non manumisisse, qui libertate donati non jurarent se easdem operas præstituros patronis, quas iisdem adhuc servi præstare consuevissent. BOSIUS.

Liberos non addixisse] Liberos non pronunciasse. Et verbo prætoris est usus, quia prætor erat Drusus. COR.

Vindicarentur] In libertatem: quod præter ipsum alios quoque adesse oporteret, qui vindicarent. Aderant enim coram prætore dominus, servus, vindex, testes, scriba: neque sine his justa erat addictio liberorum in hoc genere manumissionis. MAN.

Parthi faciunt] Sic explano. Parthi, a quibus maxime timebamus, cum repente discesserint, faciunt, ut nihil mihi jam magnopere timendum putem: cum videam solere ea, quæ magnopere timeantur, quandoque ad nihilum recidere. IDEM.

Semivivum] Metu exanimatum. ID.

CICERO ATTICO SAL. 3

Dicæarcho assentiri] Non quod Dicæarchus nominatim provinciarum administrationem, sed quod γενικῶς πρακτικὸν βίον laudaret: ergo et provinciarum administrationem. Atticus contra, ut qui Ciceroni auctor esset decessionis, cum primum ei per senatus-consultum liceret. MAN.

Quid si] Ordo est: sæpe opportune dici videtur, sive usurpatur hoc proverbium, *Quid si hoc melius?* et videtur in hoc meo negotio valere.

Hoc melius?] Quod decesserim. MANUT.

Ἀμεταμέλητος] Non pœnitenda.

Haud multum requireres] Diceres me illum ipsum, quem in VI. lib. de republica informavi. Agerem enim, et libere dicerem, quæ de republica sentirem. MAN.

Illum] Cæsarem. IDEM.

Fabio, Caninioque] Fabio Gallo, Caninio Rebilo, utroque Cæsaris legato. IDEM.

Custos urbis] Minervæ statua, quam, in exilium proficiscens, in templo Jovis Capitolini posuit, cum hac inscriptione, *CUSTOS URBIS*, Ep. 33. MAN.

Quibus] Volcatius Tullus, et Ser. Sulpicius, homines consulares, qui se neutram in partem valde jactabunt. IDEM.

Res] Res hic significat facultatem, opes ad resistendum in uno cive Pompeio, qui solus resistere poterat Cæsari. POPMA.

Ποῦ σκάφος] *Ubi navigium Atridarum?* Hoc est, non quæram, ubi tutius esse possim, ut in Achivorum

classe tutissima navis Agamemnonis et Menelai Atridarum.

Ζήτημα] *Paucis verbis.* Respondebo consuli roganti, assentior Pompeio.

Omnes] Supple, oportet, debent.

Decessit... In decedendo] Videtur loqui repugnantia, si, *decedere*, utrobique idem significet. Quod secus est: valet enim modo, de provincia discedere, administrandi potestate terminata: modo ex provincia ad urbem proficisci. Prior significatio patet in iis verbis: *Bibulus de provincia decessit:* posterior in iis: *In decedendo erit tardior.* MAN.

Ornavit] Supplicationes ei decernens, quas idem mihi ante negaverat.

Non invidere] Negationem delent Malasp. Lamb. Bosius: retinent cæteri.

De sua sententia] Quod, ob amicitiam Curionis, et odium Appii, a rep. defecerit. Fam. ep. 17. lib. VIII. MANUT.

Quod ei vici] Veteres libri, partim *Eruci Lucceis*, partim, *Ei vici Lucceii:* quæ vereor, ne certior sit scriptura, ut *ei*, Cælio intelligendum sit, cui vici Lucceii, prætoris imperio addicti, æris alieni, aut alterius rei causa, hoc est, adjudicati fuerint. Tam privatæ rei historiam quærere, stultum est. MALASP. Nisi magis placeat legere, *ejus vici Lucceiis sint addicti.* Certe hoc illud est, unde expeditum Cælium cupiebat videre, lib. VI. ep. 1. CORR.

Serperastris] Serperastra proprie sunt adminicula, quæ cruribus puerorum primum ambulantium alligantur, ne ii vari, aut compernes fiant. Hoc autem nomine Cicero hic notat præfectos cohortis suæ, hoc est, legatos, quæstores, tribunos, et alios quos secum duxerat, quorumque opera in coercendo exercitu, et regenda provincia utebatur. BOSIUS.

Admiratione] Quia velim, quod ad viaticum mihi ex ærario datum est, id ærario restituere magna ex parte. Ep. 1.

Neminem] Minime omnium. MAN.

Animum] Fortasse, *in animum.*

Legata] Quæ hæres debebat testamento patris. IDEM.

Meos faciam] Ego quasi Romanus. Cum M. Cælius Puteolanus portam Flumentanam Romæ suam fecerit. De hac re nescio quid negotii postea cum Hortensio habuit. ep. 5. lib. XII. CORR.

Piræea] Scribens ita: *In Piræea cum exissem.* Ep. 9. lib. VI. ut Plato in principio lib. I. de republica: Κατέβην χθὲς εἰς Πειραιᾶ. CORR. Vide Sanctii Minervam lib. IV. de Ellipsi.

Ζήτημα] *Quæstionem*, quæ sequitur.

Ille] Cæsar, cui scis quantum adhuc pecuniæ debeam.

Languidius] Si languidius de republica sensero, facis hoc, dicet aliquis, quia nummos Cæsari debes: sin fortiter, statim solvendum erit. MAN.

Cœlio] Trapezita, de quo l. XII. IDEM.

Tartessium] Balbum, cui patria Tartessus in conventu Gaditano. *Plin.* V. 22.

Curaré] *Curari.* MURET.

Satis] In eo est quamtumvis vel ingenii, vel humanitatis: nam vox, *satis*, separatim sumenda est: significat enim, abunde est. BOS.

Rem me facere rerentur] Sensus est: tu scis quos aperuerimus, id est, quales esse quosdam deprehenderimus, detecta eorum inopia; qui omnes tamen, uno tantum excepto, existimarent me rei meæ optime tunc consultum voluisse, quod cogitarem de Tullia ipsis nuptui danda. Ita enim se divites esse prædicabant, ut nemo sibi expensum ferret, id est, tabulas proferre posset expensæ, et creditæ sibi pecuniæ. Negabant enim se ulli quicquam debere. Verum hæc verba, *ipsis enim nemo expensum ferret*, in contrarium sensum Cicero joculariter detorsit, cum indicare vellet omnes ita de iis male existimasse, ut nemo eis quicquam credere, et expensum ferre voluerit. Quivis enim norat eos non esse solvendo. BOS. Malebat Grævius, *reum me facere rentur.* Hoc sensu: Irati, quod eos

a Tulliæ conjugio rejecerim, diem mihi dicere cogitant: scilicet ut multis dicebatur revertentibus e provincia. Stare ea sententia non potest, quoniam, ut monuit jam pridem Manutius, *reri* cogitare non est, sed opinari. Bosium sequitur Mongaltus noster. OLIVET.

A Pontio] Apud Pontium scripta, in Trebulano. ep. 3. lib. V. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 4

Suspicere partes suas] Polliceri se pro sua parte adjuturum. MAN.

Illum] Cæsarem. IDEM.

Venisse] Romam.

Τεκμηριώδες] Signum ejusmodi, ut dubitari non posset. MAN.

Alterum] Ut alterum consulatum absens petere posset. Ep. 3. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 5

Τοῖς ἀπαντῶσιν] Obviam prodeuntibus. Δύσχρηστα, incommoda.

Pontinum] Prædium ad Pontinas paludes. Verbum, *sumam*, crediderim abundare, et additum ab aliquo, qui de Pontinio Ciceronis legato acceperit. MANUTIUS. Alii cum Bosio, *Pontinam summam*, hoc est, summam Pontinæ paludis partem.

Nostrum negotium] Triumphum.

Ἀπότριψαι] Abstergito.

CICERO ATTICO SAL. 6

Est illa] Man. Lamb. *Est illa quidem impudens postulatio opinione valentior.* Muretus voces duas postremas delet.

Οὐ γὰρ] *Neque enim hoc majus est malum.* Odyss. XII. 209.

Sed rursus] Quia dixerat se diotum quæ non sentiat; in quo non videtur officio fungi boni civis: quasi peccatum suum excusavit. Dicere quæ non sentias, malum est: sed rursus et hoc malum, me in tantis rebus a Pompeio dissidere. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 7

Sui cognoscendi] Cum gratias mihi non egit, ut debuit, et male etiam locutus est. Ep. seq. CORR.

Philagenes] Vide V. 13. et 15.

Non fecisset] Voluisset enim meum triumphum expectare extra urbem. CORR.

Familiæ] Familiæ Pompeii compitalia celebranti. IDEM.

Αὖψις] Quartanæ correptio. MAN.

Αἰδηριτικὸν] Stultum.

Ea porta] Ego, ne mittar, statim, quæ prima porta erit, ea in urbem ingrediar, abjecto imperio simul, et triumphandi consilio. MAN.

Per quem sine imperio] Cum enim factum esset senatus-consultum ut successores in provincias mitterentur; C. Curio tribunus plebis Cæsaris causam defendens intercessit: et cum de intercessione referetur, primaque M. Marcelli sententia pronunciata esset, qui agendum cum tribunis plebis censebat: frequens senatus dissensit. Ergo senatus culpa successores non missi: itaque sine imperio provincia, id est, sine magistratibus. Ep. 5. et 13. lib. VIII. Fam. IDEM.

Agi] Quo modo agebatur cum tribunis plebis? fiebant in eos senatusconsulta accerrima, nisi intercessionem remitterent. IDEM.

Illud] Ut etiam retinentis exercitum ratio haberetur. CORR.

Latum] Lege Vatinia primum, deinde Pompeii, et Crassi iterum coss. IDEM.

Gaditanum] L. Cornelium Balbum a Theophane Mitylenæo. IDEM.

E lege] A decem tribunis lata *ratio*, absentis, in petitione consulatus. MANUT.

Ἐμπολιτεύομαί σοι] Tecum ago de republica.

Alexim] Servum Attico jucundum. Vide lib. V. epist. 20.

8 CICERO ATTICO SAL.

Πολιτικὸν σύμμα] *Consideratio ad statum reipublicæ pertinens.*

Φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν] Melius philosophorum more dijudicabimus.

Σύγχυσιν τῆς πολιτείας] Conturbationem reipublicæ.

Parari] Ut ejus ratio absentis ne habeatur. MANUT.

Ξυνὸς ἐνυάλιος] Mars communis.

De damnatis] A Pompeio III. cos. præsertim de ambitu. CORR.

Ex illa] Locum esse mendosum agnoscunt omnes: quem sic emendabat Octavius Pantagathus, *Mea autem sententia non relinquendæ urbis movet hominem.* Semper enim censuit Cicero in urbe atque in Italia manendum: quod Pompeius non libenter audiebat. Hanc vero conjecturam non infirmis tuetur argumentis Malaspina, eamque in contextum Lambinus introduxit. Nos, quibus non est circa frontem æs triplex, Pantagathi fœtum pro Tulliano supponere nolumus: sed missis aliorum interpretum nugis quam plurimis, locum, ut est, corruptum exhibemus. OLIVET.

Ἄμορφον] Non decet, ejus qui contrariæ sit factionis, debitorem esse.

9 CICERO ATTICO SAL.

Ad bustum Basili] Asconius in or. pro Milone: *Via Appia est prope urbem monumentum Basili* (alias Basilii) *qui locus latrociniis fuit perquam infamis.*

Διευκρινήσεις] Solves quæstionem, quæ magnam requirit prudentiam.

Ad illum confugerit] Ad Cæsarem, ut M. Antonius, et Q. Cassius. Vide Ep. 11. lib. XVI. Fam. CORR.

Certum est] Deliberatum est. MAN.

Idem] Qui affirmat Cæsare consule se futurum in Hispania. IDEM.

Idem] Pompeius qui tanquam optimatum princeps inducitur in hac ep. IDEM.

10 CICERO ATTICO SAL.

Laureatis] Ut triumphum expectantibus. Epist. 16. lib. II. Fam. COR.

Consilii] Urbis relinquendæ. ID.

In oppidis] Campaniæ. IDEM.

11 CICERO ATTICO SAL.

Cingulum] Oppidum. CORR.

Τοῦ καλοῦ] Honesti.

Χρεῶν ἀποκοπὰς] *Tabulas novas.* Dicuntur *novæ*, quod nomina aliter, et resecta parte aliqua, in iis scribantur, tanquam argentum pro ære, hoc est, 25. pro. 100, ut est apud Sallust. Bell. Catil.

Φυγάδων] Exulum restitutiones.

Τὴν θεῶν] *Ut tyrannide potiatur, quæ inter Deos est maxima.* Euripides.

Tuo sole Lucretino] Horatius, *Velox amænum sæpe Lucretilem*, &c.

Quid si tu velis] Quasi dicat: si tyrannidem velis, quod volueris tamen non assequere, ideoque fortasse, o Cicero, non vis. MAN.

Ἐνσχολάζω σοι] *Scholam tibi explico:* hoc est, philosophorum more quasi per otium disputans tibi scribo.

Ad nostrum] Pompeium. CORR.

Ἀποροῦν] Dubito.

At in aris] Responsio Ciceronis. *Fecit*: inquit Pompeius. *Fluctum*, &c. Responsio Ciceronis. LAMB.

Capta] A Gallis, Liv. lib. V.

Οὕτω] Sic eorum, qui ante nos vixerunt, audiebamus laudes. *Iliad.* I. 520.

Exitum habiturum] Nunc pro Pompeii parte disputat, judicatque ex dolore, sermonibusque municipalium hominum, qui Pompeii fugam quo animo ferre non poterant, vehementerque Cæsari irati erant, Pompeii consilium, rationemque belli gerendi posse explicari, et non incommode concludi. VICT.

Ἐπίσκοπον] Speculatorem, custodem. Vide *Fam.* VIII. 13. XVI. 11. et 13.

Ὁρμὴ] Impetus.

CICERO ATTICO SAL. 12

Kal] Perspicuum est ex superioribus et sequentibus litteris, et ex ipsa etiam historia, *Feb.* scribendum. Nam ad urbem venerat Cicero, prid. Non. Jan. ibique pauculos dies commoratus est, triumphum expectans. Verum, cum nuntiatum esset Romæ, Cæsarem cum exercitu adventare; et pro se quisque, fuga suæ saluti prospiceret; Cicero, maxime Pompeio fugiente, eodem pavore perculsus, consilium statim cepit relinquendæ urbis: seque in suas villas contulit, unde ad Atticum scribit, qui Romæ remanserat. MALASP.

Ille] Pompeius iter habebat.

Istum] Cæsarem, cujus φαλαρισμὸν, Phalaridis imitationem, &c.

Rerum] Prolatio rerum est cum sive propter dies festos, sive propter ferias autumnales aliasque, sive propter bella resque adversas justitium est.

Αἰδέομαι] Vide supra, II. 5.

Puerorum] Ciceronum.

Ἀπορίαν] Dubitationem.

Domesticis finibus] Rebus publicis te non admisces. MANUT.

CICERO ATTICO SAL. 13

Vennonianis] C. Vennonii, de quo lib. VI. ep. 1. et 3. Res quædam privatæ.

Illi] Cæsari, a quo discessit.

Pisonem] Qui cum ab urbe discesserit, generum suum Cæsarem non expectans, quid de eo judicet, manifestum est. Hic est L. Calpurnius Piso, in quem extat Ciceronis oratio. MANUT.

Πολιτικῶς] Quod sit e republica.

Ἀστρατήγητος] *Minime dux:* imperatoriæ artis ignarus: qui nescierit Picenum esse quasi aggerem urbi tuendæ.

Decem annorum] Tot enim anni a consulatu Cæsaris ad hoc tempus numerantur. Et, Cæsare consule, Pompeius se cum eo affinitate conjunxit, Julia uxore ducta. Inde eum per decem annos aluit, auxit, armavit. MANUT.

Invidiose] Quia Pompeius simulatione Parthici belli a Cæsare abductas retinuerat. Quod factum magna in infamia fuit. Vide Cæs. lib. I. de Bello Civ. IDEM.

Alienis] Quod adversus imperatorem suum invitæ ducerentur. IDEM.

Dolabellæ] Generi mei, qui apud Cæsarem est: per quem videtur mulieres tuto in urbe esse posse. IDEM.

Πρὸς τὸ ἀσφαλὲς] Ad securitatem.

Μάντις δ' ἄριστος] *Vates optimus is est, bene qui conjicit.* Senarius apud Euripidem integer, Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς. Quem Cicero ita vertit libro de Divin. II. *Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum.* MANUT.

Ænigma Oppiorum] Videtur epistolæ principium. IDEM. Et videtur Mongalto nostro. Cum superioribus verbis, *loquacitati ignosces*, si conjungis hæc postrema, *si scriberem ipse, longior epistola fuisset*, jam patet epistolas duas, librariorum culpa, in unam coaluisse.

Numero Platonis] Probant Manutius et Junius quod est in nonnullis Mss. *Timæo Platonis*, de cujus obscuritate *Fin.* II. 5.

Jam intellexi] Hic epistola videtur dividenda. Hic ænigma intelligit,

supra interpretari nescit: hic dictat, supra scribit. CORR.

Succones] Fictum vocabulum, inquit Bosius, ut Latine exprimeret illud alterum *Opios*, quod Atticus ἀπὸ τοῦ ὀποῦ, id est, a succo formarat. Corradus vero *saccones* legebat, et quia fœneratores erant Oppii, nummatos exponit, a saccis qui sunt nummorum receptacula. Alii *Sanctones* malunt, alii *Salacones*. O te sapientem, Petre Victori, qui noluerisin eo æstuare. OLIVET.

L. Cæsarem] Cujus pater, Cæsaris erat legatus. CORR.

Mandatis] His, quæ sunt apud Cæsarem lib. I. de Bello Civili, et *Fam.* XVI. 10.

Illinc] Ubi Cæsar est. CORRADUS.

14 CICERO ATTICO SAL.

Calibus] Cales oppidum mediterraneum Campaniæ. GRÆV.

Secutorum] Gladiatorum, qui secutores vocantur. Alii, *scutorum*, quod magis probo, tum quia nusquam, quod sciam, hoc vocabulum Cicero usurpavit, et cum *gladiatores* dixisset, non erat hoc loco, cur *secutores* adderet: tum quia verisimile non est, Cæsarem quinque secutorum millia præter retiarios in ludo habuisse. Scutorum vero millia multa esse poterant, quibus gladiatores ipsi, et qui cum illis sentiebant parati, ornatique erumpere cogitabant. CORRAD. Primus hanc vocem, *secutorum*, hic scripsit Victorius, cum antea legeretur *scutorum*. Sed a Victorio sic omnes cæteri. Erant autem, inquit Manutius, *secutores* et *myrmillones* iidem; quibus opponebantur *retiarii*.

In ludo] In disciplina Lanistarum, a quibus ad gladiatoriam instituebantur. MALASP.

Cum Sexto] Sext. Peduceo. CORRADUS.

Bellum] Legendum proponit, *Bellum cum civibus*, BOSIUS Baluzianus.

15 CICERO ATTICO SAL.

Furfano] Bosius ex Mss. *Fuffano*. Sed melius fortasse *Furfanio*, ut *Fam.* VI. 9. *Furfaniorum*, inquit Grævius, in antiquis monumentis non raro fit mentio: *Fuffanorum*, quod sciam, nusquam.

Postulatusque hæc] Ita pendet hoc a verbo, *negant*, ut affirmetur potius quam negetur. Verbum enim, *nego*, sæpe negat in primo membro, affirmat in secundo: ut in oratione pro Roscio comœdo, *Adversaria in judicium protulit nemo, codicem protulit.* Pro, codicem aliquis protulit. Idem agnoscitur apud Horatium, in iis versibus. *Qui sit, Mæcenas, ut nemo.* Nam cum subjunxit, *Laudet diversa sequentes*, satis constat non referri ad, *nemo*, sed necesse esse, ut, aliquis, subaudiatur. MAN.

Attianas] Quas P. Attius Varus habebat. ep. 13. *Quid agat Domitius in Marsis, Iguvii Thermus, P. Attius Cinguli.* POPMA. Legendum est *Appianus*, ut intelligantur duæ illæ legiones, quæ a Cæsare per speciem belli Parthici abductæ, et Pompeio traditæ circa Luceriam hærebant, sic dictæ ab Appio legato, qui eas ex Gallia adduxerat, teste Plutarcho. J. LIPSIUS, *Cent.* II. *ad Belg. epist.* 16. Reposuit Junius *Atinianas*, ab Atina Marsorum oppido.

17 CICERO ATTICO SAL.

Sexto] Peduceo. Qui Pompeii causa discedere ex urbe non debetis, ac me illum quidem amare; qui vobis locupletibus, ac bene nummatis tam male consuluerit, urbe sine præsidio relicta. MAN.

Σηστιωδέστερον] *Magis Sextiane*, magis insulse, quod ita scribat Sextius, sive *Sestius*, nam idem est nomen.

Si in Hispaniam] Hæ fuerunt conditiones a Cæsare latæ. *Fam.* ep. 11. lib. XVI. MAN.

Ratione] Absentis, cum peteret.

Ὑπαθέμενος] Cum subduxero, et clam transportandos curavero.

CICERO ATTICO SAL. 18

Si acceperit...] Ἀποσιώπησις. Hoc erat: Sin acceperit, pax turpis consequetur.

Utile] Eam urbem, quæ portum habeat, a nobis teneri. CORRADUS.

Rogatus esset] Addunt nonnulli *scio*, perperam. Est, ut bene monet Corradus, ἀναγκαῖόν τι. Subintelligitur autem, cogita, judica, aut simile quid. GRÆV.

Ψευδησιόδειον] Hesiodo falso adscriptum.

Μηδὲ δίκην] *Neque causam judices prius, quam utriusque partis orationem audiveris.*

CICERO ATTICO SAL. 20

Quorum....audiendi] De hac dicendi forma, vide Sanctii Minerv. lib. III. cap. 8.

Illum] Cæsarem.

Συναποθανεῖν] Simul mori.

Phalarim] Tyrannum cæde gaudentem. MAN.

Pisistratum] Mitiorem, et studiosum maxime litterarum. IDEM.

Calere] Muretus, *carere*. Sed alii omnes, *calere*, hoc est, interprete Manutio, jam habere quod de te ipso cogites, sollicitum de statu rerum tuarum, quia videas urbem a Cnæo nostro sine præsidio relictam, Cæsare patere.

CICERO ATTICO SAL. 21

Conquisitores] Delectui habendo præfecti. MAN.

Φαινοπροσωπεῖν] *Prodire*, et *vultum*, ut aiunt, *ostendere*.

In navi] Cæsarem fugiens. MAN.

Σκίμμα] *Consideratio*. Supra, ep. 8.

Satisfacere] Vide *Fam.* XVI. 11.

Ἀπορία] Dubitatio.

CICERO ATTICO SAL. 22

Nostri] Pompeii autem tarditatem, ut sit, ἀντίθετον, et ἀποσιώπησις. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 23

Etsi vivere] Ἀποσιώπησις. Vel subaudi cum Corrado, *tædet:* vel cum Manutio, *non vivere est*, cum turpem vitam vivat, qualis erat manentis in Italia.

CICERO ATTICO SAL. 24

Cassii litteræ] Ad Cassium Capua missæ a Lucretio. Cassius enim cum Cicerone erat in Formiano. Ep. 22. MANUT.

Nigidium] P. Nigidium Figulum, de quo *Fam.* lib. IV. ep. 13. CORR.

Vibullium] L. Vibullium Rufum. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 25

Illud eum scisse] Sensus est, Pompeium novisse malas artes, quibus malas causas obtinere poterat: illas bonas artes, quibus respublica et libertas servetur, non nosse, ideoque in bona causa concidisse. GRÆV.

26 CICERO ATTICO SAL.

Non venit] Non venit mihi sæpe, ut exoriar, et respirem. Alii, *nunc venit*, ut sequens ratio magis postulat. CORRAD. *Nunc* probat quoque Muretus, atque ita legendum admonet Grævius in *Addendis* et *corrigendis*.

Quoties exorior?] Legendum cum interrogatione. Indicabat enim Atticus se multoties exoriri, id est, e mœstitia, qua pene conciderat, recreari, quod sæpe boni nuntii de rebus Pompeii, deque republica ad se perferrentur. BOSIUS.

Secundo lumine] Cras. Subauditur autem, *moriere*. Vide orat. pro Rabirio Postumo. cap. 11. MAN.

Certe videri possim] Εἰρωνικῶς dictum: subjungit enim: quod me ducem in civili bello esse negaverim, quoad de pace agebatur; non ideo feci, quia, quod rectum esset, id mihi non placeret; sed feci, meorum temporum memoria commotus. Itaque, quod ad hanc rem attinet, optima ratione defendor. Reliqua vero prorsus me ab hac suspicione vindicant. ID.

Fraudem tulit] Memineram, inquit, quod olim ejusdem reipublicæ causa feci, cum Catalinæ conjurationem oppressi, id mihi summam perniciem attulisse, pro recte factis in exilium pulso. IDEM.

Noster] Pompeius. ep. 16. l. VIII. IDEM.

Parthicus casus] In nostras provincias subita Parthorum irruptio: ut Pompeium, aut Cæsarem adversus eos proficisci res cogat. Unde Cælius in epistola ad Ciceronem, *Si alterutter eorum*, inquit, *ad Parthicum bellum non eat, magnas video impendere discordias: quas ferrum, et vis judicabit.* Idem arbitrari Atticum, ostendit Cicero, cum ait: *Ut tu scis.* MANUT.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER VIII.

1 CICERO ATTICO SAL.

Pœniteret] Mallem, inquit, habere comites reditus in urbem Lepidum, Volcatium, Sulpitium, quam comites fugæ ex Italia cum Pompeio L. Domitium Ahenobarbum et Appium Claudium, quorum alterius stultitia notatur, alterius inconstantia; de qua Cælius lib. VIII. POPMA.

Remunerere] Non minus longis epistolis. MAN.

2 CICERO ATTICO SAL.

Gladiatoribus] Quos Pompeius binos singulis patribus familias distribuerat. Ep. 14. lib. VII. MAN.

Illum] Cæsarem. MAN.

Nobiscum] Urbem reliquerunt, vel brevi relinquere cogentur.

Afranium et Petreium] Pompeii in Hispania legatos. CORR.

Labieno] De quo Lucan. lib. V. *Fortis in armis Cæsareis Labienus erat, nunc transfuga vilis.* IDEM.

Illud: Des, id feras] His verbis Cicero, tanquam ex Attici persona, sibi ipsi objicit elegans proverbium, quo monebatur, ut honorificentius, quam modo fecerat, loqueretur de.

Labieno, in quo dixerat parum esse dignitatis; si quidem ipse vellet alios de se cum laude loqui. Sensus est: Hoc loco tu mihi objicies proverbium illud, *si aliquid dederis, id quod dederis accipies.* Itaque quia dixi parum esse dignitatis in Labieno, futurum est ut Labienus ipse, et alii mihi par pari referant, dicantque dignitatem in me quoque desiderari. Verum sit necne aliquid in me dignitatis, aliis judicandum relinquo. Nihil enim de me dico. Meminit hujus proverbii, aut certe alterius huic similis, Donatus ad eum locum Phormionis, *quod ab ipso allatum est, id sibi relatum putet. Proverbium,* inquit, *est, Quod dedit recepit.* Hoc spectat illud Homericum, Iliadis XX. 250.

Ὀφρ᾽ οἶον κ᾽ εἰπῇσθα ἔπος, τοῖον δ᾽ ἐπακούσῃς.
Bosius.

Hujus annotationis utilitatem intelligent facilius, qui scierint, in aliis editionibus hoc fuisse: *Hic tu in me illud desideras.* Homericum, qui huc a Bosio adducitur, versum sic reddidit Franc. Odinus, doctor meus:

Voce feris alios; ferieris et ipse vicissim. Oli.

Pompeii litteris] Ad Pompeium missis: ut ep. 23. lib. VII. *Castii litteræ.* Manut.

Διαλῇ] Genus notæ. Vide Menagium ad Diog. Laert. III. 66.

Spem] Supple *positam:* aut lege, *sed non tam uno in eo,* &c.

Sed cur] Ἀποσιώπησις: sed cur ita existimem, nunc taceo, et tibi judicandum relinquo. Bosius. Quæ sequuntur, scripserat ad Ciceronem Atticus.

Præcipua causa] Timebat scilicet, ne, si abiret ab Italia longius, rem familiarem male curaret sua conjux, cui parum confidebat, et deinceps expertus est non bonam matrem familias: quod declarabunt libri XI. epistolæ. Mongal.

Profecturus] Ita Man. et Lamb. Alii *præfectus,* et omittunt *eram.* Deinde pro *videro,* habent *quid ero?* Et in hac etiam lectione arguti nonnihil comminiscuntur. Per me licet. Olivet.

CICERO ATTICO SAL. 3

Propagator] In quinquennium. Ep. 3. et 6. lib. VII. Corr.

Finienti] Sua sententia. Ep. 8. et 13. lib. VIII. Fam. Idem.

Nulla causa] Non quin esset honesta, sed quod male instituta, et eo deducta, ut parum spei esset reliquum. Ad apparatum belli, non ad æquitatem respexit. Hoc paulo post dixit, *sine causa. Invite,* inquit, *cepi Capuam, quod propemodum causa esset deperdita, et plane nulla Causæ* vero nomine partes intelligit, quo sensu Lucanus; *Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.* Malasp.

Sensissem] Vidissem jam ante.

Eam] Lamb. *eum.* Planius quidem: sed habent *eam;* teste Malaspina, libri Mss.

Populare] Quod populo placeat.

Restitero] Remansero. Man.

Fore] Ut occideretur in urbe. Id.

Thrasybulus] Atheniensis: qui armatus accessit ad patriæ mœnia, ut eam a triginta tyrannis liberaret. Id.

Ne periculosum] Videamus, ne, &c.

Fieri] Fortasse, *ferri.* Possumne ita suspenso esse animo?

In Caieta] Caieta hic nomen est villæ Ciceronis in agro Caietano sitæ. Idcirco dixit, *in Caieta,* non Caietæ. Sic epist. 7. lib. XIV. Bos.

Cum cohortibus duabus] Infra tamen Pompeius suis litteris, cohortes XIV. legionarias, Brundusium misisse significat. Ut non absurdum aut alienum videatur, *legionibus* emendare. Malasp.

Fausto] Syllæ Dictatoris filio.

Trebonio] Cæsaris legato. Corr.

Transisse] In castra Afranii. Manutius.

4 CICERO ATTICO SAL.

Testimonii] Jungi *vereor*, etiam cum patrio casu, vel Terentianum illud in Phormione declarat, Act. V. sc. 6. 78. *Neque hujus sis veritus feminæ primariæ.* MALASP.

Bona] In litteris. *Meliore:* Memorem enim hujus injuriæ sentiet. MANUT.

Si potero] Respondi, *recipiam;* et est μίμησις, qua refert verba, quibus utebatur in respondendo. CORRADUS.

Aperuisse] Cæsar tamen, lib. I. de bello civili, non Attium scribit aperuisse Antonio portas, sed ipsos Sulmonenses: Attium vero et Lucretium de muro se dejecisse: et hunc aufugisse: illum interceptum ad se deductum fuisse. MALASP.

Domitium] Ab omnibus libris abest vox illa, quam tamen, suadente Lipsio, non dubitavi recipere. Cum enim alii subaudiendam esse dicant, id video fieri vix posse. Sed veteres, ut monet Lipsius, ejusmodi nomina priore aut altera littera adjuncta significare contenti erant. Itaque cum fortassis in Cicerone scriptum esset *Do. desertum*, non intellectam vocem *Do.* librarius scriptor omisit. Quod proposuit Grævius, eodem plane redit. OLIVET.

5 CICERO ATTICO SAL.

Certior] Certus hic est quem Horatius vocat propositi tenacem. BOSIUS.

Ῥίψαι] *Cum fureret, multa cornibus frustra in aerem proruisse.* Incertum est cujus sit auctoris. Videtur autem, quisquis ille fuit, furentem bovem describere voluisse, qui fœnum, paleas, festucas, atque adeo arenam ipsam cornibus spargeret, sursumque jactaret. Ei Cicero Dionysium assimilat, qui statim ut ab ipso discesserat, multa in eum jecerat maledicta. BOSIUS.

6 CICERO ATTICO SAL.

Nec tegentia] Omittamus, amabo te, interpretum nugas. Locus hic miserabiliter, inquit Victorius, lacer et divulsus est. Velle ex conjecturis illum restituere, mera est, Grævio judice, stultitia. Quod ergo præcipit Hippocrates, vide infra XVI. 15. OLIVET.

Non esse æquum] Jocus est: quasi fuerit hoc in Piliæ manu, ut quartanam ipsa posset abjicere. MANUTIUS.

7 CICERO ATTICO SAL.

Moneta] Locus erat, ubi moneta cudebatur. Inde vult a Philotimo pecuniam sumi, tradito, quod etiam nunc solet, auro, argentove infecto. MAN.

8 CICERO ATTICO SAL.

Ἀπροσφωνήτους] Insalutatos.

Τὸ καλὸν] Honestum.

Πρὸς τοῦτ' ἔ] *Adversus hoc, quod opus est facto, et machinentur et fabricent quidvis in me: quod enim rectum est, a me stat.* Locus est Aristophanis Acharnensibus vers. 659. sed paulo mutatis verbis.

Πολλὰ] *Valeat honestum.*

CICERO ATTICO SAL. 9

Qua autem est] Qua autem epistolæ meæ parte scriptum est id, quod sequitur. CORR.

Pro tuis] Vide lib. VII. ep. 24.

Vos duo] Tu, et Sex. Peducæus: qui Cæsari Romam venienti obviam prodire ad quintum milliarium cogitatis. MAN.

Nunc ipsum] Hoc ipso tempore. *Nunc ipsum* enim plus valet ad indicandum, quam *nunc*. IDEM.

Num igitur] Ego Atticus, &c.

Conturbantur] Quæ signa voluntatem a simulatione distinguerent, ea ita conturbantur hoc officio gratulationis, ut internoscendi facultas non detur. MAN.

Quæ vero] Video fore, ut S. C. fiat, cujusmodi Cæsar voluerit. IDEM.

Apertius] Supple, scribo. CORRADUS.

Εὐγενῆ] Generosa, nobilia.

Συνδιημερεύομεν] *Diem simul conterimus.*

Tullo] L. Volcatio Tullo, qui consul fuit M. Æmilio Lepido. MAN.

Alterum plausus] Cæsarem.

Nisi] Jocus in Lentulum, qualis Plautinus in Congrionem in Aul. *te scio facile abstinere posse, si nihil obviam est.* Perinde ac si dicat: si conventus erit, arbitror posse persuaderi. CORRAD.

Τέρας] *Monstrum.* Cæsar.

CICERO ATTICO SAL. 11

Consistit] Res deliberata est.

Totos dies] Lamentari. Post hæc duo verba, notam quietis vulgo appingunt: quam male, nemo non videt. Deinde omnes præter Lambinum ediderunt, *sed vereor;* unde conjiciebat Gronovius pater, *subverior*: quod minime displicet. Postremo legendum esse *sit*, non *sim*, vis ipsa sententiæ arguit. OLIVET.

Eos] Pompeium, et Cæsarem.

Σκοπὸς] Etiam latine *scopus.*

Προδιοπτίζω] Præsagio.

Jamque mari] Hemistichium ex vetere poeta: cujus integri sunt versus, ex persona Cassandræ vaticinantis, lib. I. de Divin. cap. 31. MANUTIUS.

Ἰλιάς] Ilias malorum, proverb.

Alterum] Cæsarem. CORR.

Proscriptio] Victorius ita conjecit, atque edidit, cum postrema tantum syllaba extaret in Mss. Alii malunt *irruptio*, alii *direptio*, alii *sectio*. Quid voluerit Cicero, vident, ni fallor, omnes: qua sit voce usus, nemo. OLIVET.

Parthicis rebus] Quarum exitus inanes. Nam etsi Parthi, subito cursu in provincias irrumpentes, magnum inferunt terrorem: tamen hæc magna calamitas consequitur, iisdem continuo discedentibus. MAN.

Περὶ Ὁμονοίας] *De Concordia.* Vide G. J. Vossium de Historicis Græcis. I. 23.

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

M. Eppium] Hirtius de bello Afric. al. *M. Oppium*, unde quis fortasse legat, *M. Puppium*, ut M. Puppium Pisonem virum consularem significet, præsertim cum, *nostri ordinis*, dicat, et L. Torquatum, qui erat et ipse consularis, addat, nisi quis *M. Opimium* malit legere ex Cæsare lib. III. de bello civ. MALASP.

M. CICERO IMP. S. D. CN. MAGNO PROCOS.

Duxi meam rationem] Hoc cogitavi; quid? non esse mihi faciendum, ut Cæsaris animum offenderem: itaque pacis auctor fui, vel cum iis conditionibus, quas ille ferret, qui bello civili nihil esse miserius intelligerem:

fecique id eo libentius, quia, cum ad pacis conditiones viderem a te honorifice, largeque responderi, meum consilium non arbitrabar a tua sententia discrepare. MAN.

Eisdem prœliis] Contentionibus quibus olim subjectus fui Clodio quidem auctore, sed Cæsare impellente. COR.

Populare] Ut ep. 3. hujus libri. Hoc est, improbos homines, qui consilium ineant perdendi rempublicam, semper se impetere, persuasos hac ratione se populum sibi faventem reddere posse. GRÆV.

12 CICERO ATTICO SAL.

Imparatam] Ab exercitu. Alii. (Man. et Lamb.) *imperatam*. CORR.

Accipere nolui] Cum rejiciebam, *ep. sup.* nam postea, quamvis invite, cepi, *ep.* 3. *hujus libri*. Vide tamen, an totus hic locus ita legi debeat: *Imparatam Capuam, non solum ignaviæ delictum, sed etiam perfidiæ suspicionem fugiens, accipere volui*. Nisi enim accepisset Cicero, ignavus, et in Pompeium perfidus videri potuisset. Idem. Omnes editi libri retinent *delectus*.

Fabatum] Is est L. Roscius Fabatus, cujus et mentio in epistola Pollionis, et in argenteo nummo, in quo legitur: L. ROSCI FABATI. URSIN.

Ecquæ pacifica] Utrum me deceat in Italia remanere; quod pacificam aliquam personam respublica videatur desiderare, cujus auctoritate inter Cæsarem et Pompeium discordiæ sedentur. MAN.

Consilia] Clodianis temporibus: cum mihi suadebas, ne omnia officio metirer, sed salutis simul rationem haberem, conservanda Cæsaris amicitia. IDEM.

CN. MAGNUS PROCOS. M. MARCELLO, L. LENTULO COSS. S. D.

Seu per montes] Hoc nimirum dicit, neque possum Domitio subsidio venire ut urbem teneat, neque per montes illum explicare et educere. POP.

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

Qui te impediant] Albani, Marsi, et Peligni duces, qui suas cohortes cum periculo ad Pompeium ire nollent. Circiter enim XV. cohortes Domitius coegerat ex Alba, Marsis, Pelignis, et finitimis regionibus. MAN.

Illas] XI cohortes. CORR. Mihi videtur legendum, *villas*. GRÆV.

CN. MAGNUS PROCOS. S. D. L. DOMITIO PROCOS.

Metuscilio] Alii *M. Tuscilio*.

Receptum] Ipsa oppida, quo receptum habemus, quibus amissis, quo nos reciperemus, non esset. GRÆV.

13 CICERO ATTICO SAL.

Transmisisset] Mare transisset. COR.

In quem hominem] Cæsarem. ID.

14 CICERO ATTICO SAL.

Feralibus] Cicero ex fastis veterum pontificum Feralia retulit in octavum Kalendas Martias, quo die Canusio decessit Pompeius, ut idem confirmat epistola prima libri sequentis. At Ovidius et alii posteriores alios fastos sequuti, nempe eos qui a C. Cæsare et Augusto postea correcti fuerunt, eum diem festum triduo ante collocant; ei enim assignant undecimum Kal. Mart. BOS.

Diariis] Cum Manutio interpretandum, in singulos dies majore stipendio et præmiis. GRÆVIUS. Ma-

lebat *dictis* Bosius: sed non audiendus est.

In Tiburtino] Lambini lectio, fortasse non verior, sed planior cæteris.

Penetrasse itineribus] Videtur desiderari epithetum, quod cohæreat cum voce, *itineribus*, forte *occultis*, seu *deviis*. LAMBIN. Voluisset Muretus, *nescio quo penetrasse itineris*, &c.

Apiscendi] Vict. pro *adipiscendi*.

Redditam non esse] Redditam esse tradit Cæsar lib. I. de bello civili.

CICERO ATTICO SAL. 15

Aut Hæmonis fugam tendis] Ita Vict. Man. Lamb. Hæc esse corrupta satis constat. Malaspina emendabat, *Tu autem Hæmonis fugam tendis:* vel, *ad Hæmonis fugam intendis*, Faerni enim liber habet *intendis*. Hoc est, Tu autem in Epirum navigare cogitas, et ab his rerum tumultibus te subducere: quemadmodum e bello Thebano Hæmon aufugit. E sexcentis aliis conjecturis Grævianam Mongaltus noster seligit, ut non pessimam. Ille autem scribendum censuit, *an tu ad Chaoniam fugam intendis*. Chaonia enim, pars Epiri, in qua possessiones Attici erant. Leviori tamen mutatione, non *Chaoniam*, sed *Hæmoniam* legeris: nam Græciæ vetus fuit nomen. OLIVET.

Cum fascibus] Quia proconsul.

Jovi ipsi iniquum] Id est, vehementer iratum, et exasperatum, ut nec diis nec hominibus parcat. VIC.

Appium] Jus transeundi non habebat, quoniam censor erat, nec cum imperio, ut proconsul Pompeius Hispaniarum, Scipio Syriæ, &c. POPMA.

Setenas] Pighius, ad ann. 703. legendum censet *Sufenas*, et intelligit *M. Nonium Sufenatem*, qui eo anno Cretam et Cyrenen obtinuit.

Desidero] Lamb. Grut. *Dissero*.

BALBUS CICERONI IMP. S.

Qui non Cæsarem] Ut non, dixisset Cicero. CORR.

Me probaturum scito] Ostendam recte factum a Cæsare. MAN. Vetus liber *te probaturum scio*. URSIN.

Cæsar] Id ex præcedentibus verbis irrepsit. Locum enim nullum habet; omnia sunt liquida, si deles. Hoc vult: Se tibi non os sublevisse, sed vera esse quæcunque tibi coram aut litteris de Cæsaris animo in republica, deque ejus ad pacem propensione promisit. GRÆV.

CICERO ATTICO SAL. 16

Ἀπολιτικώτατον] Gubernandæ reipublicæ maxime imperitum. Ἀστρατηγικώτατον, imperatoriæ artis maxime ignarum.

Deum] Ut deum Cæsarem colunt, divinis honoribus prosequuntur. MAN.

De illo] Pompeio, ægrotante Neapoli. Vide Tuscul. I. 35.

Ἀπαντήσεις] Occursus.

Judices DCCCL.] Hic est numerus omnium judicum collectus ex tribus ordinibus, senatoribus, equitibus, et tribunis ærariis. Ego tamen magis probarem CCCLX. quot in numerum judicum allegisse Pompeium, cum solus consul esset, narrant Velleius et Plutarchus, ob quod beneficium antea illo delectabantur, postea horrebant ejus proscriptionem Luceriæ denuntiatam. POPMA.

Αἰδέομαι] Vide lib. II. epist. 5.

Demum] Ἀποσιώπησις, ut retinuerit, vel hominis causa, vel doloris, *pulsum, aut captum*. MAN.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER IX.

1 CICERO ATTICO SAL.

Κενόσπουδα] Inanis curæ plena.

Jus dicere] Erant enim prætores C. Sosius et P. Rutilius Lupus: quorum meminit ep. 6: et 12. lib. VIII. et Rutilius jam ante Tarracina cum tribus cohortibus profugerat: sequenti anno Achaiam, missus a Pompeio, obtinuit, ut scribit Cæsar lib. I. et III. Popma.

Vadunt] Ex his locis ubi nunc ago, gregatim proficiscuntur in urbem. Græv.

Audiremus] Quid Brundusii actum.

Ἀναπάντητον] Remotum ab omni occursu.

Ad mare superum] Ut in Græciam transmitteret. Ep. 3. Man.

Qui et nunc] Quomodo nunc præsidio reipublicæ cum domi maneant? aliud fortasse dicit, aliud intelligit, εἰρωνικῶς. Ep. 16. lib. VIII. et 3. lib. IX. Idem.

Tempestivis] Hoc est, quæ de die ante statam cœnæ horam, inibantur, quæ vitio vertebantur. Vide Cl. Salmas. ad Fl. Vopisci Tacitum, qui eruditissime refellit errorem vulgarem de *intempestivis conviviis*, ostenditque ubique in priscis scriptoribus legendum esse *tempestivis conviviis*, sicque vocari ad quæ maturius conveniebatur solita hora, licet extraherentur in noctem intempestam, aut ad luciferum usque. Græv.

Persequamur] Stomachose in Pompeium, qui, suadentibus L. Lucceio, et Theophane Mitylenæo, perniciosum reipublicæ bellum suscepisset, *Persequamur*, faciamus quod Lucceio et Theophani placet. Man. *Theophani*, pro *Theophanis*, antique, ut alibi non raro.

Non erat æquum] Quia Cæsaris legatus fuit in Gallia, neque Pompeio debet æque atque ego. Man.

Ut ait] Ait se publicam causam agere, non suam. Quasi dicat: secus est. Et quodam modo significat, Pompeium, non tam reipublicæ quam sua causa motum, arma cepisse. Idem.

2 CICERO ATTICO SAL.

Die tuo] Die quartanæ. Ep. 8. lib. VII. et 4. lib. IX. Man.

Ὑπὸ τὴν διάλειψιν] Sub ipsam accessionem febris.

Cederem] Satis constat, *Italia*, subaudiri. Nam id, quod sequitur, *ita si et Cnæus*, valet, ea tamen conditione, si et Cnæus. Man.

Conscendisset] Scilicet navem. Sic simpliciter hac utebantur voce. Cicero in lib. XI. *Quamobrem conscende nobiscum, et quidem ad puppim: una navis est jam bonorum omnium.* Id ad Q. fr. *Tu velim quam primum conscendas, ad meque venias.* Sic et alibi. Græv.

Adesse] In senatu. Ep. 5. lib. IX. Manut.

Contra] Detrahentes disputem? Idem.

Scelus] Si approbo, quæ dicuntur in Pompeium. *Supplicium:* si contra eos, qui in senatu detrahant, disputem. Idem.

Olim] Clodianis temporibus, cum in locum Cosconii mortui est invitatus. Ep. 10. lib. II. IDEM.

Ἀπαῤῥησίαστον] *Impeditam, et reprehendendi licentia carentem.*

Τίς δ' ἐστὶ δοῦλος] *Quis est servus, de morte securus qui sit?* Euripidis senarius, auctore Plutarcho in Commentario *de audiendis poetis.* Ad hujus versus sententiam existimo allusisse Didonem, IV. Æneid. *Quem timui moritura?* VICT.

Ἀσμένιστον] Jucundissimum.

Constantia] In sententiis dicendis; et Cæsari, si quid reipublicæ noxium esset facturus, se opponendi. GRÆV.

Quid loquantur] De nostra cunctatione. ibid. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 3

Arpis manserat] Hoc est, pernoctaverat. *Manere* sæpe est pernoctare. Hinc *mansio*, locus ubi pernoctamus. *Arpi* oppidum Apuliæ mediterraneum ad fluvium Cerbalum. Hodie ruinæ tantum supersunt, retinentes vetus nomen. Vide Cluv. Ital. antiq. lib. IV. cap. 12. GRÆVIUS.

Transisse] Pompeium. CORR.

Eum] Cæsarem: ut persequi posset. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 4

Εἰ μενετέον] An manendum in patria tyrannide oppressa: ea vero tyrannide oppressa, an quovis modo tyrannidis eversio molienda est, etiamsi civitas propter id de summa rerum periculum subitura sit.

Εἰ εὐλαβητέον] An cavendum sit, ne qui tyrannidem evertit, ipse evehatur.

Εἰ πειρατέον] An tentandum sit opem ferre patriæ tyrannide oppressæ verbis et rei opportunitate potius quam bello.

Εἰ πολιτικὸν] Utrum civis boni sit, secedentem aliquo, quiescere oppressa a tyranno patria, an quodcunque subeundum discrimen pro libertate.

Εἰ πόλεμον] An bellum inferendum regioni, eaque sit obsidenda, si a tyranno opprimatur.

Εἰ καὶ] An etiam is, qui non probet, ut bello tyrannis evertatur, tamen nomen suum profiteri cum fortissimis viris debeat.

Εἰ τοῖς] An cum bene meritis et amicis una subeunda sint pericula in rebus, quæ pertinent ad rempublicam, etiamsi illi minus recte de summa rerum consuluisse videantur.

Εἰ ὁ μεγαλα] Utrum de patria bene meritus, ob eamque causam gravissima quæque passus et invidia oppressus ultro pro patria discrimen subire debeat.

Εἰ ἐφετέον] An permittendum ei, ut sui ipsius interdum et carissimarum personarum rationem habeat, dimissis adversus potentes concertationibus reipublicæ.

Τοῦ προέχου τὶ] Aliquid ex iis quæ ad rem pertinent.

Ἄκαιρος] Intempestivus.

Tuum diem] Quartanæ.

CICERO ATTICO SAL. 5

Gratulationi] Cæsaris ob victoriam Brundusinam. CORR.

Quam gravis] Aut, *gravis*, molestus mihi, qui de Cæsare jactaret ea quæ minime vellem; aut, *gravis*, qui nimium magna loqueretur, classes, exercitus, provincias. MAN.

Curtium] M. Curtium intelligit, de quo sic idem scribit epistola sequenti, *quovis potius certe, quam ut Curtium videat, quem ego patronus adspicere non possum.* De hoc Curtio ep. 47. lib. XII. et ep. 9. lib. XIV. BOSIUS.

Εὐστομάχους] Bono stomacho.

Dic, M. Tulli] Cum sententiam rogabor in senatu non tam de republica quam de ipso Pompeio, quid di-

cam? quomodo me explicabo? Ep. 7. lib. VII. MAN.

Semper enim causæ eventorum magis movent, quam ipsa eventa] Forte: *semper enim* me *causæ eventorum magis movent, quam ipsa eventa.* Nam in genere minus vera sententia est. CASAUB. Significat, Pompeii culpa in eam calamitatem incidisse rempublicam; qui per decem annos Cæsaris potentiam auxerat; ut sit inimicus Cæsari ob eventa, sed inimicior Pompeio ob causas eventorum. MANUT.

Balbi] Cui fidem habui, affirmanti Cæsarem optimo esse animo erga Pompeium, et concordiam cupere. Ep. 9. et 15. lib. VIII. MAN.

Hunc occideret] Pompeium Cæsar. Ep. 21. lib. VII. CORR.

Αὐτίκα] *Statim enim tibi deinde post Hectorem mors parata.* Iliad. Σ. 98.

Αὐτίκα τεθναίην] *Utinam statim moriar, quando quidem sodali, cum interficeretur, non eram opem laturus.* ID.

Mercanda vita] Id est, ut hæc officia constent, vel ut his officiis ne desis, animam impendendam puto. Virgil. *Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.* J. F. GRON.

Tum se timuisse] Cum decreta de Pompeii valetudine faciebant. COR.

6 CICERO ATTICO SAL.

Nihil] Supple, accepimus.

Balbo] Cæsaris nomine rogaturo, ut in Italia maneret. Vide ep. 9. lib. VIII. MAN.

Quod is] Quod Balbus minor Canusii audisset Lentulum consulem transmisisse: qui ad Balbum patrem Canusio id scripsit. IDEM.

In Cosano] Agro vel littore, in quo naves Domitius paraverat, ut refert Cæsar lib. I. Cosa urbs Etruriæ: cui erant objectæ Igilium et Dianium insulæ, quarum meminit Plin. lib. III. cap. 6. Virgil. Æneid. X.

Quique urbem liquere Cosas. POPMA.

Ego patronus] Qui tribunatum ei a Cæsare petii. Ep. 13. lib. II. CORR.

Consules duo, et tribuni plebis] *Duo*, fortasse glossema fuit antecedentis verbi. Aut legendum, ut homo eruditus existimat, *Et duo tribuni plebis.* MANUT. Sed movendam esse tantum distinctionem alii existimant, ut paulisper quiescas post *consules*, ac deinde, *duo et tribuni* continuetur.

Septentriones venti] Plin. lib. II. cap. 47. qui contrarii sunt navigantibus Brundusio in Græciam. CORR.

Οὐδέ μοι] *Neque mihi pectus firmum, sed consternato sum animo.* Iliad. Κ. 93.

A primo] A primo tempore, ab initio. Sic epistola 11. libri VIII. *Sed hoc a primo cogitavit, omnia maria movere.* BESIUS. Pro *a primo* vulgo dicitur per ellipsin *primo.* Vide Gron. ad Senec. de Vit. Beat. 7. et Gasp. Sciopp. in Paradoxis litterariis ep. 1. GRÆV.

Αἰσχροῦ φαντασία] Turpitudinis imago.

Ut quidem scias] Ut intelligas, quo loco sint Pompeii res: cum etiam Q. Titinii filius, amici nostri, qui bonum se civem esse præ se fert, cum Cæsare sit. Ep. 21. lib. V. et 24. lib. IX. MAN.

Sed illum] Quia, præter propositum, interposuerat de Titinii filio, omissum reprehendit hac particula, *sed*, ad connectendum apta, et usitata. *Illum*, autem, Cæsarem. IDEM.

Gratias] Quod mare non transierim. *Quam vellem*: pœnitet enim. ID.

Ἐν δυνάμει] Cum vi, et efficacia.

Σύντε δ' ἐρχομένω] *Utroque nostrum, quid optimum factu, cogitante.* Iliad. Κ. 224. Refertur idem *Fam.* IX. 7.

Populari vita] Popularis vita Ciceroni est, qua populus utitur sine honoribus et dignitatibus vivens in otio. GRÆV.

Intelligebam] Arbitror legendum, *non intelligebam.* Quod et aliis (nempe Corrado) videtur. LAMBIN.

CICERO ATTICO SAL. 7

Celeripes] Quidam tabellarius. *Celeripes* est ut *loripes, tardipes*, &c. GRÆV.

Τὸ συνίχον] *Argumentum firmissimum ad meam mansionem defendendam.* Sic alii explanant, ex Quintiliano, cap. ultimo lib. III. sed potius videtur sic explanandum: Effecisti *quod proximum* erat, cum non posses recreare. MANUT.

A Sexto] Sext. Peduceo.

Ἀπάντησις] Obviam itio.

Ut idem] Ne Pompeium ulla re lædam, neque adsim, cum in senatu contra illum agetur. MAN.

Quo modo in tanta insania] Sana mente scriptas, quo modo in tanta insania scribi potuit. Ut non prorsus sana mente scriptas affirmet: sed præ insania illius, sana mente. MAL.

Πολίτευμα] Curam publicam.

Μή μοι γοργείην] *Ne mihi Gorgoneum caput horrendi et gravis monstri.* Odys. A. 633. Inerat enim Pompeio honor eximiæ frontis, auctore Plin. lib. VII. cap. 12. quamvis esset aspectu populari gratiæ accommodato. *Plut.* CORR.

Εἰδώς σοι λέγω] Sciens tibi dico.

Ἀχαριστίας] Ingrati animi.

Ὁ πλοῦς] Navigatio tempestiva.

Nimium optimati] Pompeii partium studioso, et sæpe pro Pompeio mentienti. Nec sine ironia dictum de liberto. MAN.

Ambulandum, ungendum] Quæ laborantibus, quartana præcipiuntur a medicis. IDEM.

BALBUS CICERONI IMP. S.

Ex quibus] Σολοικοφανής. Nam, *ex quibus*, refertur ad epistolam credo, cum et litteras, et epistolam Balbus nominasset: eadem diversorum nominum significatione deceptum, illud, *ex quibus*, ut de litteris, non ut de epistola, protulisse. MAN.

Milonianis] Cum reum Milonem in judicio defendisti. IDEM. Id pene significant ipsius orationis pro Milone verba illa: *arma, centuriones, cohortes præsidium denunciant.* CORR.

CICERO ATTICO SAL. 8

Profectus] Ad Pompeium. MANUTIUS.

Alter] Torquatorum alter, nempe Lucius, multos jam dies profectus. BOSIUS.

Corona] Dolet Sabinos in circulis ac coronis jacere sermones de proscriptione, quam forsitan non cogitet Cæsar, cum adhuc clementiam in victos ostenderit. MAN.

Exierint] Obviam Cæsari; Brundusio redeunti. IDEM.

Cui dicerem] Quam rogarem, quo modo redeuntem Brundusio Cæsarem exciperem, et amplexarer: sicuti rogat eam, facie Mentori simulatam, Telemachus Ulyssis filius. IDEM.

Μέντορ] *Mentor, quonam modo adeam; quonam modo amplexabor illum?* Odyss. Γ. 22.

CICERO ATTICO SAL.

Palpabo] Blandiendo, adulandoque leviter tentabo, et experiar. BOSIUS.

Σοφιστεύω] Declamo.

Θέσεις] *Quæstiones.* Vide ep. 4.

Διονύσιος] Superbienti Philippo, Lacedæmonii rescripsere suo more breviter: *Dionysius Corinthi.* Id in proverbium abiit. Quid eo velit Cicero, solus vidit Mongaltus, quem sequor. Alios si audimus, significat vereri se, ne tam sit inglorius ac ridiculus, quam optimates ii, de quibus scripse-

rat Atticus, Romæ tam vacuos vivere, ut scholas habere possent, ut habuerat Corinthi Dionysius, Syracusis pulsus, et regia exutus potestate. Atqui hoc Lacedæmonii cum scriberent, non insultabant ludi magistro, olim regi: sed Philippum admonebant, ne secundis rebus insolesceret; esse enim fortunam mutabilem, quæ posset ipsum quoque, uti Dionysium, de gradu dejicere. Hujus ergo loci sententia hæc est: Ais probari optimatibus, qui Romæ sunt, consilium manendi in Italia meum; nempe quoniam præpollet nunc Cæsar: at non ignoras mutari fortunam posse: si se reddiderit Pompeio, et hic rempublicam recuperarit, quid me fiet? Vide supra, VIII. 3. infra, X. 8. quibus in locis hæc eadem narrat. OLIVETUS.

Clodia] Socrus L. Metelli. Vide ep. 4. hujus libri. CORR.

De corruptis navibus] Præcisis, aut incensis. Ibid. IDEM.

Discessu] Plerique alii, *dispersu*.

De septentrione] Ἀλληγορικῶς intelligo. Cic. ep. 6. hujus libri dixerat septentriones flasse, qui solvere cupientes Italia in Epirum impediebant. Atticus erat aliquid jocatus, et dixerat, se valde vereri ne septentriones vastaturi sint Epirum, intelligens exercitum Pompeii. CASAUB. Aliter tamen Mongaltus noster. Hæc enim vult intelligi de consulum discessu, qui, etsi septentriones flarent, in navem nihilo minus conscendisse tunc dicebantur.

Epirus] Ubi res habes tuas. CORRADUS.

Quam hunc] Quam Cæsarem. ID.

Cum illum videro] Cæsarem Brundusio revertentem. Vide epist. 7. IDEM.

Iste] Consules aberant Lentulus, et Marcellus. Agebatur ergo, quis haberet comitia designandis in proximum annum consulibus. Si extaret Attici epistola, nomen haud ignoraremus. MANUT. *Iste*, M. ut puto, Lepidus, non ille consularis (ep. 11. lib. VII.) sed prætor, qui paucis post mensibus Cæsarem absentem dictatorem dixit. CORR.

Commune] Ita, ut meo sicut aliorum consilio uti possit: vel *commune* de omnibus rebus, non solum de comitiis. IDEM.

Sententia consularis] Scilicet, ad acta sua speciosiora reddenda, si mea consularis viri sententia fuissent probata. GRÆV. Sed et Vict. et Bosius ediderunt *sententiæ*. Utrumvis elige.

Nos autem] Augures. CORR.

Collegæ consulum] Si enim creantur prætores, ut collegæ consulum sint, creari a prætore non possunt. Non enim collegæ consulum dicerentur, creati ab eo, cujus imperium consulari imperio minus est, ideoque a consule creantur. Gellius lib. XIII. cap. 14. MAN.

Τότε μοι] *Tunc mihi dehiscat lata tellus.* Subaudi, cum a me decernetur quid tale. *Iliad.* θ. 182.

Transierint] Cum Pompeio.

Lanuvino] Fundo, cujus dominus Phameas. Alii, pro *Lanuvino*, scribunt *Lanvino*. Neutrum male.

Te quoto anno] Indicat Cicero hic verbis summum studium Attici in quæstu faciendo, qui, quod majorem fructum perciperet ex fœtu pecuniæ, quam ex agrorum proventu, malebat nummos fœnori collocare, quam iis prædia comparare. Eum porro tradit mire cautum fuisse in nominibus faciendis. Primum enim quæsiisse *quoto anno* sortem reddituri essent qui fœnori pecunias sumebant, id est, quamdiu essent fœnebribus nummis usuri; tum *quantum* iidem *in solo* haberent, hoc est, quo pretio censerentur eorum prædia, et res soli: ne scilicet ii diutius nummos retinerent, quam ut bonorum prædiorum æstimatio satis esse posset omnibus usuris cum sorte persolvendis. Est ergo *Digamma*, ut recte Turnebus explicat, fœnus, ita dictum, a prima ejus vocis littera, quæ est digamma Æolicum. Sic libro XV. ἐπίσω τῷ Δ notavit. Cæterum Atticus Romæ pecunias fœnori occupare consueverat, utebaturque in ea re opera quorum-

dam argentariorum; quos Cicero obscure in his epistolis Oppios Velienses appellat. Deli etiam fœnebrem pecuniam habebat, ubi celeberrimus fuit mercatus, quemadmodum refert Strabo lib. XIV. Bosius.

Egi per prædem, illi daret] Quid? satis venditori cautum non fuit præde, ut rem emptori concrederet: nisi ipsimet prædi, quoad soluta res esset, quasi depositum traderet? Id mihi prædi cogitandum fuisse, non venditori videtur. Ego cum manuscriptis libris, Antoniano, Faerni, Poggii, Maffei omnibus, *Ille* malim legere, hoc sensu: Ego hortos a Phamea H-S. Q. emere volui: et ut eo libentius descenderet, egi per ipsum prædem, mihi ille ut daret. Noluit. Ita enim dicimus, *Egi daret*, ut, *Egi ut daret*. Malasp.

Venale] Cum Phamea Lanuvinum Antii proscripsisset. Man.

Dementias] Sumptus immensos factos in ædificando et exornando Lanuvino, unde impensius venibat. Bosius.

Liberalibus] Hoc est, xv. Kal. Aprilis. Corr. Ex hac epistola, Pompeium profectum esse, constat. Quomodo igitur dicit Plutarchus, eum profectum esse Liberalibus? Nimirum errare potuit. Homo enim fuit. Nec alibi non erravit. Man.

CICERO ATTICO SAL. 10

Ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς] In amatoriis.

Avis illa] De qua scis a Platone scribi in epistola ad Dionis propinquos, cum se a Dionysii tyranni custodibus observatum, ne horto regiæ domui conjuncto egredi posset, extra spectare, tanquam avem e cavea dicit. Man.

Mare] Ut ad Pompeium navigem. Idem.

Quam crebro illud] Quam sæpe auditus est, cum diceret, Cur ego non potero, quod potuit Sylla, regnare, dominari? Supra, ep. 7. *Mirandum in modum Cnæus noster Syllani regni similitudinem concupivit. Nihil ille unquam minus obscure tulit.* Olivet.

Hæserunt] Alte infixa in animo.

Porsenam] De Porsena, et Octavio Mamilio *Livius*, lib. II. Dionysius Halic. lib. V.

Recte? immo jure fortasse] Affirmarit-ne Cicero, aut concesserit, *recte* Syllam fecisse, Marium, Cinnam, movendis armis civilibus? Equidem non arbitror. Quare post *recte* notam interrogationis posui, quæ a cæteris editionibus abest. Id fit *recte*, quod nulla reprehendi ex parte potest. Quod non sine causa fit, quæ sit probabilis, id *jure* factum videtur. Causas vero idoneas habuisse illi videbantur duces bellorum civilium, quas rerum Romanarum scriptores fuse narrarunt, Florus breviter exposuit *lib.* III. *cap.* 21. Olivet.

Aliquid conveniret] Aliqua ratione res componeretur. Man.

Hic] Cæsar. *Ille*, Pompeius.

Sub signo habeo] Alibi: *sub signo claustrisque*. Sic Horatius de suo libro loquens extr. ep. lib. I. *Odisti claves et grata sigilla pudico.* Unde apparet scripta et chartas caras sub signo claustrisque fuisse solita servari. Casaub.

Ἀλογίστους] Absque ratione.

Ὑποκορίζῃ] Honesto nomine appellas.

Χρησμὸς] Oraculum.

Ἀσπονδον] Æternum, inexpiabile.

Φιλόπατριν] Studiosum patriæ.

Πολιτικὸν] Reipublicæ deditum.

Fugamne fidam] Quid si corrigatur: *fugamne fœdam, an moram desidem*, &c. Man. Alii aliter mutant. Consultius autem duxi et hoc loco veterum codicum corruptam lectionem dare cum Victorio, et Manutio, quam incertas conjecturas pro Attici verbis venditare. Græv. Vide, si vacat, Turnebi Adversaria, lib. I. cap. 21.

Syllaturit] Genus illud Syllani regni appetit. *Proscripturit:* proscribere cupit. Vide lib. VIII. ep. 11. Corrad.

Γενικώτερον] *Generalius*, ut γενικῶς ep. 11. lib. I. vel potius, *magis generose*. Nam Suidas γενικῶς, γενναίως, καὶ ἰσχυρῶς exponit. Et Plat. in Theæt. γενικὸν ἄνδρα vocat. Atque Atticus Ciceronem γενικώτερον hortatus fuerat ad memoriam factorum, dictorum, et scriptorum: ep. 2. lib. VIII. Quin Cicero ipse εὐγενῆ quædam Attici consilia vocat ep. 9. lib. VIII. CORR.

Νεκυίαν] Mortuorum turbam, hoc est, flagitiosum Cæsaris comitatum: quod ad Cæsarem egentissimus, et perditissimus quisque ita confluxerat, ut ad Ulyssem, cum ad inferos descendisset, confluxisse scribit Homerus. Odyss. Α. Vide Tusc. I. cap. 16. MANUT.

Ἀποροῦμαι] Dubius sum.

Στερκτέον] Probandum.

Τὸ μέλλον] Quod futurum est: καραδοκήσεις, expectabis.

Ἐπὶ τὴν λῆψιν] Sub ipsam febris accessionem.

Opus] Te esse cum Pompeio.

Ἀσμένιστον] Jucundissimum.

11 CICERO ATTICO SAL.

Cæsari] A quo Corfinii captus, incolumis esset dimissus. Ep. 12. MAN.

Consilio] Id est, quod ipse constituerit in posterum facere, id mihi significare voluisse per C. Cæcium, sive *Cæicium:* nam ita legit Fulvius Ursinus in gente Cassia: in cujus nummis invenit *L. Cassius Cæicianus*. J. F. GRON.

Quinquatribus] Festis Minervæ diebus, qui Græcis erant Παναθηναῖα: Latinis, *Quinquatria*, et *Quinquatrus*, ut mox ep. 13.

Νεκυίαν] Vide superiorem ep.

Multo] Forte, *mutuo*. CASAUB.

Πολιτικὸν] Civile, reipublicæ utile.

Qua prudentia, potes] Qua prudentia scilicet hæc jactent palam. Locum corruptum sic emendavit Grævius. Quod si Tullii verba non habes, at sententiam habes aliquam, cum nulla ex vulgatis elici possit. Præeunte igitur Mongalto nostro, Grævium sequor. OLIVET.

Has pestes] Cæsarianos. MAN.

Convenire] In urbe: ut eorum bona vendant. IDEM.

Μακροψυχίαν] Longanimitas, si Latinum verbum Græco par fingere velis, significatur, et infinita quædam et obstinata ratio obsistendi. VICTOR. Nihil certius emendatione Magnuli apud Manutium, qui legendum censet μικροψυχίαν. Hoc enim sensus postulat. Tam abjecto et demisso animo est Pompeius, inquit Cicero, ut non solum metu Cæsaris ex urbe et Italia excesserit, sed quod ne in Epiro audeat manere, sed fugam moliatur in longissime remotas regiones Arabiam, Mesopotamiam, Ægyptum, omissa Hispania sua provincia in qua habet exercitum. Hæc μικροψυχία est, quam in tot epistolis exagitat Cicero. Facessat igitur hinc μακροψυχία, unde malum pedem intulit in codices. GRÆV.

Εὐδαίμονα] Felicem.

Hæc] Cæsariana: *illa*, Pompeiana.

Post fugam nostram] A quo tempore discessi ab urbe. Deinde Muretus malebat, *nunquam jam* tantum *earum intervallum sit*. GRÆV.

12 CICERO ATTICO SAL.

Mucianum] Q. Mucius Scævola jussu Marii junioris tum consulis trucidatus est in curia Hostilia. POPMA.

Tuis] Lambinus conjicit, *Quam evigilatæ tuæ cogitationes*.

Dionysio] Ep. 4. lib. VII.

Viri boni] Non sunt hoc loco optimates; sed ut mille aliis in locis harum epistolarum, viri locupletes, fœneratores, qui pecuniam sub usuris elocant. Vide Gronov. IV. Observ. 5. GRÆV.

Ad fines] Id est; suppetit-ne tibi aliquid consilii, quo perducar *ad fines*,

ad metas hujus infelicissimæ vitæ, et in aliam beatiorem migrem? Bos.

Οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος] *Non est verus sermo.* Principium est palinodiæ illius, quam fecit Stesichorus, cum Helenæ maledixisset, eoque nomine oculis privatus esset. Ponit autem Plato in Phædro, his verbis, τῶν γὰρ ὀμμάτων, &c. id est, *nam cum oculis orbatus esset Stesichorus, propterea quod Helenæ maledixerat, non ignoravit, quemadmodum Homerus: sed, utpote qui musicus esset, causam ejus rei intellexit, et continuo hoc carmen fecit: Non verus ille est sermo: nunquam navibus vecta est velivolis opulentæ ad Pergama Trojæ.* Absoluta igitur tota illa, quæ appellatur, palinodia, sensum oculorum statim recuperavit. LAMB.

Ille] A Lepta scriptus. CORR.

Εὐημερίαν] Prosperum diei factum.

Mera scelera] De consilio Cæsaris intercludendæ Pompeio fugæ. MAN.

Melior] Ut præsens, et Cæsarianus.

CICERO ATTICO SAL. 13

Pristinas cogitationes] De profectione mea ad Pompeium: quem cum scripserit Dolabella primo vento navigaturum, navigasse puto; quoniam pridie Quinquatrus tempestas fuit ad navigandum maxime idonea. At quomodo hoc jubent litteræ, Dolabellæ, qui Cæsaris in præsidiis erat? *Jubent*, dixit, pro, efficiunt: cum navigasse Pompeium significent. MANUTIUS.

Συναγωγὴ] *Collectio.* Intelligit illa consilia, quæ ex variis litteris Attici collecta conjecerat in epistolam 10. hujus libri. GRÆV.

Superiorum] Superioris injuriæ, cum me, suum præsidium contra meos inimicos implorantem, deseruit. Vide supra ep. 4. hujus libri. MAN.

Similitudinem] Primo me deseruit, cum patria pulsus sum: deinde adjuvit, ut restituerer: item ego, quod ante omisi, nunc facere debeo, ut eum adjuvem. IDEM.

Etiam valde] Conjiciebat Muretus: *et quam valde, et quam ob causam.*

Ἐλάπιζεν] *Ostentabat,* supra veritatem narrabat.

Peditum ccIↃↃ] Id est, peditum decem millia, equitum sex millia. BOSIUS.

Λάπισμα] *Ostentatio.*

Vectigal] Vectigalia provinciarum, quæ sibi pendi jubebit Pompeius, tanquam imperatori senatus populique Romani. Provinciæ pleræque, præcipue Orientales erant a partibus Pompeii. Cæsar vero habebat bona civium, urbem tenens et Italiam. GRÆVIUS.

Ac vellem, scribis] Forte Cicero scripsit: *ac vellem quinam hi significasses.* Valde absurde *scribis*, quod tertio ab hinc verbo præcesserat, repetitur. Quod vitio librarii tribuendum. Sententia sic erit aperta. Multi optimates oderunt hunc, qui ludendus erit, ludum, ut tu scribis, propter incertos belli eventus, metuens sibi a Cæsare, quem sibi merito putant iratum. Ac vellem addidisses, quinam hi sint optimates, qui hunc ludum oderunt. GRÆV. Forte legendum: *Ut tu scribis, lugent, ac vellent scilicet. Quis non hoc significat? Lugent,* deplorant infelicitatem Pompeii. *Vellent* scilicet eum lugere jure, nempe mortuum. J. F. GRON.

Sed et iste] Omnino *amatur* excidisse censeo, quia statim bis illud idem verbum sequitur. Nam et in hoc genere sæpe librarii errarunt ut idem verbum semel iterumque in eadem periodo repetendum semel tantum scripserint, et interdum cum illo, quod iterandum erat, totos versus omiserint. Nullus dubito quin Cicero scripserit: *Sed et iste, quia plus ostenderat, quam fecit, amatur, et vulgo illum, qui amarunt, non amant.* Cæsar amatur, quia non tantum mal importat, quantum præ se ferebat, cum bellum inferret urbi et Italiæ: lenem enim se præbet et clementem non solum erga eos, qui quiescunt, sed et qui arma contra illum tulerunt,

si in ejus incidunt manus, ut ostendere illi, quos Corfinii cepit, cives Pompeianarum partium. Pompeium vero multi non amant, qui ante amici ejus erant, et quod urbem et Italiam deseruerit, et quod eis famem et vastitatem minetur, pestiferumque bellum adductis barbaris cogitet, multaque alia in se admittat, quæ in bonorum odium eum adducunt. Muretus rescribebat: *sed et istum, quia plus ostenderat, quam fecit, amant, et vulgo illum, qui amarunt, non amant.* Verum J. F. Gronovius leg. suspicabatur: *se dat iste:* hoc est se venditat, amabilem facit. Ep. 5. hujus libri: *Vide ut se huic dent, ac daturi sint.* GRÆV.

Γοητείαν] Præstigias.

Πειθανάγκην &c.] Suasionem violentam. Nam tyrannorum preces, inquit Plato, permistæ sunt, ut scis, necessitatibus.

Ἀλίμενα] Loca portu carentia.

Occultationem] Ne laurus hæc nostra in oculos, et in voculas malevolorum incurreret. CORRAD.

Ὑπηρεσίαν] Comitatum, ministrorum observantiam.

Scierimus] Quid Brundusii actum sit, num Pompeius classe abierit. MANUT.

Sextus] Peduceus. Ep. 12. lib. VII.

Trojanum] Lanuvinum et Trojanum erant duo prædia Phameæ: utrumque vicinum agro Antiati. Itaque cum Phameas Lanuvinum Antii proscripsisset, Cicero falso crediderat esse illius Trojanum: cui nomen a Troja, loco in agro Laurente finitimo Antiati, Ardeati, Lanuvino: in quo primus in Italia Æneas cum suis constitit. Festus, et Cato in Originibus. POPMA.

Volui Q.] Quingentis millibus emere. Vide ep. 8. MAN.

Pluris est] Carius venditur. *Esse* sæpe est venalem esse. GRÆV.

Ex illo libello] Intelliges. CORR. Videtur ista ellipsis dura et parum usitata. Si manuscripti annuerent, legerem potius: *Nos quæ monstra quotidie intelligimus ex illo libello, qui in epistolam conjectus est!* GRÆV.

Ἀδημονῶν] *Mœroris plenus.* Lentulus, inquit, Puteolis curis et mœrore se ipsum exedit, ut ex Cæcio audivi. *Quid agat miser?* non audet ire ad Pompeium, propter dedecus, quod deditione Corfinii suscepit. GRÆV.

Διατροπὴν] Dedecus, infamiam, cujus pudeat. *Corfiniensem*, qualem Corfinii captus sibi videtur subiisse. CORRAD.

Pompeio] Cujus culpa captus est, quamvis Pompeius eam in Domitium conferat. Ep. 16. lib. VIII. IDEM.

Perspecta re] Hoc est, postquam cognovit infirmitatem partium Pompeianarum. GRÆV.

Hæc] Pars hæc epistolæ ex intervallo adscripta post acceptas a Balbo, et a Dolabella litteras. Cum enim oppugnari Pompeium cognovisset; dolore percitus, *Men'*, (alii, *Ten'*) inquit, *hæc ferre posse?* aut est initium epistolæ. MAN.

Non credebam] Putans fore, ut potius per Pompeium, quam per Cæsarem staret, ne pax fieret. Ep. 23. lib. VIII. CORRAD.

Miser torquetur] Εἰρωνικῶς. Ut et illud, *Balbi optimi*, proxime dictum. MANUT.

Sententia] Discedendi. CORR.

Hoc] Hac mansione. IDEM.

Αὐθεντικῶς] Certo autore.

Cn. Carbonis, M. Bruti] Quos Pompeius, Syllæ socius, occiderat. Appianus, Plutarchus, alii. MAN.

Ad ambitionem] In locis corruptis aliud est sententiam videre, aliud verba restituere. Ego hic, quid Cicero dicat, intelligo: sic enim opinor: quibus verbis dicat, divinare non possum. Duæ sunt comparationes, una Curionis et Cæsaris cum Pompeio et Sylla; altera Pompeii cum Sylla. In priore non Curionem crudeliter improbeque se duce facere,

ati fecerit Pompeius duce Sylla, significat; sed, ut sibi Curio rebus in omnibus obsequatur, itidem Pompeium, quascumque res Sylla imperaverit, aut voluerit, in iis rebus dedisse operam ut illi plane satisfaceret. Non igitur facta Curionis cum Pompeii factis comparat; ne et se Syllæ, et Curionem Pompeio similes in crudelitate faciat, sed voluntatem confert cum voluntate, obsequium cum obsequio. Posterior comparatio Pompeium et Syllam æque indicat inique fecisse: cum Sylla victor proditores patriæ reduxerit, Pompeius consul III. lege de ambitu lata in exilium ejecerit eos, quibus veteres leges damnatis de ambitu exilium non irrogabant. Itaque Syllæ primum viventis imperio, deinde mortui exemplo fecit improbe Pompeius. Constat, opinor, satis de sententia: verba consideremus. *Ad ambitionem*, mendose dictum. *Ab illo*, non est quo referatur, nec dubito, quin desit, *ab hoc*. Ut sit; *ab hoc*, a Pompeio: *ab illo*, a Sylla. *Reductos*, postulat alterum participium, hujusmodi scilicet, *ejectos*, aut, *expulsos*: ut hoc totum aut his fortasse, aut similibus certe verbis Cicero scripserit: *Ab hoc lege de ambitu nova, quibus exilii pœna superioribus legibus non fuisset, ejectos; ab illo patriæ proditores de exilio reductos esse*. De ambitu quidem legem Pompeiam significat; de qua Pedianus, et Cæsar ipse lib. III. de bello civili. IDEM.

Per vim] Quasi judices eum Pompeii consulis metu condemnassent: quia, cum judicium Milonis ageretur, exercitum in foro, et omnibus in templis, quæ circa forum sunt, collocaverat. Quod Cæsar *ibid.* reprehendit. IDEM.

Arma] Tulisset. Pompeius autem omnibus minabatur, qui ipsius in præsidiis non fuisset. IDEM.

Hæc contra] Subaudi, narrabat Cæsarem talia non loqui. POPMA. Forte, *Hæc coram Bævius*, &c. J. F. GRONOV.

Sed quis] Hoc sensu: Non infans ille quidem est, sed ita obscurus, ut, quis sit, nemini possit dicere. IDEM. Scribe: *sed quis illa non dicat?* hoc est non inscius narrandi et augendi quæ audieris: sed adeo palam ostendit Cæsar, se hoc agere, et acturum esse, ut nemo tam puer et ignarus rerum dicendique sit, qui non eadem quasi ab eo dicta fingere et jactare posset. J. F. GRON.

Illinc] Brundusio. CORRAD.

Auteros] Libertus fuit Attici, cujus mentio fit epistola prima libri XI. Sensus autem horum verborum est: a te nihil attulit litterarum, ne Anteros quidem, qui a te venit. BOSIUS.

CICERO ATTICO SAL. 15

Veniam] Ut absim, cum aliquid in senatu contra Pompeium agetur. Epist. 6. MAN.

Augurum decretum] Ut augures decernant, licere prætori comitia consularia habere, aut dictatorem dicere. Ep. 8. IDEM.

Rapiemur] Romam, ut augur, et senator id decernam: aut, si recusabimus ire, vexabimur. IDEM.

Nihil expedio] Cogitatione nihil explico, nihil assequor nisi hoc, exitum mihi impendere aut Q. Mucii, qui est a Mario juniore occisus; aut L. Scipionis, quem Sylla proscripsit. ID.

Τίτλα, κύττε. *Perfer: gravius*, supple *tulisti*. Odyss. Cum, scilicet lege Clodia pulsus indignissime exulasti. Tibi, inquit, illud nostrum, Attice, gravius videtur: mihi contra. Proprium enim non erat, hoc non ejusmodi, ut idem semper futurum esset, quod mutari non posset. Id enim valet *proprium*. Ad locum Homeri de Ulysse respexit. Quæ verba Horatius, Ulyssem cum Tiresia loquentem inducens, ita vertit Sat. 5. lib. II.

——Fortem hoc animum tolerare jubebo:
Et quondam majora tuli. MANUT.

Veniam daturum] Concessurum, ut absim, cum in senatu contra Pompeium agetur. Epist. hujus lib. 6. ID.

T. Rebillum] Titus Caninius Rebillus dicebatur. BOSIUS.

Ἄλλα μὲν αὐτὰς] *Alia quidem ipse, alia vel deus suggeret.* Verba Homeri ex III. lib. Odysseæ, quæ Minerva Mentorem referens pronunciat, hortans Telemachum, ut absque timore Nestorem alloquatur. VICTOR.

Mandata] De pace. CORRAD.

Antiquorum hominum] Græci item ἀρχαίους appellant rudes, et stultos homines, et propter eandem causam εὐήθεις eosdem quoque vocant. Miratur Cicero, seque nimiæ simplicitatis damnat, quod Atticus justam suam in Dionysium iracundiam reprehenderit, seque magnopere stultitia sua et nimia bonitate deceptum dicit, putasse gravius illum laturum, quæ Dionysius improbe fecerat, quam se, duabus de causis: et quia amicum offenderat, debemus autem injuriis amicorum commoveri: et quia judicium ac testimonium, quod de illo apud se fecerat, fefellerat. VICTOR.

Philargyro bene] Sic omnes veteres et novi codices: quare nihil mutavimus. Quamvis alii, *de Philargyro* legant. Putamus autem de Dionysii injuria adhuc Ciceronem loqui. Cum enim (ut opinor) de hac re Philargyrus sermonem haberet cum Attico, Ciceronemque fortasse accusaret, planum ei fecit Atticus rem aliter se habere, atque ille putaret. Credebat enim Philargyrus Dionysium esse relictum, et ejectum, cum ipse potius improbe Ciceronem reliquisset. Ideoque dicit illum habuisse causam et veram et bonam: res enim ita se habebat. Facile autem Ciceroni videbatur defensio sua suscipi, et ad exitum perduci posse, ut scilicet in eo negotio nihil culpæ admisisse probaretur. Existimamus autem intelligi debere, *respondisti*, seu aliquod simile verbum. VICTOR. Pro *respondisti*, Bosius ex suis MSS. reposuit *curasti*, quam deinde vocem in contextum Gruterus et Grævius intruserunt. Cum huic loco non satis apta videretur, malui Victorium, Manutium, ac Lambinum sequi. OLIVET.

Quos cum Matio] Malim *quos Matio* inducta præpositione. Qui enim cum Matio et Trebatio miserit, qui et Trebatium neget se vidisse: et ab eo Matioque litteras acceperit? Itaque puto Ciceronem ut Trebatium alloqueretur, ante congressum cum Cæsare, ad eum pueros misisse: quos ait, jam datis litteris, ad VIII. Kal. rediisse: nec dubito, quin proximas superiores intelligat. Trajecta forsan dictio est, legique oportet, *Pueri quos Matio et Trebatio miseram.* MALASP. Assentior Malaspinæ, recte hunc locum emendanti. GRÆV. Potest manere incolumi sensu præpositio *cum.* Quippe collocutus cum Cicerone Matius, se ad Trebatium retulerat: cum illo pueros miserat Cicero, qui ab utroque afferrent litteras. MONGALT.

MATIUS ET TREBATIUS CICERONI IMP. S.

Facit ut antecedat] Romana lepidaque dicendi ratio, qua tempus actioque describitur. *Facit* enim *ut antecedat*, idem valet quod, antecedit. Sic infra, lib. XI: *Eo feci, ut celeriter eunti darem:* pro eo quod est, Dedi. Item Ampio Balbo, libro epist. ad Torquatum: *Plane ita faciunt, ut me unice diligant:* quod est: Me unice diligunt. MALASP. *Antecedat* hic proprie accipitur, pro, prior iter ineat ad te, quam ego, qui sequar; ac prius ad vos veniat, quam ipse Cæsar, ut tuo desiderio cum illo loquendi ante congressum tuum cum Cæsare satisfiat. GRÆV.

16 CICERO ATTICO SAL.

Opes meas] Ex ambiguo, perinde ac si dicat, res meas. CORRAD.

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S. D.

Gratiam] Hanc vero gratiam habebo genero tuo, quod tecum aget, ut ad urbem mihi præsto sis. Neque aliter tibi suadere poterit. Et vero Dolabella hoc suasit, et Cæsar de eo gratias illi egit. Ep. 4. lib. X. POP.

CICERO ATTICO SAL. 17

Quid præripi] Scilicet, necesse est: statim ut cum eo locutus ero, perscribam quæcunque fecero. Non oportet hæc anticipare, et ante, quam gesta sint, velle explicare. Eodem hoc verbo, eodem significatu utitur prima sequentis libri epistola: *Nisi si tu aliter censeas, et hinc abero, et filii: sed alterum mihi est certius, nec præripiam tamen: expectabo tuum consilium.* VICT. Faernus ex corrupta scriptura *præcipit*, quæ est in libris manuscriptis, primus *præcipio* legendum conjecit. URSINUS. Lege: *Sed quid præripis?* hoc sensu: sed quid anticipas et ante tempus quid aves ista scire, quæ posteaquam convenero Cæsarem, ad te prescribam? TURNEB. *Advers.* lib. XXI. Mihi Faerni conjectura maxime probatur. Nam et Balliol. et Helmst. *quid præcipit* scribunt. Hinc nihil facilius, nihil ad hanc sententiam accommodatius fingi potest, quam *quid præcipio?* GRÆV.

Istic puto] Romæ. CORR.

Inde] Patris. IDEM.

Id modo nuntiant. Sane] Putamus ita legi posse: *id modo nuntiant sanum:* hoc est, nuntiant illi quidem sanum: sed nihil addunt, unde probent, id verum esse. IDEM. Cæteri nescio quid nugarum. Grævio probabilis videtur Corradi conjectura: sed Victorii tamen retinenda lectio, donec e Mss. verior eruatur. OLIVET.

CICERO ATTICO SAL. 18

Oratio] Cum Cæsare. MAN.

Exitum] Sermonis. IDEM.

Ut deliberarem] Subaudi, diceret. IDEM.

Νεκυία] *Funus.* Vide ep. 12. huj. libri.

Eros Celeris] Ita dictum est, ut Davus Chremetis. Hic enim subintelligitur, libertus, aut, servus. Fuerat enim Eros quidem L. Metelli Celeris libertus. LAMBIN. Forte Cicero scripsit, *in quo erat ἵερος scelerum*, desiderium, cupiditas turpiter faciendi. J. F. GRON.

Rem perditam] Et perdita Cæsaris causa, et copiæ ejusmodi, ut sperare nihil possis. MAN.

Fuerunt] Quia Brundusio redibant. Et cum admiratione protulit: quasi vix credibile videatur, tot homines convenisse ad Cn. Pompeium circumsidendum. IDEM.

Multum] Hoc est, accerrimus est Cæsar et audacissimus. GRÆVIUS.

Extremum] Extremum vocat, postrema verba quæ Cæsar ipsi dixerat, ut scilicet deliberaret. BOS.

Κατακλεὶς] Clausula, conclusio.

Vidisti] Sermocinatio brevis. Quærit Atticus, *Vidisti igitur virum?* respondet Cicero, *Ut scripseras*, puta cum auctoritate quasi dominum se gerentem. Rursus Atticus, *Ingemuisti?* Cicero affirmat, *Certe.* Demum Atticus, *Cedo reliqua:* Cicero, *Quid?* continuo ipse in Pedanum, scilicet agrum vel prædium in regione Pedana, quæ erat inter Tibur et Præneste. POPMA.

Λαλαγοῦσαν] *Garrientem*, supple hirundinem. Suaserat Atticus Ciceroni ne præmature mari se committeret, sed ἔρηθα λαλαγοῦσαν, id est, χελιδόνα expectaret: quibus verbis indicabat ante ver adultum navigandum non esse ad Pompeium. BOSIUS.

Actum ne agas] Actum agere apud hunc auctorem est ea de re facienda cogitare, quam antea factam oportuit, et cujus gerendæ tempus jam præteriit. Idem auctor in Lælio: *Præposteris enim utimur consiliis, et acta agimus, quod vetamur proverbio.* Et supra hoc ipso libro, ep. 4. *acta ne agamus.* Sensus ergo horum verborum est, ne amplius cogites de navigatione ad Pompeium, cujus instituendæ tempus elapsum est. Oportuit enim cum ipso Pompeio navigare. BOSIUS.

Illum ipsum] Respondens Attici verbis, Quid inde? inquit Cicero. Si lapsus sum, quod non ante navigarim, lapsus quoque sæpe est et quidem gravissime ipse Pompeius, urbem scilicet et Italiam relinquens. GRÆV.

Πολιτικὴν] *Quæ sit viri reipublicæ periti.* Supple, scribas.

19 CICERO ATTICO SAL.

Ἀναθεώρησις] Conspectus.

Quam si una fuissemus] Scribendum: *quam si una fugissemus.* Qui libentius me visurus est nunc ad se venientem, quam si semper a primo ei adhæsissem, simulque ab urbe et ex Italia aufugissem. J. F. GRONOVIUS.

Volcatii] Fortassis L. Volcatius Tullus consularis sententiam dixerat, ut de pace ageretur. Sed quid refert, inquit, an de pace agatur? cum sit una sententia omnium ut Pompeium et rempublicam opprimant, Cæsarem defendant et extollant. POPMA.

Injustissimus] Totus a ratione aversus, minime justam in partem propensus. Pacem, inquit, in senatu Ser. Sulpicius dissuadebit, quia scit Pompeium amicum sibi nunquam fore, quoniam filium Brundusium misit ad eum affligendum. MAN.

Effligendum] Victoriana editio anni 1571. sic habet: sic et Malaspina libros suos testatur habere ad unum omnes. Quare non erat cur vocem, quæ Plauto familiaris est, hic non reciperent nonnulli. *Effligere*, inquit Grævius, est perdere. Verbum istud Ernestus monuit non esse apud Nizolium. OLIVET.

Ille vero] Ἀποσιώπησις, quasi dicat, Servius vero cupiditatis, certe mali alicujus causa. CORR.

Sententiam] Subintellige, dicamus. *Ut nihil novi:* dicamus. *Quid minimum:* hoc est velle me minimum mihi spiritum reliquum esse. Nam, ne quis, *quod*, inusitate dictum hoc modo putet; exempla aliquot afferam ejusdem Ciceronis, ut dubitatio tollatur. Epist. 4. lib. X. *Cum scripsisset*, inquit, *quod me cuperet ad urbem venire.* Et lib. II. de Off. (cap. 20.) *Videndum illud item, quod si opulentum, fortunatumque defenderis, in illo uno, aut forte in liberis ejus maneat gratia.* MANUT. Pulchre hunc locum videtur restituisse Gronovius ὁ πάνυ, quem legendum esse suadet: *stomachari desinamus, et aliquando sentiamus nihil nobis nisi (id quod minime vellem) spiritum reliquum esse.* Hoc est, intelligamus tandem et profiteamur, nihil nobis superesse præter vitam, qua ipsa etiam ut careamus optandum erat. Omnia alia et ornamenta et instrumenta amisimus, quid igitur stomachamur? Vana est sine viribus ira. GRÆV.

Infestum habebimus] Infestum reddemus. Est autem sententia, Pompeium classem parare ad intercludendos. Italiæ commeatus, id est ad patriam fame necandam: ad hunc se iturum. Epist. 8. Et cum iracunda ironia, boni cives, amantes patriæ, dixit. MAN.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER X.

CICERO ATTICO SAL. 1

Sexto] Peduceo. MAN.

Nonis Dec.] Anno U. C. 690.

Μὴ μὰν ἀνωνοῦδι] Ne ignaviter et inglorie peream: sed magno aliquo facinore edito, quod audiatur a posteris. *Iliad.* x. 304.

Illum emptum pacificatorem] A Cæsare corruptum. *Pacificatorem*, agentem de pace Volcatium, ep. 22. lib. IX. vel potius Serv. Sulpitium, ep. 1. lib. IV. Fam. et ep. 6. lib. XVI. CORR. Curionem, ut opinor, indicat, *qui primo*, inquit Paterculus, *pro Pompeii partibus*, id est, *ut tunc habebatur, pro republica: mox simulatione contra Pompeium et Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit; id gratis, an accepto centies H-S. fecerit, ut accepimus, in medio relinquimus.* BOS.

Senatum] Negat Cicero consessum illum senatorum senatum esse, vel quod legitimus non aderat senatorum numerus, vel quod ibi libere loqui nemo poterat. IDEM.

Flavio] Quorsum enim tu scribas Flavio legionem et Siciliam dari? nisi ut indices interclusum iri exitus Italiæ, ideo maturandum esse discessum nostrum? IDEM.

Mei] Quia migrare Athenas cogito. MAN. Lege, *jamjam mei*. J. F. GRON.

Legem] Vide Gell. Noct. Att. II. 12.

Attractum] Romam.

Summarius] Emptus pacificator. Mallem enim, *nummarius*. Ut *nummarii judices*, pretio corrupti, ep. 14. lib. I. Et placet ἱερωνικῶς dictum esse, *nisi forte:* quia scit Cæsari persuaderi non posse, ut quiescat. MANUT. Nos, *summœrius*. Summœrium vocat, quem modo appellarat emptum pacificatorem, diversa tamen ratione. Hoc enim nomine notavit Curionis impudicitiam, et turpe corporis obsequium, ut illo altero sordes, et avaritiam. Significat ergo summœrius publicam prostibulum, cujusmodi erant meretrices, quæ sub murorum fornicibus prostabant, unde et summœnianæ dicebantur. Martialis lib. III. *Summœnianas cœnet inter uxores.* Itaque summœrius est summœnianus. Nam muri, sive, ut veteres loquebantur, mœri, sunt mœnia. BOS. Placebat J. F. Gronovio *Submarius*. Hæc illius verba sunt in *lect. Plaut.* ad Pseudolum, sect. X. *Subballio*, quasi minor Ballio, inferior, vel alter Ballio. Compositio ideo notanda, quia in ea eleganter ludunt veteres. Nam ita Cicero *Submarium* dixit, qui est alter Marius crudelitate et imperii cupidine, *ad Att*, X. 1. Ita *Subneronem* vocat Domitianum Tertullianus.

Τῶν πολιτικωτάτων] *Propositorum, quæ ad rempublicam pertinent.* Locum hunc totum ita emendabat Muretus, Var. Lect. X. 12. Et commode quidem. OLIVET.

Ἐκφώνησις] *Exclamatio, egregie.*

Tu cum Sexto] Tu et Sextus Peduceus servastis, &c. CORR. Animadvertit Mongaltus, quod alii prætermisere, ea quæ consequuntur, scripta fuisse post acceptas Attici litteras, quas Cicero *vehementer* expectabat, et credebat *jam datas esse*. Et sane cum hactenus timuerit ne attraheretur Romam, et amici consilium exposceret, quo uteretur, si quid eveniret ejusmodi: deinceps ita scribit, ut qui intellexerit se accitum non iri, neque *habeat necesse scribere, aut etiam cogitare quod sit facturus.* Itaque ex duabus epistolis unam librarii fecerunt. OLIVET.

Celer] Q. Celer, de quo alias.

De juvenibus] De Ciceronibus. MANUTIUS.

Istud] Istud quid sit, nesciunt interpretes, et mendam in *M. Antonii* voce suspicantur.

Ἄση] *Anxietas.* Et hoc restituit Muretus, quem vide iterum *Var. Lect.* X. 12.

Πολιτευτέον] In republ. versandum.

Nec turpe:] Quippe cum probetur etiam Sexto. Ep. 6. lib. IX. CORR. Rectius legitur *et turpe.* Dicis, Attice, utrumque superiorum periculosum esse? At hoc quod ago, nempe, ut absim a bonis, et hic maneam non liber, sed servus malorum, id est revera turpe, nec tamen tutum ob duas causas, nec enim diu servitutem illam ferre potero, et sic eos irritabo in cædem mei, et nescimus an reipublicæ fortuna respiciat olim bonos, et sic victis malis ego quoque pro hoste habear. J. F. GRON.

Istum] Forte L. Cornelium Balbum, qui filium Brundusium miserat. MANUT. Volunt Corradus et Popma designari Ser. Sulpitium.

Me] *Non me, sed istum* legatum iri arbitror. MAN.

2 CICERO ATTICO SAL.

Δελαγῶνα] *Garrula*, hirundo.

Nec est quicquam] Nec videmus, aut quæ loca petamus, aut qua via. MAN.

Peritorum] Ut nautarum. CORR.

3 CICERO ATTICO SAL.

Profectusne] Cæsar in Hispanias, ut constituerat. Ep. 18. lib. IX. CORRADUS.

Cum igitur hæc scire] Repetendum est verbum, *cuperem*, e superioribus. BOSIUS. Muretus malebat, *ut igitur hæc scirem.*

In regia] Visus es in regia, publico loco, cum Cæsar urbem teneret. Nec reprehendo: quoniam ipse non veritus istam reprehensionem in publicum quoque prodivi. Reprehensio autem ista erat, quod qui illo tumultu armorum se in publico conspiciendos præbebant, hi non dolere rempublicam et libertatem oppressam viderentur, id quod Pompeiani calumniabantur. Regia fuit fanum in quo sacerdotes et pontifices convocati conveniebant, et rex sacrificulus solitus sacra facere. Varro, Festus, &c. POP.

Non venerim] In senatum.

Tullum et Servium] L. Volcatium Tullum, et Ser. Sulpitium.

Filios misissent] Servius certe quidem. Ep. 21. et ult. lib. IX. CORR.

4 CICERO ATTICO SAL.

Quos propter] Ordo est, *propter quos.*

Alia ex parte] Conatur et in Græciam persequi, et ei provinciam Hispaniam eripere. MAN.

Divine] Hoc est, quicquid animo prospexi futurum, id accidisse. *Divini* sunt vates, futura prædicentes. Hinc *scire divinitus* est futura prædicere apud Plautum in Curculione. GRÆV.

Quam ego XIV. *annis*] Quot inter meum, et præsentem consulatum numerantur. IDEM. Vide de hac futura tempestate, ep. 3. lib. IV. Fam.

Non tam, quia majore pietate est] Locus aut mutilus est, deestque quippiam sale *quia filius est, quam,* &c. aut corruptus; proque *non tam,* propensior sum in eam sententiam, ut *etiam* emendetur. MALASP. Priorem illius conjecturam recipit Lambinus.

Alter] Q. filius. CORR.

Ipsius] Q. fratris. MONGALTUS.

Pietatis] Quia simulavit ideo se ire, ut Cæsari ostenderet, nos optimo in illum esse animo: quod contra fecit. MAN.

Timide] Ad te scribo: quia scio tibi dolorem allatura. IDEM.

Nulla nostra culpa] Non in educatione vitium fuit, sed in natura. ID.

Nescio] Vereor, ne Cæsar, cum nostrum consilium cognoverit, nos observari, et fugientes retrahi jubeat. MANUT.

Si haberemus, &c.] Jacente republica nihil audeo contra pravam hujus naturam; ne videar adversari, non quia depravatus pessime de nobis mereatur, sed quia pro Cæsare faciat. Quod si esset aliqua resp. aut illum severitate reprimerem: aut, abjecta de illo prorsus omni cura, permitterem, ut ageret et suo arbitratu, et suo periculo quod vellet. IDEM.

Ignosces] Quia scripsi, quæ tibi scio fore acerbissima. IDEM.

Eum] Ipsum Curionem. IDEM.

Propius factum esse nihil] Quam ut L. Metellus occideretur. Hæc quatuor verba non opinor suo loco posita, sed collocanda post, *tribunum plebis*. IDEM. Muretus sic repurgabat hunc locum: *Propius factum esse nihil, quam Cæsarem iracundia elatum jussisse occidi Metellum.*

De ærario] Quia, cum ærarii claves non invenirentur, refractis soribus publicas pecunias abstulisset. Plutarchus, et infra, ep. 7. MAN.

Quod exemplum] Quod simile exemplum, quid tale unquam fuerit visum aut auditum in republica Romana, quale modo Cæsar in se admisit, cum effregit ærarium solus sine auctoritare senatus, et populi jussu, contra intercessionem tribuni plebis. GRÆV.

Cupivi] Egi cum Cæsare de senatus-consulto ab amicis et familiaribus occulte faciendo, quo mihi Siciliam provinciam cum imperio, fascibusque datam constaret: at ille, qui nunc senatui maxime est infensus, ita respondit: *Senatum contemne; a me omnia proficiscentur.* MAN.

Duodecim] Quibus proconsules utebantur. *Licebat*, per Cæsarem, qui mihi omnia concessisset. IDEM.

Petiisse] Ut ubivis esse possem. ID.

Philippum] Qui Atiam, Julia Cæsaris sorore natam, habebat in matrimonio, post Octavii prioris viri obitum. Vitricus igitur Octavii, qui post Augustus. IDEM.

Ejus causa] Subscribo sententiæ magni Doctoris mei J. Fr. Gronovii, qui sollertissime perspexit scribendum esse: *quin nunc ipsum minime offendisses ejus causam*, hoc est, non visus fuisses male judicare de ejus causa et partibus. Sic *offendere existimationem* dixit pro Plancio, cap. 2. GRÆV.

Est verum profecto] Mallem, *est profectum*, hoc quidem sermone, quem cum Curione habui. Primum enim, ex *profectum* factum suspicor, *profecto*, deinde ad *profecto* additum ex ingenio *verum*. MAN.

An...] Poterat addere: An jussurus consularia comitia a prætore haberi? An fieri augurum decretum, quo vel consules creare prætor possit, vel dictatorem dicere, qui deinde consules creet? Poterat, inquam, hæc addere, et similia. Verum omisit, quæ scripserat jam ante IX. 9. et 15. Hunc locum, difficilem sane, et in cæteris editionibus male distinctum, sic et Manutius et Mongaltus videntur explicare. OLIVET.

Dixerit] Vulgati omnes, *dixerim*. Muretus et Grævius mallent, *dixerit*. Equidem sic legi non mallem modo, sed prorsus necesse arbitror: adhibita ea, quam repræsento, interpunctione. Cras, inquit Cicero, exquiram hoc quoque: *Quo modo*, quibus verbis, qua mente *dixerit* Cæsar, &c. Fortasse aliquem offendet pronominis trajectio, *Quo modo dixerit ad se ille quidem*. At non abhorruisse ab ejusmodi constructione Tullium, pluribus exemplis demonstrat criticus primæ classis, Thomas Wopkensius, *Lect. Tullian.* I. 7. et 9. II. 2. IDEM.

Jurabat] Hæc est sententia hujus loci; ut uno verbo dicam, jurabat, quod facile et sine ulla gravi causa solet facere, Cæsarem mihi, quantum certa conjectura, assequi et animo possit providere, amicissimum esse.

Quid enim, inquit, sic pergit Curio, *scripsit ad me Dolabella?* hoc est, quid aliud scripsit Dolabella ad me Curionem, quid aliud volunt Dolabellæ litteræ ad me datæ, quam Cæsarem tibi debere esse amicissimum. *Dico*, scilicet ego Cicero, *quid? Affirmabat*, scilicet Curio, *eum* nimirum Dolabellam, *scripsisse, quod me cuperat ad urbem venire, illum* (Cæsarem) gratias quidem maximas agere Dolabellæ, pro eo, quod me cuperet ad urbem venire, quod me incitaret ad redeundum, et valde sibi hoc placere. GRÆVIUS.

Amicissimum mihi Cæsarem esse debere] Id non solum Fulvii Ursini liber, sed et Helmstadiensis præ se fert. Ita omnino legendum. Est enim elegans loquendi genus, quod usurpabant cum significaturi essent se judicare, quantum humano consilio et animo provideri aliquid possit, id de quo agebatur, certo eventurum. Cic. VI. ad Fam. ep. 6. *Debet habere fidem nostra prædictio*. Hoc est, quantum certis conjecturis assequi possum, vera sunt quæ dico. ID.

Quid cuperet] Non pendet a τῷ *affirmabat*, ut Manutius et Scioppius voluere, sed a *gratias agere*. IDEM.

Domestici mali] A Quinto filio: qui sermonem habuit cum Hirtio, mox cum Cæsare. Epist. 4. MAN.

Illum] Quintum filium. IDEM.

Supplicandum] Lego cum Victorio, *suspicandum*. Hoc enim vult dicere; quam cupio Quintum filium dignum nobis esse! quam ipse me invito et excito, si qua in parte aliquid sit recti atque honesti pro illo suspicandum! Volo levare suspicionem meam: sed cur Hirtium convenit? Est nescio quid ab illo actum contra nos apud Cæsarem, quod velim quam minimo nostro malo et incommodo abire. POP. Lambinus recte vidit in primis editionibus, quamvis id in posterioribus repudiarit, legendum esse: *metuo ne quid pro illo sit supplicandum*. Quam vereor, inquit, ne aliquid patraverit, ut nos quoque pro illo Cæsari supplices fieri oporteat, quo ejus stultitiæ ignoscat! J. F. GRONOV. Iste locus jacet adhuc in mendis et tenebris, quas sine codice emendatiore vis ingenii difficulter dispulerit. GRÆV.

Oppios Terentiæ dabis] Tu Oppios (de quibus ep. 7. lib. VIII.) Terentiæ conciliabis; ut illi præsto sint, si quid ei opus erit. MANUT. Legendum forte: *Tu hospitium Terentiæ dabis*. MURET.

Unum] Scribe: *Jam enim urbis vanum*, vel *nullum periculum est*. Putabant enim Cæsarem urbem diripiendam militibus daturum, is metus nunc cessat. Itaque tuto ibi manere Terentiam putavi, modo habeat in sumptum. J. F. GRON.

5 CICERO ATTICO SAL.

Die] Navigationis meæ. MANUTIUS.

Ἀρκαδίαν] Difficilem provinciam mihi mandas in Q. Cicerone filio regendo: atque utinam tu suscepisses eum regendum; etsi ego in illo regendo non ero modestior quam tu, nec minus severa disciplina utar. Alludit autem ad Græcum proverbium, Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς, Arcadiam me postulas, quod dicitur in eum, qui rem magnam, ut totam provinciam, sibi dari postulat. POPMA.

Utinam tu] Suscepisse juvenem regendum. Epist. 6. MAN.

Modestior] In eo regendo, quam tu, et patrui esse soleant. CORR.

Requirere] Ut sibi commendarem aliquem meorum. MAN.

Hominis] Grævius, *nominis*.

6 CICERO ATTICO SAL.

Astute] Expectans, quid in Hispania geratur, ut me Tullia monet ep. seq. et Cælius ep. 10. hujus libri. CORRAD.

Fit] Videtur Cicero allusisse ad eum locum Terentii ex Adelphis: *fit sedulo; nihil prætermitto; consuefacio: denique inspicere, tanquam in speculum, vitas omnium jubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi.* Verba sunt Demeæ narrantis Syro, qua ratione Ctesiphoni moderetur, et eum ad bonam frugem perducat. Satis vero fuit Ciceroni locum primis verbis indicasse. Ideo subjicit, *nosti reliqua.* Bosius.

Mirabilia multa] De ejus minime simplici ingenio. Man.

CICERO ATTICO SAL. 7

Simili oppidulo] Non spernenda est scriptura codicis Balliol. et Helmst. *aut aliquo in loco sive oppidulo.* Vereor tamen ne alterutrum aut *loco*, aut *oppidulo* sit corruptum et ex interpretatione inculcatum. Græv.

Fretensi] Freto Siciliensi.

Συνοδία] Comitatus.

Quod timueramus] Ne cum Cæsare locutus esset de nostro consilio Italiæ relinquendæ. Ep. 4. Man.

Nostram] Epiro tua utar ut mea, si acciderit, ut inde transeam, cum ad Pompeium proficiscar. Idem.

CICERO ATTICO SAL. 8

Istum] Puto Cæsarem potius relinquendum cum vincet, quam cum victus erit, et in eo discrimine versabitur, ut magis incertus sit, quam certus, de rerum suarum exitu. Bos.

Præsto et clientem] Patroni clientibus dicebantur præsto esse, cum aderant in judiciis, ut eos defenderent. Nunc contra futurum scribit Cicero, ut clientes præsto sint patronis. Quod clientes gratia multum possent apud Cæsarem, cujus partes secuti fuerant: patroni vero ei hostium loco forent. Idem.

Per se] Ut ipse præsens eas teneret; sed, quasi de iis non laborans, legatis negotium commisit. Man.

Quod malum] In Balliol. et Helmst. *Quod malum scilicet tantum?* Existimo Ciceronem scripsisse, *quod malum majus? denique quid turpius?* Sunt interpretationes magistellorum, *scilicet tantum*, quæ irrepserunt in contextum. Videntur autem illæ natæ esse, ex hac causa quod in aliis libris exciderit τὸ *majus*, ut in Balliol. Helmst. in aliis vero τὸ *malum* propter litterarum vicinitatem, ut sæpe hac labe veteres libri sunt aspersi. Interea maluimus veterum librorum et editionum meliorum scripturam hic legi, quam recentiorum acutas quidem, sed perquam dubias conjecturas. Græv.

Qui ejus] Sic restituebat Muretus. *Ejus*, hoc est Cæsaris, qui in Gallia absens per Clodium urbe me ejecit. Vulgata: *An invalide hinc in absentis solus*, &c. Malaspina emendat: *Annis abhinc IX. absens et solus*, &c. Alii aliter. Unum hoc equidem video, nos Tullii verba non habere, si forte sententiam habemus. Olivet.

Quin cum periculo] Ita Manutius. Alii omnes, *Quin turpiter facere cum periculo fugiamus.* Quod religiosis auribus vix placeat. Idem.

Ne condamus] His verbis, *ne condamus quidem*, explicat illud prius, *fateamur.* Itaque, *quod est*, hic vim habet ἐξηγητικὴν. Bosius. Muretus rescribebat, *ne abscondamus quidem, ut possumus.* Sed vulgatæ eadem est sententia. Græv.

Quam iidem essent] Eadem mente: in eadem opinione constantes. Cor.

Ab Appio] Forte *ab Attio:* ut de Attio Navio intelligatur, qui, Tarquinio Prisco Romæ regnante, auguralem scientiam summum in honorem adduxit. Explano igitur, Non hæc collegii nostri ab Attio, non hæc auguralis collegii ab Attio derivata, sed illa a Platone sumpta, qui scripsit non diuturnam esse posse tyrannorum dominationem. Man. Sed et

Appius de augurali disciplina scripserat. Vide *Fam.* III. 4. Cur ergo nodus in scirpo quæratur? OLIVET.

Sex, septem] Pro *sex, septemve.*

Metello] Cui mortem est minatus. Dictum supra. MAN.

In suo lectulo] Pro, *in meo.* Græcum loquendi genus. Nam ἑαυτοῦ valet, sui ipsius. Non igitur legendum, *meo,* quod video placuisse viris doctis: sed accipiendum, *Suo,* pro *meo,* more Græco, ut dixi. IDEM.

Qui] Res interdum Cicero attendit potius, quam verba, ut hic. Nam, *qui,* conjungi non potest cum, *exilio Themistocleo,* cum sint diversa genera: sed quia, *Themistocleo,* nihil aliud quam, *Themistoclis,* significat, propterea, ut dixi, rem spectans Cicero, non verbum, intulit, *Qui.* IDEM.

Τῶν μὲν παρόντων] Rerum præsentium, initio brevi et extemporali consilio, optimus judex, et futurarum ut plurimum optimus conjector.

Τὸ ἄμεινον] Quid melius aut deterius, in obscuro adhuc providebat maxime.

Artaxerxi] Cui de subigenda Græcia pollicitus, postea cum videret præstare non posse, voluntaria morte, veneno sumpto, vitam finivit. Plutarchus. MAN.

Illa nox] Africanus minor, mane in cubiculo suo mortuus repertus, putatur suorum scelere sublatus, maxime Semproniæ uxoris, cujus fratrem Ti. Gracchum, in concione interrogatus, dixerat, jure sibi cæsum videri. Quod profecto nunquam dixisset, si talem exitum providisset. Ergo et eum, sapientissimum virum, aliquid fefellit: fefellit et C. Marium; qui cum L. Sylla nunquam profecto contentionem suscepisset, si diem illum, quo urbe pulsus est, mentis acie providisset. IDEM.

Quos contra] Ordo est, *contra quos armavit me senatus.*

Πλουδοκῶν] Tempestatem et navigationem idoneam expectans.

Στοργὴ] Pietas, amor. Σύντηξις, Arctissima animorum conjunctio.

Συμπάθειαν] Quam hic accommodata sit Græca hæc vox, dici non potest. Cum enim de incredibili amore in se Tulliæ supra locutus sit, cito ex eo sermone delabitur. Sentiebat enim se jam commoveri, affectusque suos excitari, quod nolebat. Verbum hoc notum est: quod si tam facile exprimi posset verbo Latino, quam vis ejus intelligitur, nihil laboraremus. VICT.

Ex Italia] Supple, exiturum.

Antonio] Quem Cæsar, in Hispaniam contra Pompeii legatos proficiscens, Italiæ præesse voluerat. MANUTIUS.

ANTONIUS TRIB. PLEB. PROPRÆT. CICERONI IMP. S.

Ζηλοτυπίᾳ] Dolor ex eo, cum quis consequitur id, quod ipsi cupiebamus.

Injuria] Quæ nulla fuit, quod auguratum peteres, quem ego petebam.

Ejus fidem improbes] Pompeio ne te credas, qui temporibus Clodianis, &c.

CÆSAR IMP. CICERONI IMP. S.

Periculi] Pompeio ii, qui remansissent, denunciati. Vel in aliis bellis civilibus multi fecissent id, ad quod te hortor, si tuto id, ut tu, facere potuissent: sed cum alterum ex ducibus iratum haberent, coacti sunt bellis interesse. CORR.

9 CICERO ATTICO SAL.

Philotimi] De quo lib. II. ep. 4.

Exanimavit] Quia, cum pro certo haberemus, Cæsarem in Hispaniam proficiscentem itinera tardius facere

cœpisse, Petreium cum Afranio copias conjunxisse, ipse nihil attulit ejusmodi. Quod eo credendum magis est, quia scimus eum solere sæpe pro Pompeio mentiri. MAN.

Conjunxisset] Hoc ad illud refertur; *Dubitavit nemo, quin.* IDEM.

Αὐθεντικῶς] Certo auctore.

Epistolam] Quæ proxime sequitur.

De dignatione] De dignitate, de honesto. Bessarionis tamen liber, *De dignitate*, habet aperte, et potest sane suspecta vox esse *dignatio*, cum alibi nusquam, quod meminerim, in Cicerone reperiatur. Etsi, quod ad sententiam attinet, *dignatio* magis placet, quam *dignitas*, quæ non convenit, in puerum. MANUTIUS.

Postumia] Uxor Servii Sulpicii. Vide *Fam.* IV. 2. et hoc ipso libro, epist. 13.

CÆLIUS CICERONI S.

Exanimatus] Quæ in Cælii epistola videbantur interpretis opem desiderare, habes *Fam.* VIII. 16.

CICERO ATTICO SAL. 10

Πετρωνικῶς] Id est, vinolente, petulanter, contumeliose. LAMBIN. Sed τυραννικῶς legebat Victorius: quod Mongalto non displicet.

Σκυτάλην Λακωνικὴν] Brevem epistolam, quales occultis, gravibusque de rebus Lacedæmonii ad imperatores suos, in loro scriptas, unde σκυτάλαι dictæ, mittebant. Vide Gellium lib. XVII. c. 9. et Suidam. MAN.

Ac dicam] Vulgata *audeam*. Deinde pro *clam ibo*, eadem *clamabo*. Ac denique pro *caute*, habet *carris*. Ubi nullus poterat elici sensus e vulgata, peto hanc veniam, ut mihi liceat e conjecturis vel Manutii, vel Grævii, contextum semel refingere. Quod si cui temeraria videtur hæc ratio, videtur et mihi. Quid tamen facias, ubi tenebræ plus quam Cimmeriæ? OLIVET.

Ad Curionem] In Siciliam. Is enim Ciceronem admodum diligebat. MAN.

Σὺν θεῷ] *Favente Deo.* Hoc non separatim lego, sed cum superioribus conjungo, et a sequentibus disjungo. Sic enim se evolaturum confirmat, si modo adjuvet Deus. IDEM.

Τοὶ λέγω] Τοὶ pro σοὶ, Dorice. *Tibi*, inquit, *dico:* evolabo hinc. IDEM.

Accessit] Ex litteris Antonii. MANUTIUS.

Δυσουρία] Urinæ difficultas.

Ἀρχή.] *Principium.*

Massiliensibus] Ausis Cæsari portas claudere. *Cæs.* lib. I. de bel. civ. CORRAD.

Effeceram] Obtinueram. Supra, epistola 4. MAN.

Hic] M. Antonius. *Cytheridem*, mimam, de qua Philipp. II. cap. 24.

Ἀνθοποιοῦντου] *Alienum a recta morum conformatione.*

Ἤθους ἐπιμελητέον] *Moribus adhibenda diligentia.* Hæc de Q. filio.

CICERO ATTICO SAL. 11

Ὕπουλον] Subdolum.

Aliter] Patruus es; mater est: aliter scribitur ad patruum, aliter ad matrem. Hæc pulchre interpretatus est Mongaltus noster.

De itinere, et de sorore] De itinere Quinti filii, et de sorore tua a viro suo, fratre meo, dissentiente. Neque sane unquam inter eos convenit. MAN.

Præstare] Satisfacere, solvere.

Queis] Hic, et paulo, post, pro *quibus*, ut Æneid. I. 99. *Queis ante ora patrum.*

Ἀφείκτῳ] Vide lib. V. et 11. 12.

Actuariolo] *Actuariæ* erant naves

minores oblongæ, quæ remis impellebantur, et funibus trahebantur, nonnunquam et velis propellebantur. Vide Scheffer. de Milit. naval. II. cap. 2. GRÆV.

Θυμικόστρεφον] Stomachosius.

Adscripsi] Titulum hunc appinxi ejus nomini, *Monetali*, non III. Viro A. A. A. F. F. quod ille ad me *Ciceroni Procos.* non *Ciceroni Imp.* J. F. GRONOVIUS.

12 CICERO ATTICO SAL.

Ad Hortensium] Q. filium infero mari a Cæsare præfectum. CORR.

Reginus] L. Minutius Basilius, qui etiam præerat infero mari.

Huic] M Antonio.

Πάρεωρα πλευτίων] Præter tempus, nondum aperto mari navigandum.

Compacto] Convento, pactione. Sic Plaut. *compacto rem agunt.* CORR.

Luculentus auctor] Is, qui hæc dixit. Ἐξοχικῶς. MAN.

Adhibebo] Manutius exponit, severo vultu eum accipiam, sed quis *adhibere* pro accipere dixit? Mendosum esse locum existimo, et sic restituendum: *severius cohibebo.* GRÆV.

Ὑγιές] *Sani*, et supple, expecto nihil.

Ἀλλὰ] Vide lib. VII. Ep. 1.

Sedendum] Manendum in Italia. MANUT.

Istis] Cæsarianis.

Σφάλμα] *Lapsus, error.* Si nostra culpa evenit, ut a Cæsarianis retineamur.

Trahimur] Honestum nos trahit ad Pompeium, nec, si quid nobis ob hanc causam accidere possit acerbius, recusandum. MAN.

De Cælio] Consulari, qui, ut Syllæ tyrannidem impediret, olim in Italia bellum excitavit. CORR.

Agito] Ut illum imiter. Talem occasionem, qualem habuit ille. ID.

Massiliensium] Quod Cæsari portas clauserunt. Supra. MANUTIUS.

Juncti] Juncti scilicet Hispaniis, hoc est, vicini. Hæc locutio cur quemquam potuerit offendere mirum est, cum sit multorum usu trita. Scirent, inquit, quia vicini sunt Hispanis, et rerum suarum semper satagentes, si in Hispaniis recte non esset. GRÆV.

Ruat] In fortunas, vitamque civium. Ep. 8. MAN.

Meliore] Quam fuit fortuna Cælii, qui cum Bruto, et Carinate a Pompeio fuit oppressus: si modo is est, de quo scribit Plut. in Pompeio. COR.

Peloponnesum ipsam] Qui difficilem provinciam ceperunt, eos, ut sustineant quod susceperunt, hortamur his verbis: *Spartam nactus es, hanc orna:* quod ii, quibus, ut Spartæ nascerentur, contigisset, eniti vehementer deberent, ne tam nobili patria minus digni viderentur. Sed Cicero, qui regendum Quintum filium susceperat, non contentus, si Spartam diceret, Peloponnesum dixit, ut plus significaret: quoniam pars est Sparta Peloponnesi. Sustinebimus, inquit, quam suscepimus, non Spartam, sed Peloponnesum ipsam. MANUT.

Ἦθος] Ingenium, quod disciplina subigi et domari possit.

Ἀρετὴ *non est* διδακτὸν] *Virtus*, non est id, quod *tradi doctrina possit.*

13 CICERO ATTICO SAL.

Ne dimiseris] Ut hujuscemodi sententiam innuat: Si igitur aliquid ad spem poteris, ne dimiseris. Nec enim in vulgata lectione, *me de miseriis*, mihi satis probatur hic sensus: Scribes aliquid mihi ad spem, quod si diligenter feceris, poteris me de miseriis eripere: nec enim spes sola alicujus boni eventus, satis est ad extrahendum aliquem ex miseriis. Quare nisi veterem scripturam contemnis, et nova mendosiorem putas,

suspicandum est, in antecedentibus dictionibus vitium esse: quod tamen ubi sit, non perspicio. VICT.

Antonii leones] Antonius impense delectabatur leonibus, adeo ut post Pharsalicam Cæsaris victoriam, jugo primus subderet, ad currumque et rhedam jungeret, ut referunt Plinius lib. VIII. cap. 16. Plutarchus in vita. Hoc autem Atticus putabat esse argumentum feri et crudelis animi, et ideo illum pertimescebat. Quem timorem Cicero jubet eum ponere, signis quibusdam docens Antonium nihil præter voluptariam jucundamque vitam agitare. POPMA.

Πράξιν πολιτικοῦ] Factum cive dignum rempublicam administrante. Εἰρηκικῶς.

Denos] Hoc est: totum senatum. Venerunt soli consules loco senatus; quod sæpe fit sumptuum minuendorum, aliorumque incommodorum declinandorum causa, quæ si totus senatus, omnesque abessent domo magistratus, facile possent oriri. GRÆV. Pro *Denos*, Manutius legendum existimat *Decuriones*.

Iratus] Quod hi præter cæteros benevolentiam in Pompeium ostendissent, votis olim pro ægrotantis salute factis. Ep. ult. lib. VIII. Tuscul. I. 35. MAN.

Περὶ κοιλιολυσίαν] *In alvo solvenda occupatum esse.*

Ænariam] Insulam Campaniæ littoribus objacentem. *Plin.* III. 6.

Diligo] Hoc est, Vectenus se suamque mihi operam probavit. MONG.

Reddidi] Litteras a te missas. MANUT. Nummos. CORR.

Imperatum] Miror, inquit, nullum nuncium ad me mitti ab Antonio, qui me antea colebat. Sed jam mihi subolet hujus rei causa. Nimirum illi imperatum est a Cæsare, ne me dimittat, sed vi retineat. Mihi vero facultatem discedendi petituro non vult coram negare propter amicitiam, quam semper præ se tulit. GRÆV.

Retardatos] Cæsarianis custodiis, ne discedere possint ex Italia. MAN.

A Curtio] Opinor, quia debitam Attico pecuniam non solveret. Cogitabat autem Atticus in Epirum. IDEM.

Κίλητα ἄοκνον] *Veredum impigrum*, quique ocyssimo cursu sessorem ferat, quales erant equi illi publici, quorum usus olim non patebat nisi ex diplomatibus. Qua de causa cum Cicero significaret Atticum diploma obtinuisse, quo ipsi liceret cursu publico ex Italia exire, scribit eum habere κίλητα ἄοκνον. Hunc enim locum de diplomate intelligendum esse declarant hæc verba ex epistola penultima hujus libri, *De diplomate admiraris.* BOSIUS. Sed est in optimis libris veteribus ἰκιτέσιον, quod ad veram lectionem proxime accedit; εὖ ἰτέον ὄν, id est, ad verbum, *Bene eundum aliquod*, quo diploma satis aperte significatur. POPMA.

CICERO ATTICO SAL. 14

Propter vigilias] Nam sæpe tantum est mali, ut somnum diu prohibeat. Vel, quia somnum ego capere non possum, cum quies nocturna in lippitudine maxime requiratur. COR.

Malle] Supple, mori dicebat. ID.

Filii] Vide lib. IX. 18. X. 3.

Ad idem] Vocandus. Alii *ad diem* recte: celandus fuit Servius quem ad diem videretur discedendum. COR.

CICERO ATTICO SAL. 15

Cohortibus] Quæ videntur defectionem a Cæsare cogitare. MAN.

Tabellariis] Concise loquitur, paucis multa complexus, ut sæpe in his epistolis. Ait se nunc solutum: sed qui sibi debeat, non solvere: scripsisse tamen ut tibi is solvat. Si solvit, et jam illa pecunia penes te est, velim ut per tabellarios ad me illam cures. *Cum satisfecisset* scilicet tibi

is, cui expensum tulerat argentum, et qui nunc tricabatur: si tibi numerasset pecuniam. Ad eum enim litteras dederat Funisulanus, ut Attico numeraret, quod sibi debeat. Hinc subnectit *quantum sit*, quod a Funisulano debeatur, *Eros Philotimi tibi dicet*. GRÆV.

Cælianum illud] Tale quid, quale fecit Cælius. Ep. 12. hujus libri. CORRAD.

Palam] Ut palam vel gemmam annuli cum Gyge Lydio ad palmam convertam, et me non videndum reddam, hoc est, occulte discedam. De Gygis annulo, vide Cicer. III. de Off. 9. J. F. GRON. Aliter cæteri omnes interpretantur. *Palam* adverbialiter positum volunt. Præcedit enim, *vexillo opus est*. Quis autem signum tollat, nisi *palam?*

Captiones] Ubi quid deliberatum est Servio, statim aliquid, atque adeo multa contra occurrunt. Et, *captiones*, proprie dixit, cum loqueretur de jurisconsulto; nam, a captionibus cavere, jurisconsultorum est. MAN.

Pœnitet] Quia scit in consulatu se injuriam Cæsari fecisse, ultionem timet. IDEM.

Ὦ πολλῆς ἀγεννίας] Abjectum, humilemque animum, propter timorem pœnitere summæ dignitatis, qua gloriari etiam deberet. IDEM.

Honestius] Remanere videatur, si me socium habeat. CORR.

Ibitur] Ad Pompeium. *Ut censes*, palam. *Nisi spes*, de pace agendi. MANUT.

Aliquem] Huic rei præfici oportere.

De usura] Ut tibi solvat. Ep. 9. ID.

Pudens] Qui præter eam pecuniæ summam, quam Gallio credidi, me dare jubeat eidem XII. millia H-S. BOSIUS.

Me vero] Scilicet cum ironia. MANUTIUS.

16 CICERO ATTICO SAL.

Beatus] Beatus hic divitem et fortunatum significat, ut sæpe apud auctores Latinos. Ideo cum optabat Cicero ut is amicus esset Attico, simul id optabat, ut Atticus beatus esset. BOSIUS.

Dissimulabimus] Leg. *dissimulavimus:* Tacitum habuimus et occultum. Recte in sequentibus Malaspina, *adservabimus*, ad omnia erimus intenti. Terent. Heaut. III. 3. 34. *Atqui nunc, here, hic tibi adservandus est*. J. F. GRON.

Velle] Supple, convenire.

Ut tentaremur] Ut commentum hoc esset Cæsarianorum, centurionibus astute missis ad tentandum animum meum. MAN.

17 CICERO ATTICO SAL.

Vellem cætera ejus] Similia essent his, quæ nunc facit, cum in cæteris male audiat, ep. 4. hujus libri: vel essent firma, et non infantia, ep. seq. CORRAD.

Ἐκτίνειαν] Propensionem, propensam voluntatem, liberalitatem.

Cætera] Ei sum pollicitus. MAN.

Haberemus] Ut nobiscum posset discedere. Ep. 11. IDEM.

Æquinoctium] Quod tum incidit in Maium propter turbatam anni rationem ante fastorum emendationem a Julio Cæsare institutam. Tum enim intercalandi licentia tempora non conveniebant suis mensibus. Sueton. Jul. GRÆV.

Ἀκραῖς] Non perturbatum.

18 CICERO ATTICO SAL.

Ἑπταμηνιαῖον] Septimestrem.

Ηὐτόκησεν] Salva peperit.

Tranquillitates] Cum contra nobis vento sit opus. CORR.

Formias] Nunc petimus; inde quamprimum navigaturi: quo fortasse Cæsariani custodes et corycæi quasi furiæ nos persequentur. Solvisse autem Ciceronem Formiis cum in Græciam ad Pompeium proficisceretur, indicat Cælius lib. VIII. epist. ult. POPMA.

Eadem] Scilicet via. GRÆV. Sed Vict. et Man. *eædem*. Lamb. *eodem*.

Benevolentia] Ipsius Balbi. *Suspicione*, me ad Pompeium navigaturum. MANUT.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER XI.

CICERO ATTICO SAL. 1

Existimationis] Ut iis satisfiat, quibus debeo. Nam ob hanc causam de existimatione Ciceronis agebatur. Cæsar initio lib. III. de bello civili, *ad debitorum tuendam existimationem*, dixit. MAN.

Cistophoro] Nummi genus Asiatici. Hanc pecuniam Cicero, ex administratione Ciliciæ collectam, apud publicanos reliquit: deinde, quod ibi minus tuto fore videbatur, dimidiam fere partem exegit, et ad Egnatium argentarium transtulit. MANUTIUS.

Credens ei] Philotimo liberto, cui rerum domesticarum administrationem commiserat, ad Pompeium profecturus. POPMA.

CICERO ATTICO SAL. 2

Crevi] In testamento hæres scriptus interdum rogabatur jubebaturve hæreditatem cernere intra certum dierum spatium, veluti *Titius hæres esto cernitoque in centum diebus proximis, quibus scieris poterisque*. Nec intererat utrum quis præsens an per epistolam cerneret; dummodo solemnia ac legitima cretionis verba proferret in hunc modum, *Cum me Mævius hæredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque*, ut tradit Ulpianus in Instit. et Isidorus lib. V. Etymol. POPMA.

Levata] Vict. Man. Lamb. *enata*.

De dote] Soluto matrimonio Crassipedis et Tulliæ, cum Dolabellæ Tullia nupsisset, Cicero valde æstuabat in dote illi persolvenda. Non enim eam integram ipsi tempore nuptiarum numerarat, cum fortasse a Crassipede nondum eam exegisset, expectandaque dies esset legibus præstituta ad dotem repetendam, quæ aut pondere, aut numero, aut mensura constabat. Hujusmodi enim dos citius exigi non poterat quam annua, bima, trima die. Itaque totidem pensionibus, hoc est, tribus se eam Dolabellæ soluturum promiserat. Ac prima soluta, cum adforet dies secundæ proximis Kal. Quintilibus, et interim Dolabella perditissimo nepotatu rem omnem familiarem absumpsisset, incerto animo Cicero fluctuabat illine reliquum dotis numeraret, an id Tulliæ, facto divortio, conservaret. Nam et Tulliæ cautum volebat, et, dirempto matrimonio, verebatur, ne incerto adhuc rerum exitu Dolabellæ animum, qui gratia plurimum valebat

apud Cæsarem, a se abalienaret: interim ergo dum certo constituerit quid facturus esset, cupiebat Tulliam sustentari suis opibus, et facultatibus Attici. Hunc locum hactenus ab interpretibus male explicatum, in eam partem, in quam interpretati sumus, accipi debere, hoc est, de solutione dotis Tulliæ intelligendum esse, declarat ipse Cicero proximis duabus epistolis, quarum altera ita scribit, *De pensione altera oro te, omni cura considera, quid faciendum sit, ut scripsi iis litteris, quas Pollex tulit.* Altera hoc modo, *Quod ad Kalendas Quintiles attinet, quid vellem: utrumque grave est, et tam gravi tempore periculum tantæ pecuniæ, et, dubio rerum exitu, ista, quam scribis, abruptio.* Bos.

Prædiorum] Quærit Cicero, cui rei impendantur fructus suarum domuum et agrorum, quos elocaverat certa mercede colonis, ex quibus, si filia ejus egeat, possit sublevari, cum iis ipse non utatur. Græv.

Illa] Terentia ex prima dotis Tulliæ pensione H-S. LX. detraxerat, quæ Dolabella sibi solvi cum secunda pensione postulabat. Eam vero primæ pensionis imminutionem Cicero ægre ferebat. Ideo infra ep. 24. de alia quadam detractione loquens, *cum hoc*, inquit, *tam parvum de parva re detraxerit, perspicis quid in maxima re fecerit.* Bos.

De domo] Id parari dixerat Chrysippus, ut domo sua Cicero, quam habebat in Palatio, privaretur, propterea quod esset cum Pompeio. Man.

Tuis] Qui res tuas in Epiro curant. Nam ea transierat, ad Pompeium in Græciam proficiscens. Idem.

Custodias] Eos, qui in exercitu observare solent, ne litteræ, aut nuncii imperatoris injussu quoquam mittantur. Idem.

3 CICERO ATTICO SAL.

Quod ad Kal.] Quod pertinet ad secundam pensionem dotis Tulliæ quæ Kal. Quintilib. numeranda est Dolabellæ, hoc magnam utraque ex parte habet difficultatem. Nam si solvo, periculum est amittendæ tantæ pecuniæ, quam Dolabella forte absumet: si retineo, et auctor sum Tulliæ divortii faciendi, verendum ne Dolabella qui gratia plurimum valet apud Cæsarem, ista contumelia lacessitus, odium Cæsaris in me concitet. Popma.

Abruptio] Subitum divortium. Id.

Illius] Tulliæ.

Nihil] Legendum, libris omnibus invitis, *etsi ista res non nihil habet consolationis.* Nam recepta, quamvis eadem sit antiqua, ferri tamen non potest. Lamb. Præiverant Corrad. et Malasp.

Sit] Relinquatur meo nomine, et quasi meo periculo, ut ep. 7. lib. IV. Corr.

Is quoque] Pompeius. Idem.

Ei] Tulliæ. Idem.

4 CICERO ATTICO SAL.

Prædia non] Ut volebam, quo Tulliæ nihil deesset. Ep. 2. hujus lib. Corrad.

De Frusinati] Fundum Frusinatem Cicero vendiderat, hac lege, ut redimere posset. De ea redemptione, quæsierat Atticus, quid cogitaret, utrum eam aliquando fieri vellet, an prorsus abjecisset. Respondet, redemptionem se probare, quoniam ille fundus sibi futurus esset opportunus. Redemptio tamen hoc tempore facta non est, ut patet ex ep. 14. Man.

Tueor] *Hic*, in Epiro, ubi tum erant castra Pompeii, laboro, ne qui militum aut ducum vexet aut diripiat res hominesque tuos. J. F. Gron.

Celer] De quo, lib. X. ep. 1. XII. 7. Legebat Pantagathus, *Celer ipse. Fugi*, &c. Muretus vero, *Cæterum ipse fugi*; omisso *Celeris* nomine.

Non videntur] Cur autem hoc? quia

scilicet factum erat prælium illud ad Dyrrhachium, quo Pompeii fortuna superior fuit. Quo ex prælio tantum fiduciæ ac spiritus Pompeianis accessit, ut non de ratione belli cogitarent, sed *vicisse jam sibi viderentur*. Cæsar, de bello civili, lib. III. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 5

Ut id quod vides] Ut ab armis discederem. CORRAD. Hanc scripsit Brundusii, post Pompeium acie Pharsalica profligatum. MAN.

Te subdebilitatum] Lamb. *te subita re quasi debilitatum*. Ex ingenio.

Tuendi mei] Excusandi, et purgandi apud Cæsaris amicos, a quibus Ciceroni timendum erat: utpote qui in eorum potestate esset. MAN.

De vatinio] Atticus scire volebat quo animo Vatinius erga illum esset, injuriæne an beneficii memor. Plurimum enim poterat Cæsare victore Vatinius, et erat designatus cos. cum Q. Fufio Caleno. POPMA.

Aversissimo] Quoniam in sequentibus epistolis de Quinti maledictis in Marcum fratrem legetur, ejus rei causam non ab re est hoc loco pluribus explicare. Cum Cneus Pompeius, Brundusio profectus, in Græciam navigasset, ut classe, quanta maxima fieri posset, comparata, Italiæ commeatus intercluderet, et Cæsarem fame affligeret: incertus M. Cicero quid ageret, in Italia resideret, an Pompeium sequeretur, suadentibus nonnullis, et maxime Quinto fratre, ut ad Pompeium iret, paruit, et profectus est, ut ostendit epistola hujus lib. 9. cum dicit: *Cessimus, vel potius parui. Ex quibus unus, qua mente fuerit, is, quem mihi commendas, cognosces ex ipsius litteris, quas ad te, et alios misit.* Loquitur enim de Quinto fratre. Profligato deinde Pompeio, cum in Italiam M. Cicero redisset, veritus est Quintus, ne frater, quo facilius a Cæsare veniam impetraret, suæ ad Pompeium profectionis causam in ipsum conferret. Itaque turpi et scelerato mendacio confinxit, sibi Marcum fratrem auctorem fuisse, ut ad Pompeium proficisceretur, et ubicunque fuit, maledicta in fratrem conferre non destitit. MANUTIUS.

Eodem] Patras: ut sit potius, ad eundem locum, quam eodem animo. IDEM.

Profectos] Ad Cæsarem. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 6

Oppido aliquo] Vel Achaiæ, vel alicujus provinciæ, quæ esset a bello vacua: donec arcesserer a Cæsare in Italiam: quod et tutius, et magis honorificum fuisset. MAN.

Cum bacillis] Id est, jussi sine securibus (quas habebant magistratus extra urbem) tantum cum fascibus, non ire ordine, ut lictores solent ante magistratus, sed confuse incedere, quasi essent e turba occurrentium consectantiumque, ne milites Cæsariani, qui in præsidio oppidi sunt, in eos et me impetum facerent, utpote non agnoscentes imperium cujusquam Pompeiani. J. F. GRON.

Reliquo] Vulgo, *Recipio tempore me domo*. Quod esse corruptissimum omnes clamant: alii aliter emendare conati sunt. Placuit conjectura Gronoviana, ex qua sensus elicitur commodus. *Reliquo tempore*, ex quo Brundusium accessi, contineo *me domo* abditum. Paulo post legitur, *recipiunt:* quod erroris ansas, ni fallor, scriptori librario dedit. OLIVET.

Te nunc ad Balbum et Oppium] Supple, confer. *Balbum* omittunt Vict. et Man.

Iis placeret] Subintelligendum, *si*. Propert. *Illa velit, poterit*, &c. Id est, ab his si posses impetrare, cuperem hinc movere, et propius accedere, nosque duos alicubi congredi, ut deli-

beraremus una, quid mihi faciendum sit. J. F. Gron.

De Pompeii exitu] De Pompeii morte in Ægypto quod nuntiatum est, statim credidi. Adeo omnes et reges et populi fortunæ ejus diffidere cœperant, ut quocunque se contulisset, credibile foret, idem eventurum fuisse, nempe ut in gratiam Cæsaris victoris occideretur. Exemplum est etiam in Rhodiis. *Fam.* XII. 14. Idem.

Cæsaris hortos] L. Julii Cæsaris, qui cum Caio dictatore communem proavum habuerat; avunculus autem erat M. Antonii, a quo tamen proscriptus est, *Flor.* IV. 6. pater autem ejus L. Cæsaris, qui occisus est post Africanam victoriam. *Suet. Jul.* 75. Idem.

Deprecaretur] Pro se et filio Cæsarem contra Pharnacem ex Ægypto venturum. Vide epist. seq. et Hirtium, de bello Alexandr. Corrad.

7 CICERO ATTICO SAL.

Suos] Consulibus L. Lentulo, et C. Marcello, cum Q. Cassius, et M. Antonius tribuni plebis S. C. contra Cæsaris dignitatem fieri prohiberent; factum est per Cæsaris inimicos, ut, intercedendi potestate privati, de sua salute cogitare die septimo cogerentur. Itaque ad Cæsarem, qui Ravennæ erat, profugerunt. Postea senatus-consulta quæ Pompeius vult, et ut vult, multa fiunt injuste: non enim recte senatus-consultum fieri potest, cum tribunis plebis intercedendi potestas erepta est. Sed Pompeius tamen iis senatus-consultis delectus habuit, pecunias exegit, provincias cum imperio tribuit, ut Scipioni, Domitio, Fannio, Sextio. Cæsar autem, devicto Pompeio, ea senatus-consulta improbavit, quæ post fugam tribunorum facta erant; quod, tribunitia potestate sublata, nihil legibus, nihil more majorum, nihil jure actum videretur. Quod cum ita esset, sequebatur, ut et provincias et lictores amitterent ii, qui hæc a senatu post fugam tribunorum habuissent. Quod si qui ex his erant, quibus Cæsar lictores relinquere, et institutum tamen illud suum de senatus-consultis improbandis retinere vellet, hac utebatur via: lictores, quos a senatu habuerant, adimebat, alios deinde ipse dabat. Ita fiebat, ut et illi lictoribus uterentur; et ea, quæ senatus post fugam tribunorum decreverat, ne valerent. Itaque dicit Cicero, *Cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos: audio enim eum ea S. C. improbare, quæ*, &c. Sextius enim erat ex iis qui lictores, id est imperium illis senatus-consultis habuerat. Et dicit, *suos*, quos habuerat antea: *ab ipso datos*, a Cæsare. Supra autem, *iisdem istis*, id est, iis quos tunc habeo. Non enim ex iis erat Cicero, qui lictores habuerant post fugam tribunorum: sed eos ante illud tempus habueram, cum Ciliciam provinciam non a senatu solum, sed etiam a populo accepi. Manutius.

Lælium] D. Lælium Pompeianum, qui navibus Asiaticis præfuerat. Cæs. lib. III. de bello civili, et Cic. ep. 14. hujus libri. Corrad.

Re ipsa excipi] Quo modo poterat sine nomine re ipsa fieri Ciceronis exceptio? si sic videlicet Antonius edixisset: Ex omnibus Pompeianis ne cui liceat esse in Italia, nisi quorum causam Cæsar cognoverit, aut de quibus Cæsar scripserit. Quo edicto Cicero non nominatus, re ipsa tamen exceptus esset: siquidem Dolabella litteris, Cæsaris jussu confectis, in Italiam venerat. Man.

Ut hoc nunc accidit] Hoc scilicet, quod sequitur: in quo ex eventis defendimur. Nam, exitu Pompeii perspecto, minus reprehendor, quod cum eo post Pharsalicam pugnam fugiente profectus non sim. In quo sapiens fuisse nunc videor; quasi de illo, quocunque venisset, id, quod accidit, fore conjecerim. Exitu vero nondum cog-

nito, dicebar debuisse cum eo proficisci. IDEM.

Urgeor] Id est, vix habeo quod ad hoc respondeam: nisi fortuna comparabit aliquos, qui malint salutem a Cæsare accipere, quam bello cum eo periclitari: aut etiam omnium animos huc inclinabit. Hoc est, si facient et illi, ego videbor plus vidisse, qui citius feci. J. F. GRON.

Extremum est] Commemorat, quæ contra se faciunt, et quæ objici a bonis viris possent. Primum, inquit, reprehendi possum, quod in Africam non ierim: deinde, non idem fecerim, quod Sulpicius, qui sedem tutam et a bello vacuam elegit: postremo, quod non in Achaia remanserim. Hoc extremum est: sed hoc tamen facere melius fuit, quam in Italiam venire. MAN.

Tuas causas nosco] Hoc est, tuam excusationem accipio. GRÆV.

Vel ut cum iis] Hic particula, *vel*, non iteratur, sed refertur ad illud, quod infra dicet, *alterum est, cur te nolim discedere*. Nam duæ causæ erant, cur Ciceronis interesset Atticum Romæ esse; vel ut cum Cæsarianis ageret, quæ agenda erant; vel, ipso absente, ne Terentia *(Tullia)* egeret; quam Atticus scripserat in sumptum flagitare. MAN.

Flagitari] Scilicet a Tullia.

Viderunt] *Viderint*, malim legere: nondum enim Cæsarem viderant. CORRAD. Malim ego: *videbunt*. Nam cur potentialis hic ponatur, causa nulla est. GRÆV.

CICERO ATTICO SAL. 8

Apud illum] Apud Cæsarem.

Furnius] Malim, *Fusius:* ut de Caleno intelligatur. Nam Furnius et ante civile bellum, et post amicissimus. MAN.

Nosti genus] Nosti quam maledicus, quam iracundus sit: non ignoras, quantum in eo soleat esse acerbitatis et iracundiæ virus.

CICERO ATTICO SAL. 9

Feci] Veni in Italiam. CORRAD.

Exceptionibus] Quibus M. Antonius me, et Lælium, nominatim excepit. IDEM.

Licet] Ne se repudiari totum Cæsar existimet. Ep. 2. lib. IX. ID.

Lege] Fortasse a tribuno plebis Dolabella perlata; in qua scriptum esset idem quod in Antonii edicto. MANUTIUS.

Quieveram] Ita Lamb. et Bosius: cum antea legeretur, *iveram*. Sed mavult Grævius, *sciveram*, a *scisco*. *Sciveram*, inquit, est decreveram, constitueram a bello scilicet abstinere. Alii vero *siveram, a sino*, non impedieram.

Summo] Id est, Cæsari in Quinto, cum hic illius in Gallia legatus esset, plurima displicuisse. J. F. GRON.

Istam miseram patrimonio] Balliol. *Istam miseram per te patrimonio*. Helmst. *Istam miseram partu patrimonio*. Latet aliquid. Ciceronem scripsisse censeo: *quod istam miseram patre, patrimonio, fortuna omni spoliatam relinquam*. Primo raro duo sola verba sine copula a Cicerone junguntur ut hic in vulgatis *patrimonio, fortuna omni*, sed ad minimum tria. Dein ex *per te* levi transpositione litterarum et unius literulæ mutatione fit *patre*. Cicero tunc propter accusationem et calumnias, quas frater et ejus filius in suum caput apud Cæsarem effundebant, metuebat bonorum proscriptionem, et suorum et uxoris. Hinc tristiora cogitavit de morte sibi consciscenda. Ideoque Tulliam tanquam moriturus commendat Pomponio, et si moriatur, hoc enim est, *si me non offendes*, paulo post, antequam Atticus se convenerit, rogat ut eam commendatam habeat, et ei patruum reconciliet. Itaque hic dolet, quod illam moriens relinquat

non solum patre, sed et omnibus bonis privatam, quia æque sua ac uxoris Terentiæ bona proscripturum Cæsarem esse credebat. Puto me vestigia veterum codicum secutum recte hunc locum restituisse. GRÆV.

10 CICERO ATTICO SAL.

De Q. Q.] Hoc est, de Q. fratre et de Q. filio.

Magnas] Id est, qui magnum partem vectigalium conductam tenet, ut proximus sit magistro societatis. GRÆV.

Pro magistro] Qui maximam partem conduxerat, toti præficiebatur societati, et dicebatur *magister*. Vide lib. V. ep. 15. Qui vicem ejus gerebat *pro magistro*. IDEM.

Puto] Siquidem alter frater est, alter fratris filius. Cum aliis si res esset, ulciscerer: cum his ne queri quidem mihi arbitror licere. MAN.

Hispania] In qua Cn. Pompeius Magni filius bellum adversus Cæsarem instaurabat. Appianus lib. II. Dio lib. XLII. et XLIII. IDEM.

Alienata] Præsertim propter Antonii crudelitatem ac direptiones. MALASP.

Urbanæ res perditæ] Motibus tribunitiis et rogationibus maxime Dolabellæ, ferentis legem perniciosam de novis tabulis. Ep. 12. 15. et 24. POPMA.

Eosque] Q. fratrem, et Q. filium.

11 CICERO ATTICO SAL.

Debeant] Firma esse: partes scilicet Pompeianas in Africa se recollegisse et convaluisse. Ideo subnectit, *nos stultitiæ nostræ gravissimas pœnas pendere:* quod scilicet illis tam validis relictis me in Italiam receperim. GRÆVIUS.

Qui utamur] Pecunia, qua utamur. *Qui* ablativi loco tam plurali quam singulari numero veteres ponebant. POPMA. Vide Gronov. de Pec. Veter. II. 7.

Paratum] Quod reddatur. CORR.

Ille] Q. frater.

12 CICERO ATTICO SAL.

Nilo meo] Est, per Nilum meum. Hic Nilus libertus fuit Ciceronis, cujus mentio fit ep. 23. hujus lib. Bos. Repono *stilo meo*, idem atque si dixeris, mea ipsius, non autem aliena manu. JUNIUS. Scribe, *tamen de eo his verbis, ad Cæsarem*, &c. MURET. Forte, *tamen ultro his verbis*. J. F. GRONOV. Ciceronem puto scripsisse: *tamen nihilo minus his verbis ad Cæsarem scripsi*. GRÆV.

Præclaras generi actiones] Ἐλεμοσύνας. Nam actiones Dolabellæ, qui hoc tempore tribunatum plebis gerebat, turpissimæ erant. Auctor Dio lib. XLI. MAN.

Simplicem] Cretio simplex dicitur, cum e pluribus heredibus scriptis, unus cum cretione instituitur, reliqui sine cretione. Itaque cum nulla alia cretio ad Ciceronem perlata esset, ex eo conjiciebat, neminem alium cum cretione institutum fuisse, et cretionem simplicem, id est, sui unius extitisse. BOSIUS.

13 CICERO ATTICO SAL.

Existimare te posse] Vides enim, nulla re levari posse dolorem meum. MANUT.

Postulant] Quid postularint, cognosce infra, ep. 4. et 16. IDEM.

Desperatum iri] Sic Bosius ex Mss. Id est, neque mihi videbatur tum nos in eum statum venturos, ut de publicis privatisque rebus nostris sic desperaremus, quemadmodum nunc facimus. J. F. GRONOV. Lego: *neque tum mihi desperatum ita videba-*

tur. Hoc est, tam valde desperatum. GRÆV. Vulgo, *neque tam mihi desperaturi videbamur*.

Causam nosti] Tu nosti quomodo se res habeat mea familiaris, emendusne sit fundus Frusinas, nec-ne: nosti quibus sumptibus opus habeam ad me meosque tuendos; quos fructus nunc ceperim ex meis prædiis, qui sint expectandi. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 14

Ignotum] Participium ab *ignosco*. Ita alicubi apud Cæsarem. Id est, partim quibus dedit nondum veniam Cæsar, partim quibus jam dedit. J. F. GRON.

Receptus] A Cæsarianis. MAN.

Hoc genero] P. Cornelio Dolabella. MAN.

Parentem] Præclare locum hunc restituit ille noster et communis omnium doctor, qui litterarum studiis sunt dediti, Gronovius, ut olim, cum in vivis esset, mihi coram ostendit: *ad Minutium Tarentum scripsi*. Cicero petebat sibi pecuniam curari quæ uteretur Brundusii. Illam Atticus curavit per Minutium argentarium Tarentinum, qui in vicinia erat. GRÆ.

Et id video] Mirarer tot millia e rerum mearum venditione cogi potuisse, nisi viderem potuisse multa confici de prædiis Fufidianis. Etsi id video, tuum tamen auxilium expecto: ac te ipsum videre omnino vellem: eo enim loco res est, ut tua mihi prudentia et consilio valde sit opus. OLIV.

Te expecto] Hoc est, ut modo interpretabar: expecto auxilium tuum. Et sane, si Atticum expectat ipsum, quo sensu bono subjungit: te, si *ullo* fieri *modo* posset, *videre pervellem?* An hominem expectas eo ipso tempore, quo nescis an ullo modo possit venire? Expectabat ergo Atticum fore tutorem ac defensorem fidei atque existimationis suæ; quod ut faceret, ab ipso petierat superioribus epistolis. IDEM.

Potes venire] Ita Victorius ediderat, anno 1571. Ita Manutius deinde, ac Lambinus. Quod cur fuerit a Bosio mutatum in *si ullo modo potes (est enim res)* vel a Grævio in *si ullo modo potest, poscit enim res*, viderint alii. IDEM.

Jam extremum] Eu illa *res*, et causa, cur videre Atticum pervellet. Scipio, Cato, et cæteri jactabantur propediem cum immensis copiis adfuturi, et Italiam invasuri: hoc nuntio territus, jam ultimum, inquit, adest discrimen; res moram non fert; statuendum denique est mihi, quid sequi, quale amplecti consilium velim: quapropter tecum colloqui vellem: quoniam *ibi*, Romæ scilicet, potes facilius existimare, quid, quale sit magis consentaneum gravitati et constantiæ, magis cum dignitate conjunctum. Sententiam hanc inculcavit sæpe hactenus. Alii *gravius* intelligunt magis incommodum. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 15

Pudeat] Nam si bellum confecisset, non puderet illum scribere. COR.

Ii autem] Pompeiani. IDEM.

Affuturi] In Italiam venturi. ID.

Achæi] Achæos vocat obscurius et rectius, qui in Achaiam fugerant post prælium Pharsalicum. Hæc vero loquendi genera Ciceroni ad Atticum scribenti frequentia esse nemo potest ignorare, nisi qui nunquam hoc epistolarum volumen inspexit. GRÆV.

Illos] Pompeianos: *his ipsis*, Cæsarianis. MAN.

XII.] HS. de hoc, ep. superiore. IDEM.

Aliorum] Cæteri Pompeiani, qui in Africam non iverunt, excusari omnes aliqua re possunt, ego nulla. Itaque illi reditum habent ad suos, quem ego me habere non puto, qui publicam causam, cum in Italiam veni, quasi prodidisse videor. IDEM.

Fufium] Q. Fufium Calenum, quem Cæsar, victo in Pharsalia Pompeio, Achaiæ præfecerat; et est is, ut opinor, qui Ciceroni post Cæsaris obitum acerrime in senatu in M. Antonium invehenti, respondit. IDEM.

Cassium] Rumor fuerat, Cassium ad Cæsarem Alexandriam ire, ut deprecaretur. Quod omnino Ciceronis causam aliqua ex parte sublevasset: cum et alios esse constaret, qui victori se crederent. Hic quoque, inquit, consilium mutasse dicitur: ut præter Lælium, culpæ socium habeam neminem. IDEM.

Filius] Cui pater comœdus ille insignis ducenties H-S. reliquit. *Macrob. Saturn.* lib. III. Filius luxuria perditus, *Horat. Sat.* II. 3. 239. *Plin.* IX. 35. Dolabellæ socius in adulteriis pellicum, ut Metellæ, infra ep. 23.

Expleri] Cum hereditas dividi commode non potest, propter coheredum non æquas partes, ad licitationem confugitur; quæ certior est, quam æstimatio. Ita, omnium bonorum reperto pretio, expletur ea, quæ minor esse videtur, pars hereditatis. MAN.

Nostram causam] Causam nostri reditus a Cæsare impetrandi. CORR.

16 CICERO ATTICO SAL.

Ab illo] A Cæsare. A quo epistolam illam scriptam non fuisse, ostendit epist. 17. *Intelligis*, inquit, *illud de litteris ad v. Idus Februar. datis non verum esse.* Ac sane fieri potest, ut Oppius eam, aut aliquis alius scripserit; ne Cicero, desperatione adductus, rursus ex Italia discederet. MAN.

In Asia, &c.] Enumerat, quot in locis parum secunda Cæsaris fortuna fuerit. In Asia: cum Pharnaces Mithridatis filius, pugna cum Cneo Domitio Calvino Asiæ præfecto prospere facta, Pontum occupavit. IDEM.

In Illyrico] Ubi A. Gabinus a M. Octavio victus, paulo post Salone mortuus. Hirt. de bel. Alex. CORR.

In Cassiano negotio] Cum Cassius, et Marcellus, Cæsaris in ulteriore Hispania præfecti, dissensione orta, et militum seditione facta, bellum aliquandiu inter se gesserunt. MAN.

Alexandria] Cum Cæsaris milites perturbati, et ab Alexandrinis loco pulsi, legionariis circiter quadringentis, et classiariis ac remigibus fere totidem amissis, in naves refugerunt; Cæsar autem ipse, magno in periculo versatus, natatione sibi consulere coactus est. IDEM.

In urbe] Propter contentiones tribunorum plebis et ambitionem tribunorum militum. *Hirtius* lib. IV. IDEM.

Negotium] Illos, qui in Africa resuscitarunt partes, Italiam et urbem occupaturos. Quod magnopere auctor erat Cato, et se ducem ejus expeditionis offerebat. Idque, quod optimum erat, Cicero futurum putabat. Sed derisit Catonis consilium Scipio. *Plutarchus*, in Catone. J. F. GRON.

De litteris] Ad me a Cæsare missis: de quibus initio loquitur epistolæ. MAN.

Afferunt] Puto legendum esse, *auferunt*. Puto tamen, non censeo. Videtur enim, et, *afferunt*, posse retineri: ut sit: etiam spem afferunt; spem quidem adhuc Fufio afferunt, ituros se ad Cæsarem, ut deprecentur; non tamen eunt. IDEM. Lege: *differunt*. Ovid, XI. Metamorph. 306. *Spem Veneris differt in tempora noctis Apollo.* Sententia est, spem dederant Fufio Achaiæ præfecto deprecandi Cæsaris; non exequuntur, sed morantur et se sustinent. J. F. GRO.

Constitutum] Deliberatio. Nam constituerunt, Cæsari se committere: sed, interposito Alexandrino bello, et Cæsaris rebus in discrimen adductis, integrum sibi reservarunt, belli exitum expectantes. Itaque mora Alexandrina effectum est, ut eorum causa quasi corrigeretur, ut eorum culpa minueretur. MAN.

De his litteris] Quæ mihi a Cæsare redditæ sunt. IDEM.

Scribas] Manutius conjiciebat, *sentias*. Corradus, *scias*. Nihil horum Faerni exemplar habuit. Neque vero, si legas, *et maxime quid de ea*, necesse fuit quidquam addere.

Pro desperato] Alii, *pro explorato*.

CICERO ATTICO SAL. 17

Πραότατα] *Lenissime*. Ejus, inquit, epistolæ loco, quam instar consolantis ad me scripsisti *lenissime*, putato ea me tibi rescripsisse, quæ tu intelligis potuisse responderi. Cum Cicero gravi mœrore conficeretur qua de suis, qua de Tulliæ miseriis, Atticus eum lenissimis litteris consolatus fuerat, quibus eum Cicero non rescriberet, mandavit Attico, ut ipse sibi ita responsum putaret, ut in ea responsione desiderari nihil posset. Cæterum πραότατα Attice dictum est pro πρωτότατος. Bosius. Ita ille, ut nos edimus, locum hunc mire depravatum restituit. Sed, inquit Grævius, Ciceronem sic scripsisse quis præstabit? Nemo, inquam, sanus. Fruimur tamen, donec melius aliquid e Mss. depromatur. Olivet.

Subeam] Lege, *ut eorum odium non subeam*. Quid proficiam illorum offensionem vitando. J. Fr. Gron.

Emissus] Ex Africa: ex qua Pompeiani neminem exire patiebantur, ne de copiis eorum, aut de consiliis Cæsar scire posset. Nasidius autem fecerat, ut exire Terentio liceret. Man.

CICERO ATTICO SAL. 18

Quæ istorum via esse] De me. Nam si ad copias referatur, videatur petere Cicero ab Attico, ut flectat viam, ne copiæ Brundusium veniant: quod nec Cicero petiisset, nec Atticus facere potuisset. Corr.

CICERO ATTICO SAL. 19

Dicitur Idibus Sext.] Affuturus, cum Cæsaris ad me litteris. Affuit autem pridie Idus, ut patet duabus epistolis ad Terentiam, *Fam.* XIV. 23. et 24. Manutius.

CICERO ATTICO SAL. 20

Seleucia Pieria] Ptolomæus tres Seleucias facit, e quibus Seleucia Pieria cognominatur, quæ ad Euphratem est. De qua Strabo lib. XVI. Plinius lib. V. cap. 12. Popma.

Suspectum] Si nunc aliquibus ignosceret causa eorum cognita: iis, quibus ignovisset, nihil amplius timendum esset. Cum vero omnibus ignoscat incognita causa, suspectum videtur esse. Man.

Iturum] Nunciat Sallustius, vel arbitrantur homines. Corr.

CICERO ATTICO SAL. 21

Venit] Ut legiones in Siciliam traduceret: quo Cæsar Patris iturus erat. Man.

Veniat] Cæsar, ad sedandos tumultus militum, qui nolunt ante in Siciliam trajicere, nisi præmiis acceptis.

Mallem illum] Mallem illum (Cæsarem) prius venisse. Corr. Videtur omnino perspexisse Corradus id, quod exprimere noluit Cicero, et volebat intelligi: neque aliam admittunt interpretationem ea quæ sequuntur. Hoc ergo ait: si prius Cæsar venisset, cum eo collocutus, alium mihi receptum quæsissem, ac jamdudum molestia carerem hujus commorationis. Olivet.

Nostrorum] Q. Q. et fortasse Terentiæ.

22 CICERO ATTICO SAL.

Epistolas] Q. Cicero epistolas contra Marcum fratrem scripserat ad Cæsarem: Cæsar illas ad Oppium et Balbum misit: illi Attico dederunt: Atticus ad M. Ciceronem curavit perferendas. MAN.

Istos] Cæsarianos, qui Romæ sunt.

Rogari] Statim, inquit, quæcunque postulavit Q. filius de patre impetravit, ita facile, ut ne rogari, &c. VICTOR.

Impetrationes nostras] Scripserat Atticus, posse Ciceronem efficere, ut ne Quinto fratri illæ obessent litteræ, de quibus queritur Cicero; posse *impetrare* a Cæsare, ne Quinto esset iratus. Respondet, nulla se in gratia esse apud Cæsarem, nihil sibi ab illo tribui. Video, inquit, *istas*, de quibus scribis, *impetrationes* meas *nihil valere*. Ita iratus fratri non est, a quo me videt graviter læsum esse, ut omnia donarit ultro; *ne rogari quidem se passus sit: nostri nullam* fecerit *mentionem*, ut est in superiore epistola. Condonatum fuerat Quinto prius, quam fratri, quem læserat, satisfaceret. Id Marco erat molestum. OLIVET.

Usquam] Supple, commoturos.

In oppidum] Non explano, ut in unoquoque oppido multos dies Cæsar consumat, sed, ut ab oppido ad oppidum multorum dierum itinere perveniat. Quale illud est ep. 35. lib. XII. *Ne totum diem in villam.* Ubi subaudio, *ponam;* dum in villam eo. MANUT. Priori tamen modo accipit. J. F. Gronov. ut nimirum conventibus agendis et audiendis legationibus multos dies *in oppidum* ponat Cæsar.

His] Syllæ et Messalæ. *Illuc:* ad Cæsarem. *Excusent;* quod Brundusio discesserim et propius urbem accesserim. MANUT.

23 CICERO ATTICO SAL.

Non video] Agitur de testamento Terentiæ, de quo scripserat ep. 16. ut Atticus cum Camillo communicaret. Tuas litteras expectavi, inquit, ut quid actum esset intelligerem. Veruntamen testamentum si aliter factum est atque oportebat, mutari jam non posse video. POPMA.

Factum] Scilicet a meis de mittendo tabellario: quanquam interdum verebar, ne morbus te prohibuisset scribere, significaveras enim antehac te non satis valere. J. F. GRON. Conjicit Muretus, *etsi putabam te tardiorem factum*, &c.

Litteris] De quibus infra, ep. 24.

De hac misera] Tullia.

De ipso testamento] Ut Terentia testamentum faciat. Et in dictione, *ipso*, inest emphasis: quasi dicat, de quo scis me laborare, et de quo sæpe jam ad te scripsi. MAN.

Illud quoque] De dissidio inter Dolabellam, et Tulliam. CORR.

Ut vivi] Sic Balliol. et Helmst. cum omnibus editis antiquioribus: quod non ausim mutare. Est enim, fecissem aliquid quo ostenderem me dolorem et contumeliam sentire. Mortui enim carent sensu. GRÆV. Malebat Pantagathus, *ut viri:* quod Lambinus recepit. Omittamus Bosium, qui edidit, *ut vini:* hoc est, vinolentiæ.

Novarum] De quibus legem ferre volebat Dolabella.

Nocturnarum] Quibus Dolabella inimicorum, ut L. Trebellii, vel potius mulierum ædes expugnabat. CORRADUS.

Metellæ] Quæ temporibus illis videtur male audivisse. Horat. Satyr. 3. lib. II. et Ovid. eleg. 1. lib. II. Trist. IDEM.

Sed et tempus] Supra, ep. 3.

Denuntiare] Forte, *renuntiare*, ut sit renuntiare repudium Tulliæ, ita scilicet se gerendo, ut eam pro uxore non agnoscat. Plaut. Aulul. IV. 10.

is me nunc renuntiare repudium jussit tibi. J. F. GRON.

Ut hoc, vel tabulas] Subaudi, cogitet, in animo habeat; vel aliquid hujusmodi. Particula, *vel*, sententiam non mutat, sicuti cum ponitur pro aut, sed auget, quomodo posita est in libris Academicis: *per me vel stertas licet, non modo quiescas.* MAN.

An prius ego] Ei renuntiem scilicet: hoc est, an Tullia meo suasu ei prius nuntium mittere debeat, an expectare ut a Dolabella repudietur. GRÆV.

CICERO ATTICO SAL. 24

Injuria] Tulliam aspernabatur Dolabella: qua injuria sic commovebatur Cicero, quasi eam ipse accepisset. Atticus nolebat tentari divortium prius, quam Cicero pacem confirmasset cum Cæsare. Hinc est quod queritur, non licere sibi irasci, ac ne dolere quidem. MONGALT.

Redeo] Hactenus fuit librarii manus: nunc, inquit, ad meam redeo.

Non credo] Totus locus sic est rescribendus: *de testamento. Quod dum factum Camillus queri cœperat, non credo te commovit.* Non puto te ad animum revocasse, et ex eo turbari. J. F. GRON. Muretus vero pro vulgatis *cum illa quærere cœperat*, reponendum putat *cum illa hærere cœperat.* Sed locus et Grævio et Mongalto videtur comploratus. Bosianam editionem repræsento.

Rogarit] Consilium tuum. GRON.

Illa] Tullia.

De illo altero] Quod scilicet ad te scripsi, ut aliquid conficiatur ad inopiam propulsandam. MAN.

Venire] Ex agento, et supellectile.

Quid egerit] De me apud Cæsare. MANUT.

Aut nihil puto] Cum Philotimus Ephesi tempus tereret, conjecturam faciebat, in iis litteris, quas ille a Cæsare ferre dicebatur, nihil esse, quod celerius perferri opus esset. MAN.

Illinc] A Cæsare, ex Alexandria. IDEM.

Africanum] Scribis te putare, inter Cæsarem, et Pompeianos, qui in Africa sunt, litteris utrimque mittendis pacem posse fieri. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 25

Proximi] Ut Q. frater, Q. filius, uxor, et gener. CORR.

Quam obesse] Legit Grævius et Mss. *maluissent. Quam ob rem quoniam*, &c.

Longum non erit] Significat, se aut in tantis molestiis non diu posse vivere, aut in alias terras velle migrare. MANUT.

Apud εὔπιστον] Velim, inquit, Terentiam et Tulliam deponere testamentum ipsius Terentiæ apud aliquem, cui tuto committi queat: ut vero id facere possint, ipse advertas rogo. Εὔπιστον vocat hominem exploratæ fidei, et cui tuto credi possit. Huc spectant verba illa epistolæ superioris, *poteris eam monere, ut alicui committat*, &c. BOSIUS. Antea legebatur, *apud epistolas velim ut possint adversas.* Unde sensus elici nullus potest. Bosii conjectura non est quidem certa; immo est audacior; sed hujusmodi tamen, ut tenebris præstare videatur. OLIV.

Hujus] Tulliæ.

Miserrima facultate] Negat Grævius miseram aut miserrimam facultatem pro inopia posse accipi. Cur enim? An quia pugnant secum *facultas* et *inopia?* Pugnantne magis, quam strenuitas et inertia? Atqui dixit Horatius, 11. Ep. XI. 28. *strenua nos exercet inertia.* IDEM.

Pensione secunda] Intelligit pensionem secundam dotis, quam Dolabellæ solverat anno superiore post Kal. Quint. epist. 3. POPMA.

Alium mallem] Doleo fuisse me cæcum: mallem id alii contigisset: mallem alium fuisse cæcum. Putat Mongaltus, hoc genus loquendi, *alium mallem*, in communi usu et pro-

verbio fuisse. Corradus opinabatur legi posse: *aliud mallem* fecisse; ut dicere solent illi, quos aliquid fecisse pœnitet. OLIVET.

III. Non. Quint.] Ex diebus adscriptis, quibus datæ significantur, perspicitur, quam perturbatus ordo sit extremarum libri hujus epistolarum. Videntur ita posse distribui, ut hæc ipsa quæ incipit, *facile assentior*, sit 19. Et quæ deinceps, *Quod ad te*, 20. *Cum tuis*, 21. *Quæ dictum*, 22. *Kal.* XVII. *Sept.* 23. *Accepi*, VI. *Kal.* 24. *Diligenter*, 25. MAT.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER XII.

CICERO ATTICO SAL.

Ad constitutum] Ad constitutum locum et tempus. GRÆV.

Γηροντικώτερον est] *Magis senile, magis quasi proprium senum.* CORRAD. Atticum objecisse Ciceroni γηροντικὸν esse igne matutino uti hoc tempore, apparet ex verbis paulo post subjectis: *hoc igitur habebis.* Quo significat se, ut illum repungat, γηροντικώτερον aliquid ei exprobrasse, memoriæ scilicet vacillationem. Nam *hoc igitur habebis* est, hoc tibi repositum sit, qui mihi vitio vertisti γηροντικὸν illud, quod ignem matutinum me desiderare, scripserim ad litteras exarandas. GRÆVIUS.

Αἴσχη] *Confabulatio, colloquium.* Respondet ei objectioni, quam ipse sibi ex Attici persona fingit: quid oportuit mittere inanes litteras? MALASP.

2 CICERO ATTICO SAL.

Tamen] Utitur adversativa particula, ut Atticum falli doceat, dum scriberet, se putare nihil novi Romam allatum esse, ex quo inde discessisset. BOS.

Murcum] Quem postea C. Cassius in suas partes traduxit; mox falsis criminibus insimulatum Sex. Pompeius, Magni filius, in Sicilia interfecit. MAN.

Asinium] C. Asinium Pollionem.

Isti omes] Cæsariani. CORR.

Transacta] In Africa. Interea inquit, depugnatum fortasse est in Africa, quo Cæsar mense Decembri contra Pompeianos, Scipione imperatore bellum renovante, trajecerat. MAN.

Τί γὰρ] *Quid enim illi curæ est?*

Βέβιωται] Præclare *acta vita est.* Nam *vivere* quandoque valet jucunde vivere. Nonne vides, inquit, Balbo, eum voluptate vitam esse traductam? At tu interea dormis: non explicas quomodo vivendum tibi sit. MANUTIUS.

Πρόβλημα] *Quæstio.* Nimium diu quæris, utrum recta, an voluptaria sequaris. Hæc tibi quæstio jam explicanda est; aliquando tibi est decernendum, utram partem eligas. ID.

Si quid acturus es] Qui semper deliberat, et quærit, hoc an illud agat, nihil unquam agit. IDEM.

Fructum] Hoc est voluptatem, et usuram commodorum. Frui enim absolute positum, est præsentibus commodis et voluptatibus uti. Patet ex epistola ad Pætum lib. IX. epist. 17.

Nihil, inquit, timeo: fruor, dum licet: opto, ut semper liceat. MAN.

Tyrannioni] Grammaticus fuit eruditus, qui librum scripsit, de quo ep. 6. Is docuit Q. Ciceronem filium, ut legitur in epistola ad Q. fratrem, lib. II. ep. 1. De eodem etiam epist. 4. et 8. lib. IV. Simul diem constituemus, quo die suum librum legendum nobis det. Ep. 5. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 3

Ἀγωνιώντως] Sine fuco.

Μακάρων νῆσοι] Beatorum insulæ.

Obduretur hoc triduum] Ab utroque nostrum. Nam tu quoque in eodem πάθει, et in eadem molestia es; propterea quod, ut ego te invitus, ita tu me non libenter cares. MAN.

Πάθει] Affectu, animi motu.

De auctione] Post auctionem. MANUTIUS.

Vennonii] Vide lib. I. de Leg. c. 2.

Ne nihil de re] Supple, scribam.

Nomen illud quod a Cæsare] Ciceroni pecuniam debebat proscriptus civis Pompeianus, cujus bona Cæsar cum vellet publicare, permisit ut Cicero debitum suum exigeret. Ideo dicit: *nomen illud quod a Cæsare mihi concessum ut exigam*, tribus modis consequi potero, emptione ab hasta, delegatione a mancipe, et semisse. POPMA.

Perdere] Nam, si dominus commutabitur, quæ de bonis proscriptorum empta fuerint, rata non erunt. MAN.

Metonis annus] Proverbialiter hic dicitur longissima dilatio, ab eo quod Metonis Astronomi annus constabat octodecim annis solaribus. POP.

Vecteni conditionem semisse] Compendium loquendi sic est integrandum: aut habeat eam conditionem, qua Vectenus est depectus, nimirum ut semisse simus contenti, vel dimidia parte. GRONOV. *Observ.* lib. I. cap. 16.

Σκέψαι] Considera: quid? hoc videlicet, de tribus conditionibus, quæ tibi magis e re nostra videatur. MAN.

Κτύπῳ] *Plausui.* Sententia hujus loci hæc est: vereor, ne quia ludi Præneste fiunt, iste, quicunque sit, advolet eo ad plaudendum, veritus, præsentes segnius plausuros, et eos excitaturus, ne tam insignis vir, qui ludos dat, negligatur. J. F. GRON.

Μελήσει] Curabis: curæ erit. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 4

Ἐρυθρότερον] *Rubicundiorem.*

Addam igitur] Ad id tempus videlicet, quod hic manere constitueram. Et sciendum est, Ciceronem hic festos appellare eos dies quos ruri ageret, propterea quod feriaretur ab omnibus negotiis, quemadmodum in urbe festis diebus fieri soleret. MAN.

De Catone] Catonem, sive librum de Catonis vita scribere est opus difficile non minus quam *Archimedis* Geometræ *quæstiones* explicare: neque enim ita possum scribere, ut Cæsarianos non offendam. Scripsit tamen; et Cæsar ipse rescripsit Anticatonem, sive contra Ciceronis laudationem Catonis libros duos, ut ex Gellio constat. POPMA.

Ψιλῶς] Tenuiter, sine ornatu.

Ἀκούσμα] Auditu jucundum; ad aures oblectandas comparatum.

Aledio] Docti viri putant Aledium vocari Cæsarem ficto nomine a Græco verbo ἀλίω, quasi vitandum, fugiendum, non offendendum. Ego arbitror esse nomen amici et familiaris Cæsaris et item Attici, qui etiam nominatur ep. 24. et 27. POP.

CICERO ATTICO SAL. 5

Q. pater] Haud dubium, quin illud Enniaqum respexerit: *Quintu' pater quartum fit consul.* Vide Gellium X. 1.

Luperco filio] Romæ collegia Lupercorum tria fuere: antiquiora duo, Fabianorum, et Quintilianorum: tertium recentius Julianorum, quos sibi, ut ait Suetonius, *in Julio, cap.* 76. inter alia humano fastigio majora, Cæsar decerni passus fuerat. Primus admonuit Mongaltus, hic de Julianis agi Lupercis, in quorum adscribebantur collegium, qui placere volebant Cæsari. De M. Antonio notum est, *Philipp.* II. 34. Affectavit hoc, ut alii, Quintus Cicero, filiumque Julianos inter Lupercos esse voluit, cum domesticis duobus libertis, Statio suo, et Philotimo Terentiæ. Improbabat Marcus Cicero fratris consilium, ut dignitatis alienum. OLIVET.

Statio] Statius libertus Q. Ciceronis, itemque Philotimus non fuerunt Luperci, sed calatores atque ministri Q. filii in sacerdotio. Non enim liberti ad sacerdotia admittebantur: tantum ministrabant suis patronis sacerdotibus. POPMA.

Quod autem os] Scite Turnebus hæc verba sic distinxit, *quod autem os, in hanc rem* ἔρανον *a te?* et interpretatus est: quæ impudentia est petere a te ἔρανον, hoc est, munus aliquod, tanquam stipem, id est, emendicare a te pecuniam, ad eam rem obeundam? BOSIUS.

Διψῶσαν] Fac, inquit, non ad διψῶσαν κρήνην, *siticulosum fontem*, sed ad Πειρήνην, *Pirenen*, cum venisse; sed ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφείου, *respirationem venerandam Alphei*, in te κρήνην, *fontem* haurire: ποῖ ταῦτ' ἄρ' ἀποσκήψει; *quorsum hæc tandem erumpent?* Horum autem verborum sententia hæc est: fac Quintum fratrem, cum a te ἔρανον petiit, non ad διψῶσαν κρήνην venisse, sed ad Πειρήνην, fac etiam eundem summis angustiis rei familiaris pressum in te haurire κρήνην, id est, fontem uberrimum, nempe ἄμπνευμα σεμνὸν Ἀλφείου, hoc est, Arethusam, quæ Pindaro est *Alphei respiratio jucunda;* quo tandem hæc evadent? Bos.

Cato] Liber de Catonis vita. MAN.

Bassum Lucilium sua] Subintelligitur, delectant. Sensus est: Catone meo delector, sed fortasse sine causa, quando etiam Bassum Lucilium, malum scriptorem, sua delectant. ID.

Cælio] Hic nummularius erat, cum eoque Cicero agebat de argento aurove facto, aut infecto, cum alio signato commutando. Bos.

Natura] Naturam vocat auri qualitatem et temperaturam; bonumne an malum sit, purum putum et obryzum, an argentosum, orichalcove permixtum: facultatem vero, æstimationem et pretium. Hæc ex pecuniæ signatæ nota facile perspicitur. ID.

De Hortensio et Virginio tu] Hos quoque argentarios puto fuisse. *Tu:* subaudi quæres: quæres autem hoc, num viri boni sint, et num in auro quod daturi sunt, vitium timere possimus. MAN.

Cum Mustela] Ages. Forte Mustela et Crispus coheredes erant. Itaque agi cum Mustela non poterat, nisi et Crispus, ejusdem hereditatis particeps, adesset. Etiam ep. 3. lib. XIII. *De Crispo*, inquit, et *Mustela videbis. Et velim scire, quæ sit pars duorum.* Quo in loco hereditatem significari manifestum est, cum dicat, *quæ sit pars duorum.* IDEM.

Ad Aulum scripsit] Et a Pisone argentario aurum sumere Cicero volebat. Hoc agebatur interprete Aulo. Et, quoniam res diutius ducebatur, puto quod argentarius Piso in permutatione facienda lucro usitato contentus esse nollet, sed aliquanto plus peteret: Cicero, qui rem ad exitum vellet perducere, ad Aulum scripsit, ut per eum Pisoni demonstraret, se optime nosse, quantum pro auro, quod ab argentariis permutatione acciperetur, dari soleret, ut scilicet Piso, cum videret Ciceronem, qui collybi rationem bene nosset, non facile adductum iri, ut præter consuetudinem penderet, æquiora postularet. IDEM.

Demonstrarem] Lamb. *demonstraret.*

Tubulus quo crimine] Subaudi, accusatus fuerit. Atticum rescripsisse apparet, quod prætor quæstionem

exercens inter sicarios, pecunias cepisset ob rem judicandam. *Fin.* II. 16. MAN.

De Ser. Galba] Supple, ad populum tulit. Epitome Livii, lib. XLIX.

Fannianorum] Annalium C. Fannii, (de quibus *Leg.* I. 2.) quos in epitomen Brutus contraxerat. J. F. GRONOVIUS.

Γεωμετριαῖς] More geometrico.

Ergo et in integro] Ergo et senatui non interfui, et nihilominus omnia mihi in integro sunt apud Cæsarem: animus illius erga me nihil est immutatus, quanquam Kalendis Romæ non adfuerim, cum senatus habitus est. MAN.

Nicasionumque ἀρχίτυπα] Sic lego, etsi alii aliter mutant. Nicasiones erant argentarii aut fœneratores: fortassis ita dicti, quod cæteros in hoc negotiationis genere vincerent. Est enim Nicasio nomen proprium origine Græcum, apud Ciceronem in Verrem. Afranius in fabula Incendio: *servus est mihi Nicasio sceleratus, curiosus.* Cæcilius in inscriptione comœdiæ, cujus testimonio Nonius aliquoties utitur, Botonicasio, quasi pecuarius, vel pecoris magister. Ἀρχίτυπα vocat *calendaria* fœneratorum, in quæ velut in primigenias tabulas nomina referunt. POPMA.

Tabulæ] De tabulis loquitur accepti et expensi, quas quilibet paterfamilias conficiebat. J. F. GRON.

CICERO ATTICO SAL. 6

Lacuna] Lacuna dicitur esse in auro, cum in nummo, qui aureus videtur, aliquid est, quod aurum non sit. Quasi enim lacuna est in eo loco, ubi aurum non est: translatione sumpta a fundis, quos lacunæ deteriores faciunt. MAN.

Hegesiæ] Quia proxima verba minutatim inciderat, scribit se id fecisse exemplo Hegesiæ, cujus dicendi genus fractum erat, et veluti in particulas incisum, ut idem refert in Oratore. Habes, inquit, hoc exemplo genus dicendi Hegesiæ. BOS.

Verum hoc fuit, sine me] Subaudi, te legere Tyrannionis librum. Et dixit, *verum*, pro æquum. MAN.

Πάντα φιλόδημον] *Omnem popularem:* hoc est, qui vulgaria non spernit.

Θεωρίαν] *Commentationem:* de arte fortasse grammatica, quam Tyrannio profitebatur.

Τέλος] *Finem*, scilicet bonorum et malorum. Quasi dicat: ut acuta et gravis sit, quemadmodum tu scribis, Tyrannionis ista θεωρία, mihine ad opus quod molior de bonorum et malorum finibus, aliquam utilitatem afferet?

Pro isto asso sole] Loci hujus sententiam unus mihi videtur Mongaltus vidisse; quem lubens sequar: nec tamen verbum reddam pro verbo. Inter alias corporis curandi artes, hanc adhibebant veteres Græci Romanique, ut in sole nudi vel sederent, vel ambularent, quo frigidis humoribus excoquendis opportunum solis calorem cutis combiberet. Juvenalis, XI. 203.

Nostra bibat vernum contracta cuticula solem.

Eam vocabant *insolationem*, et *apricationem*. Si corpus ante apricationem oleo perfuderant, hanc dicebant apricationem unctam. Cicero vocat *unctum solem, nitidumque:* quoniam solares radii in cuticulæ meatus insinuabant sese quasi uncti ac nitentes oleo, quod secum vehebant. Si unctura non præcesserat, assa erat et sicca insolatio. Nam *assum*, auctore Servio in Georg. II. 417. est *siccum*. Propterea *uncto ac nitido soli* opponitur *sol assus*. Quorsum autem hic mentio *pratuli?* Quoniam dialogus *de Claris Oratoribus*, in quo loquitur Cicero, audiente Attico et Bruto, habitus esse fingitur in pratulo, ubi apricabantur. Lecto amici libro, scripserat, ut videtur, Atticus: *isto sole in pratulo tuo sum abusus:* quo significaret, ea se lectione magnopere esse delectatum; nam *abuti* est uti ad de-

licias et voluptatem. Respondet Cicero in eadem perstans metaphora: qua quid velit, clarius apparebit, si referamus animum ad ea, quæ antecedunt de Tyrannione. Hoc, ni fallor. Ex ea, quam commemoras, Tyrannionis commentatione grammatica, quis potest mihi fructus existere ad eam scriptionem, quam meditor *de finibus bonorum?* Atenim quæ ad hoc argumentum pertinentia interrogare et scire a te volo, plura sunt, quam ut includi omnia in epistolam possint: et cum una erimus, id agemus per otium. Tum exigam quod pro illis debes, quæ a me de Oratoribus, cum *in pratulo* ad solem sederemus, accepisti: faciamque, ut levia nostra ac vulgaria, quibus tamen te delectatum esse ais, utilibus multis, quæ interrogando a te auferam, scituque dignis remuneres. OLIVET.

Tantumne] Alludit ad locum Terentii in Heautontim. I. 1. 18.

Oratorem] Librum, quem de perfecto oratore ad M. Brutum Cicero misit: cujus inscriptio est, *Orator*. MANUT.

Aristophanem] Perspicuum est, in Oratore subintelligi, in quo hæc de Pericle: *si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane posta fulgere, tonare, permiscere Græciam dictus esset.* Quod Cicero cum Eupoli primum tribuisset, postea correxit. MAN.

Quæso *illud tuum*] Cæsar rogatus ab Attico ut parceret Buthrotiis in Epiro, quorum agri, quod Pompeio studuissent, proscripti erant, ita responderat, ut jocaretur in verbo *quæso*, quo usus fuerat Atticus, sive ipsum id improbaret tanquam antiquum (nam sine dubio id verbum superest ex eo quod antiquissimi *aos* pro *ara*, *Fusii* pro *Furii*, et sic *quæso* pro *quæro* dixerunt. Posteriores adamarunt utrumque, et significationibus distinxerunt,) sive audacius Atticus alia et prorsus inveterata terminatione usus esset, ut *quæsere* Plauti, *quæsit* Lucretii, *quæsens*, ut Appuleius. Scripsit autem de analogia Cæsar, et erat exactor Latini sermonis diligens, si non morosus. Atticus igitur nonnihil dubius, consulto Cicerone nunc cognoscit ludum hunc et jocum esse, sed de re, futurum Cæsarem in Attici potestate. J. F. GRONOVIUS.

Εὐφυὴς] Elegans.

Tam diu] Febri laborare. Supra ep. 1. MAN.

7 CICERO ATTICO SAL.

Te ex me detulisse] Te ad Ciceronem filium detulisse quod ex me intellexeras, diceret ecquid vellet, ecquid requireret. Illum respondisse, velle in Hispaniam ire cum Cæsare contra Pompeii liberos, &c. POPMA.

Arma] Pompeiana. MAN.

Contraria] Subintellige, sequi. IDEM.

Fratre] Q. Cicerone filio, qui familiarior et gratiosior esset apud Cæsarem, utpote qui Lupercus in gratiam illius fuisset. IDEM.

Velim] Volo, ut potius pecuniam a me, quantam vult, sumat, quam in in Hispaniam eat. Et dicit, *sua libertate*, quia, si M. Cicero in Hispaniam ivisset, cum id patri sciret non placere, nimirum liberius agere visus esset. IDEM.

Ego tamen triduum] Hic manebo. Et dictio, *tamen*, venuste posita pro *certe:* quia desiderium rusticandi declaratur. Ut hoc dicat: cum primum Balbus redierit, Romam me conferam: sin ille tardius, ego, quod optavi, tamen assequar, ut hic triduum etiam manere possim. Non licet autem quarundam dictionum occultam vim γνωριστικὴν ostendere: sed, ingenio paulo acutiore qui sunt, facile, quod significavimus, intelligent: cæteris satisfacere neque semper possumus, etiam si velimus, neque, si possimus, semper velle debemus. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 8

Res placet] Ut Athenas litterarum causa proficiscatur. MAN.

Comes] Montanus, de quo ep. 51. hujus libri, et 16. et 17. lib. XIV. ID.

Pensione] Exigamus primam pensionem dotis a Dolabella, antequam Ciceronem Athenas mittamus. Adest enim dies solutionis, nimirum Kal. Quintiles: et Cæsar ex Hispania reditum accelerat; cui Dolabella obviam ibit. POPMA.

Fœnicularium] Fœniculario campus erat in Hispania Bœtica. Græce μάραθον, vel μάραθρον. Strabo, *lib.* III. Lipsius, *Elect.* II. 21. Sensus: utrum ipse Celer impetraverit provinciam aut procurationem aliquam in Hispania a Cæsare, an vero spem urbani honoris comitiis accipiendi in campo Martio. J. F. GRON.

Pilia satisfaciendum] In deducendo aliquo candidato. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 9

Hic] In Cumano, ubi Philippus Ciceroni vicinus fuisse cognoscitur. lib. XIII. 51. et XIV. 10. 11. et 12. CORRAD.

Amyntæ filius] Philippus: idque per notam: quoniam Philippus Macedo Amyntæ fuit filius. Illum per notam appellat, ne virum Cæsaris affinem offendat aperte, cum loquacem vocet. Erat Cæsaris affinis, ut Octavii pueri vitricus. Ep. 12. lib. XV. IDEM.

Ὦ ἀστραγγολογίας ἀνδός] O loquacitatem insuavem!

CICERO ATTICO SAL. 10

Athamante] Servo, vel liberto mortuo. CORRAD.

Alexin] Ægrotantem. Et hic Attici servus. Ep. 2. lib. VII. MANUTIUS.

Collis] Collis Quirinalis, in quo tua domus est. IDEM.

Ἐνδήμιον] Contagiosum.

Tisameno] Tisamenus nomen servi Attici, et regis Lacedæmoniorum undecimi. Nam servi plerique habebant nomina regum, ut Agamemnon, Alexander, Pelops: et fere omnes Græca, ut illa notissima in comœdiis, Strobilus, Anthrax, Davus, &c. POPMA.

CICERO ATTICO SAL. 11

Nec tamen multo] Ut enim diligenter consideremus, quid agamus de senatu; nihil tamen proficimus; siquidem omnino respublica jacebit. Quod cum ita sit, hoc ipsum de dicenda in senatu sententia non multo magis ad nos pertinet, quam communis omnium interitus. MAN.

Postumiam Sulpicii] Subintellige, uxorem. Nam veteres sic loquebantur, ut dicerent, Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicii, Mucia Pompeii, et hujusmodi, *uxor* subaudientes. ID.

Hoc tempore] Cum Terentiam jam dimisisset, de ducenda uxore Cicero cogitabat. IDEM.

Commotiunculis] Febriculæ. CORR.

Συμπάσχω] Æque afficior.

CICERO ATTICO SAL. 12

Perpurga] Est, expedi, explica, nempe ut solvatur. J. F. GRON.

Regia] Sæpenumero apud Ciceronem *regium* in malam partem accipitur. Significat enim, non ferendum, quasi tyrannicum; ducta translatione

ab odio Romanorum in reges suos. Conditio ergo regia delegandi Balbi, est dura et iniqua conditio delegandi Balbum. Nam dicebat Dolabella se paratum esse dotem Tulliæ Ciceroni restituere, modo is vellet eam exigere a Balbo, quem ipsi debitorem delegabat. At cum Balbus familiarissimus esset Cæsaris, Romæque plurimum auctoritate posset, difficillime ab eo pecuniæ exigi poterant. Bosius.

Delegandi] Scilicet debitoris, qui solvet alii, quod nobis debet, cui nos debemus. Cic. superius, ep. 3. hujus libri: *nomen illud quod a Cæsare tres habet conditiones, aut emptionem ab hasta,* &c. *aut delegationem a mancipe annua die, aut Vecteni conditione, semissem.* J. F. Gron.

Ἀποθέωσιν] Relationem in deos. Insula Arpinas, inquit, videri potest ad Tulliæ ἀποθέωσιν maxime accommodata. Etsi nihil adhuc de ejus morte scriptum est, constat tamen his temporibus ex partu decessisse. Corr. De hac insula, lib. II. de Leg. cap. 1.

Τιμὴν] *Honorem, celebritatem.*

Ἐκτρόπιμος] *A via remota.* Quod nomen Cicero junxit ἐκ τοῦ ἐκτρέπεσθαι καὶ τοῦ οἴμου, quod insula Arpinas nimis a via deflecteret et declinaret. Bos. Vide Turnebi *Advers.* XII. 2.

In hortis] Qui erant circa Romam plurimi: sed Transtiberini propter fluminis vicinitatem celebriores: itaque hoc maxime voluisset Cicero: unde illud ep. 19. *cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare: nihil video, quod tam celebre esse possit.* Man.

Ut voles] Cicero hoc tempore scriberat libros de Finibus, in quibus Atticus volebat ut pro Epicuro loquentem induceret aliquem eorum, qui viverent: quod etiam fecit. Induxit enim L. Torquatum Attici familiarem, et Epicureæ sectæ studiosum. Popma.

Requirant] Non possum satisfacere omnibus, qui a me hoc honore affici volunt. J. F. Gron.

Antiquos] Id est, eos qui perierunt, inducam loquentes. Man.

Ἀνιμίσητον γάρ] Non enim invidiosum.

13 CICERO ATTICO SAL.

Cratero] Medico affirmanti nobis de Atticæ morbo nihil gravius timendum esse: etiamsi illo diutius tenetur. Popma.

Ardor] Dolor ob mortem Tulliæ.

Molestum] Ut Romam irem ad cœnam auguralem: quam ipse parat, in augurum collegium cooptatus. Man.

Morbi causa] Gellius, XX. 1.

Prende] Ut cum Lænate me apud Apuleium excusent. Idem.

Malo id lege] Ut homines, inquit, non propter dolorem amissæ filiæ, sed propter invaletudinem convivis me carere suspicentur. Nam, si amicorum gratia impetraret; incertum fuisset, utrum id morbi causa faceret, an doloris. Dolorem autem celare volebat: itaque de morbo jurando cogitabat. Idem.

Appelles] De pecunia, quam nobis debet. Ep. 18. et 19. Idem.

14 CICERO ATTICO SAL.

Tribus enim opus est] Testibus, qui jurent me morbo laborasse. Corr.

Junio] Junius Atticum appellaverat, quasi Ciceronis procuratorem, Ciceronem sibi debere dicens, quod pro Cornificio spopondisset. Cicero sponsionis tempus non recordatur, et ait Cornificium posse ipsum solvere. Sponsor enim, id est fidejussor, appellari non poterat, si locuples reus esset, ex antiqua lege, cujus mentio fit in novell. Const. Just. Man.

Librum] Cujus extant fragmenta, et aurea quidem, Tom. IV. ed. *Ernest.*

Doleo] Cupio, inquit, tecum esse. Quod ipsum tamen doleo. Non enim

cum me, quem soles, videbis. MANUTIUS.

Quando] Roma proficiscatur, in Galliam iturus, ut Bruto succedat. IDEM.

Cratero] Vide superiorem ep.

CICERO ATTICO SAL. 17

Reus] Is, pro quo spopondi. Hoc enim *reus* aliquando significat. MANUTIUS.

Veruntamen] Subaudi, appelles procuratores. Locutio Ciceroni familiaris. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 18

Admonendo] De fano, quod erigere mortuæ filiæ volo. MAN.

Cluatii] Placet mihi fanum ea forma, qua Cluatius descripsit. Videtur autem Cluatius hic architectus fuisse, aut certe hujus generis intelligens. Quod etiam infra apparet, ep. 35. IDEM.

De loco] Supple, dubito.

Ne frustretur] Ne non solvatur, quod se esse soluturum dixit. Ep. 19. ID.

Non incertum puto] Non dubito, quin pecuniam nobis numeret. ID.

De sorte] Hoc est, de ipso fœnore seu capite, pro quo Sulpitius et Egnatius spoponderunt. J. F. GRON.

Adventu] Significatur illud tempus, quo M. Antonius Roma profectus ut Hispaniam ad Cæsarem iret, deinde mutato consilio reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, et noctu urbem introivit. Cujus festinationis maxime causa fuit, quod, cum tempus jam adesset ejus pecuniæ solvendæ, quam pro emptis in auctione Cn. Pompeii bonis Cæsari debebat, verebatur, ne, ipso absente, prædes sui venderentur. MAN.

De nepote] De Lentulo filio Dolabellæ et Tulliæ, de quo sic epistola 26. hujus libri: *et velim aliquando, cum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas, eique de mancipiis quæ tibi videbitur, attribuas.* Cæterum ei puero Cicero summum honorem habuerat, quod eum heredem aliqua ex parte instituerat in primis tabulis aut certe in ima cera. BOS.

Quod non advocavi] Amicos et ornatos viros: sed domesticis contentus fui præter Silium et Publilium. J. F. GRON.

CICERO ATTICO SAL. 19

Hic] Astura Insula. Infra ep. 40.

Vectigalibus] Vectigalia hic sunt reditus et pensiones quæ ex fundis et possessionibus capiuntur. POPMA.

Columnis] Quibus ad fanum utemur: ne expecta adventum meum, sed confice, id est, transige cum Apella Chio, eme eas ab Apella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat, e Chio marmore, qui moneat Atticum, ut ea de re cum homine Chio conficiat. Quod si e Chio marmore, sequitur ut eas maxime voluerit, quæ maculis essent versicoloribus, non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem fani. Nam hujus generis columnas reliquis fuisse firmiores, scribit Plinius lib. XXXVI. cap. 6. MANUT.

De judicatu] Id est, de meo officio judicandi, ne propter id Romæ esse me necesse sit. Vox *judicatus* in hanc sententiam extat, *Phil.* I. cap. 8. J. F. GRON.

De sponsu] Vide supra, ep. 17.

Ne perturbarer] Quod Antonius repentino adventu noctu urbem introisset. Ep. 18. et 20. MAN.

Id] Officium scilicet. Nam quod Terentia de filii re cogitet, *neque sincerum, neque firmum* puta.

CICERO ATTICO SAL.

Prudenter] Optime Balliolensis, *pudenter*, hoc est, non satis modeste. GRÆV.

Ad ea, quæ requisieras] ὑπόμνημα quoddam M. Brutus conscripserat; ut opinor, in Catonis laudem; (hanc enim conjecturam duco ex iis, quæ proxime sequuntur) idque Attico legendum, et judicandum miserat. Atticus, respondens, cum quædam minus probaret, eorum rationem a Bruto requisivit. Ille nihil ad ea: tantum Atticum rogavit, ut, si quid incertius de S. C. in Catonis sententiam facto protulisset, id corrigeret. MANUT.

De animadversione] De puniendis iis, qui cum Catilina conjuraverant. MANUT.

In sententiam Catonis] Subintelligitur, est facta discessio. IDEM.

Ranio] Quem volunt fuisse scribam.

Rationes meas] Meas facultates. MANUT.

Recedit] Manutius in hoc verbo mendum esse suspicatur, ac fortasse legendum, *res cedit*. Lamb. reponit, *aliquid procedit*. Lipsius, *a Faberio recidis*, id est, aufers: lib. IV. *Ant. Lect.* cap. 19.

Oviæ C. Lollii] Subauditur, uxoris. Figura antiqua, et optimis scriptoribus usitata. MAN.

Æstimatio] Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, cum Romam revertisset, fidesque tota Italia esset angustior, neque creditæ pecuniæ solverentur, constituit, ut arbitri darentur, per eos fierent æstimationes possessionum, et rerum, quanti quæque earum ante bellum fuissent, atque eæ creditoribus traderentur. Hinc est, quod Cicero interdum dicit *accipere æstimationem*, pro accipere a debitore possessionem, aut rem, lege Cæsaris æstimatam. IDEM.

Aut quatenus eos mihi concedere] Puto verba illa esse insititia et delenda. GRÆV.

22 CICERO ATTICO SAL.

Rutilia] Vide supra, ep. 20.

Ut non vendam] Sunt, inquit, quæ non invitus possim vendere, ut habeam unde hortos emam. Sed, si tu me adjuvas, possum assequi, quod volo, ut nihil vendam, eique, a quo emero, usuram tantummodo annuam pendam. MAN.

Non plus annum] Tale illud est ep. 6. lib. VI. Num est hoc, non plus annum obtinere provinciam? Dixisset etiam eleganter, non plus annuam. MAN.

Si tu me adjuvas] Si tuo studio consequi potes, ut pecuniam ab iis, qui debent, exigamus. Hoc enim non ad facultates Attici, sed ad operam et diligentiam pertinet. Et refertur ad illud, *possum assequi*. ID.

Paratissimi] Horti. IDEM.

Sustentabitur] Facile tanquam dives usuris sibi patietur satisfacere, dilata sortis solutione. GRÆV.

Habe tuum negotium] Existima tuum esse negotium. Hæc res tibi curæ sit, item ut si tua res esset. Genus loquendi perelegans: quo et infra utitur, lib. XIV. ep. 2. MAN.

23 CICERO ATTICO SAL.

Quamvis] Atticus proximis litteris, ita scripserat Ciceroni: *quamvis de Hispania non cures, tamen ad te sum scripturus*. Itaque putavit se Cicero in iis litteris aliquid novi de Hispania esse reperturum, &c. MAN.

De foro] Supra, ep. 21.

Domus est] Scripserat Atticus: cum Romæ eris, si versari in foro non libebit, at domi esse poteris, quæ tibi erit pro foro. Ita et iis satisfacies, qui a te postulant ut Romæ sis, et

assequeris quod tu vis, ut forum ne frequentes. MAN.

Unum] Tulliam. CORRAD.

Præter me] Omnino, ut opinio mea fert, aptius quiddam, et concinnius accesserit ad sententiam, si legatur, *præter te*. MAN.

Illa] Quæ proxime sequitur. ID.

Aledius] Cæsarianus nescio quis, qui Romæ tunc erat, ep. seq. cum Cæsar esset in Hispania. CORRAD.

Quæsierit] Ut in senatum venire, et ipsorum de republica consiliis vellet interesse. MAN.

Carneades] Vide *Orat.* II. 37.

Πολιτικοὶ] Reipublicæ moderatores.

Apollodori] Subaudi, libris: figura Græca, qua Cicero etiam alibi usus est, ut cum dixit, *ad Martis, in Scapulæ*, per *Locustæ*. Subintelligitur enim, *ædem, hortos, fundum*. MANUTIUS.

Dubium] Subintellige, quin ex eo morbo moriturus esset. IDEM. *Gamala:* alii, *Magala:* nomen utrumque incognitum. Sed videtur fuisse Liguris filius aut filia; nam sequitur; *unde tam felix* esset *pater?* ANON.

Officii debiti] Quasi ex voto, et promisso. Vide ep. 18.

Rem] Fanum extruendum. MAN.

Et, ut tu] Latet aliquid vitii. Forte: *scribat igitur ad me quid egerit: at quanti, tu videbis.* GRÆV.

CICERO ATTICO SAL. 24

Neque enim] Bene fecit Silius, qui deciderit de lite quam cum nescio quo habebat. Constitueram enim ei præsto esse ut advocatus: et tamen verebar ne a me impetrare possem, ut amissa solitudine quam sequor, me turbæ darem, et Romam venirem. J. F. GRON.

Ovia] Vide supra, ep. 21.

Lepidi] Consulis cum Q. Catulo.

Cispiana, et Prætiana explicabis] Nomina, hoc est, debitam mihi a Cispio, et Prætio pecuniam. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 25

Malim] Malim emere hortos præsenti pecunia, quam dare in solutum aliquam rem æstimatam ex lege Julia. BOSIUS.

Comparati] Quasi dicat: semper enim Siliani celebriores atque amœniores habiti sunt. MAN.

Τετυφῶσθαι] Gloriolæ studio ducor.

Ἐγγήραμα] *Senectutis requies, occupatio.* Quod scribis κάλλιστον ἐγγήραμα τὴν πολιτείαν, optimum senectutis obectamentum esse reipublicæ tractationem, quod dictum fuit prisci Catonis, mihi præsertim homini antehac in negotiis semper versato, eoque me revocas in forum et curiam, surdo canis: illud ἐγγήραμα, id est, respublica fuit et sibi et mihi, neque ipsa superest, nec quod ejus superest me tangit aut ducere potest. Eodem respicit ep. 29. et 44. hujus libri. J. F. GRON.

CICERO ATTICO SAL. 26

Nicia] Hic est Nicias Grammaticus, de quo Suetonius in libello de claris Grammaticis: qui etiam docuisse videtur Plancum Bursam. *Fam.* X. 9. MAN.

Unam rem] De Terentia scilicet. Vide supra, ep. 22. et 23.

CICERO ATTICO SAL. 27

Cottæ] Subintellige, villam. MANUTIUS.

De tempore] Quando velit discedere; ut Athenas eat studiorum causa. MAN.

Provincia] Gallia. IDEM.

28 CICERO ATTICO SAL.

Missum esse] A Terentia. CORR.

Id] Officium. Vide supra, ep. 19.

Meum] Nam graviorem, quam cæteri, animo dolorem accipiebam de miserrimo reipublicæ statu, quod quam ipse ab interitu servassem, eam aliorum flagitiis, scelereque præcipitem ferri ad exitium viderem. BOS.

Ubi acquiescerem] Cum haberet filiam, cujus in sermone, et suavitate conquiescere solitus esset. MAN.

Mœrorem] Quo differant *mœror* et *dolor*, habes Tusc. IV. 8. Mœror, *ægritudo flebilis*: dolor, *ægritudo crucians*.

Triario] De quo lib. I. de Finibus.

Pro mancipiis] Q. Cicero vendiderat Castricio cui debebat, mancipia, quæ postea voluit sibi retinere, et debitum solvere prout tunc solvebatur ex lege Julia, datis in solutum rebus æstimatis. Sed cum ita actum esset, ut Castricius ipsa mancipia abduceret, non erat æquum cogi illum ad æstimationem accipiendam. Quod enim actum est, ex solo conventu valet, ut loquitur auctor Rhetoricorum. POPMA.

Navigaturus] Roma se conferet ad mare, recta, non per Siciliam.

Lentulum] Cornelio Dolabellæ duo fuerunt cognomina; alterum Lentuli, alterum Dolabellæ. Ideo scribit Plutarchus Tulliam apud Lentulum virum ex partu decessisse. Erat ergo hic Lentulus filius Dolabellæ et Tulliæ, qui matri superstes fuerat, quem supra Cicero nepotem appellat. BOS.

29 CICERO ATTICO SAL.

Hodie] Hoc subaudi: tecum de hortis, quos ab eo emere vellemus, loquetur. Id enim Atticus ad Ciceronem scripserat. MAN.

Caput] Prima et præcipua causa, quod fanum celebri loco fieri velim. POPMA.

Opus sit] Quodam loco, ubi manere possim, et in hortis prope urbem esse ita, ut nec in turba sim, et te sæpe, et alios amicos mecum habeam. CORRAD.

Auctores] Fuisse in nominibus Faberii Oppium et Balbum conjici potest ex hoc loco. Nam eos Faberius Ciceroni volebat delegare. Quærit ergo Cicero, num ii futuri sint auctores, ut hortos emat, hoc est, num soluturi sint Faberii nomine pretium hortorum: et, si pecuniam repræsentare nequeant, ideoque opus sit aliunde eam sub usuris, ejus rei causa, sumere, quam jacturam usurarum illarum nomine facere velint. Nam desperatum erat, ut omnem in se jacturam susciperent. BOSIUS.

Ἐγγήραμα] Vide supra, ep. 25.

Damasippi experiendum est] Subaudi, ut hortos habere possimus. MANUTIUS.

31 CICERO ATTICO SAL.

Non injusta] Quia filio velit obsequi, roganti ne vendat; cum eum habeat, qualem vult, hoc est, plane ex animi sui sententia: ut reprehendendus non sit, qui tali filio obsequatur. MAN.

A quo refugiat] Hujus loci sententia hæc est: si una cum eo loco quem petimus, ab eo desideraverimus, ut vendat nobis alium, quem cupit abjicere et alienare, ubi ab ipso hunc emerimus, et illum, quem optamus accessionem daturum. J. F. GRONOV.

32 CICERO ATTICO SAL.

Publilia] Altera Ciceronis uxor, quam, post Terentiæ divortium, virginem duxit: cum qua et ipsa postea divortium fecit, quia lætari Tulliolæ

morte videbatur. Plutarchus in Cicerone, Quintilianus lib. VI. Dio lib. XLVI. MAN.

Non esse ipsius] Apparet, a matre scriptas, aut dictatas. IDEM.

Ut ego nollem] Sensus est: una est ratio vitandi, qua ego invitus utor, ut hinc ex Antiati discedam. Sed video non aliter effugere me illas posse. Itaque oro cognoscas quo die moturæ sint, et quousque manere hic possim, ut tamen abierim, cum aderunt. J. F. GRON.

Ne opprimar] Quia, si scisset, quo die illæ Roma profecturæ essent, ut ad se venirent; ipse ante illum diem Romam ad eas proficisci potuisset: quod facere cogitabat. MAN.

Quod facere cogitabat] Ne socrum ferret. Ep. 1. lib. XVI. CORRAD.

Argileti] Argiletum et Aventinus montes Romæ, in quibus locare volebat tabernas quasdam aut domos, eamque mercedem pro sumptu adsignare filio Athenas proficiscenti. POP.

Quanti] Quanti conducant. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 35

Detractionem] Cum Silius dixisset, hortos suos se esse venditurum, sed velle quendam locum excipere: vide, inquit Cicero, ne velit eum ipsum locum excipere in venditione hortorum, cujus loci causa hortos ipsos emere cogitamus. MAN.

Lege] Hoc, ni fallor, de lege Julia sumptuaria debet intelligi; qua verisimile est C. Cæsarem aliquid sanxisse de sumptu funerum minuendo. Dio, lib. XLIII. scribit eum generatim omnes sumptus minuisse. BOS.

Ἀλόγως] Sine ratione, stulte.

Mutato] Si assequi volumus, ut fani nomine appelletur. In hortis enim si faceremus, ubi multa multorum sunt sepulcra, sepulcri nomine potius appellaretur, quam fani. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 36

Ἀποθέωσιν] Consecrationem.

Mihi videor] Balliol. codex Ms. habet, *nihil videor*, &c. GRÆV.

Dixit] Vict. Man. Lamb. *dixi*.

Cluatium] De quo supra; ep. 18.

CICERO ATTICO SAL. 37

Quod mihi Bruti litteras] Misisti, quas ad te scripserat. CORRAD.

Propinquitas] Est præterea propinquitas loci ubi sis. Nam ii horti prope Romam sunt, ubi fere semper solemus esse. BOSIUS.

In villam] In itinere conficiendo, ut ad villam te conferas.

Caninii] De quo Hirtius, lib. VI. et infra, ep. 43.

CICERO ATTICO SAL. 38

Cognato] Mei fratris, et tuæ sororis filio, qui nunc est in Hispania. CORRAD.

Mihi quidem] Ἀποσιώπησις.

Maxime liberalissima] Ut suspectus hic sit locus, negare tamen non possumus alios sic loqui. Columellæ est lib. X. cap. 3. *Apis si sævior, maxime pessima est.* Agellius XIII. 10. *Hi sunt vel maxime humanissimi.* VOSSIUS, *de Construct. cap.* 17. Edendum curavi, libris omnibus invitis, *delegerim maxime, quæ liberalissima*, &c. LAMB.

Publicatus] Alii legunt *Publicanus*, qui scilicet esset ad viam Publiciam Romæ in clivo Publicio, de quo Varro et Ovidius. Sed Cicero non voluit in urbe fanum filiæ extruere, ut satis constat. *Publicatus* autem est publice venalis propositus, proscriptus. POPMA.

Κῦρος δ, ε,] Diogenes Laertius Antisthenem refert duos libros Cyri nomine inscripsisse, quorum unus quarto tomo operum Antisthenis continebatur, alter quinto. Itaque utrumque totum Cicero Græcis litteris, more Græcorum, notavit. Scribit ergo Cyrum quarti et quinti tomi ita sibi placuisse, ut cætera Antisthenis. Bosius.

40 CICERO ATTICO SAL.

Cæsaris] Qui scripserat contra Catonem, Ciceronis libro laudatum. Manut.

Ex eo libro] Ex Hirtii libro conjecturam Cicero capiebat, Cæsarem acerbius in se nihil scripsisse in suo libro, cujus laudes in alieno probasset. Idem.

Συμβουλευτικὰ] Sæpe conor aliquid ad Cæsarem scribere de ordinanda republica: συμβουλευτικὸν, *consilii plenum, quod deliberationem contineat.* Idem.

Ἀριστοτέλους] *Aristotelis et Theopompi* libros *ad Alexandrum.*

Discessus est] Tempus est, quo senatoribus discedere licet, et rus petere. Corr.

Is] Qui se tamen huc, suis Baiis omissis, quotannis conferebat; quod hunc recessum amaret, Baianam illam frequentiam fugeret. Quem significet divinare non facile est. Man.

Aliud tua gratia, aliud] Partim tua gratia, partim nostra. Idem.

Tabulam] Posuit pro auctione; quod auctionis signum tabula figebatur. Id.

Othonis] Scapulæ heredis, qui et ipse ad hortorum emptionem animum adjecerat. Quanquam, inquit, locuples sit Otho, tamen mea cupiditas efficiet, ut eum in auctione vincam. Idem.

De Lentulo scribis] Verendum ne is hortos mihi eripiat, cum eos valde appetat; non est in eo positum, ut auctione vincere me possit, novi enim ejus facultates. Bosius.

Faberiana] Vide supra, ep. 18.

41 CICERO ATTICO SAL.

Φιλαίτιον] Querula res calamitas.

Πρόπλασμα] Specimen.

42 CICERO ATTICO SAL.

Quæ scribis] Te scilicet esse occupatissimum. *Nullum a te desideravi diem litterarum;* hoc est, nunquam desideravi, nunquam expectavi tuas litteras. Man.

Nihil aliud] Ita scripserat Atticus, *nihil aliud. Scis enim novi me nihil habere.* Quæ verba paulum immutata hic refert Cicero, aitque sibi fuisse non molesta. Bosius. Lege, *nihil aliud scire me, nisi novi te nihil habere.* J. F. Gron.

Ut id ipsum] Ut domi te includeres rationum causa. Contulerat enim se Atticus in suburbanum, ut rationes suas commodius posset conficere, interpellatione sublata. Deinde venit in mentem, idem illud Romæ posse facere, si se domi includeret. Itaque fecit. Epist. 43. 44. 45. et 46. Man.

43 CICERO ATTICO SAL.

Quod siles] Quod, inquit, non scribis, sed taces illam fani ædificationem recte fore levamento dolori meo, bene facis; quia satis existimare non posses, nedum oratione consequi, quantum illa res hanc meam molestiam levatura esset. Bosius. Recte quidem hunc locum restituit Bosius, sed male interpretatur. Sensus hic est: quod dissimulas apud eos, qui-

biscum agis de hortis consilium meum, et me ex consecrata Tullia levationem doloris petere, laudo. Nam tu ipse, quam hoc ita sit, quamque penitus ego imbiberim, judicare nescis, qui nec sentias, nec senseris parem dolorem. J. F. GRONOV. Facit cum Bosio Mongaltus.

CICERO ATTICO SAL. 44

Συμπαθῶς] Ad indicandum similem animi affectionem accommodate.

A Pontiano] A quo tempore ejus amicum, vel affinem defendi. MANUTIUS.

Ἐγγράμμα] Supra, ep. 25.

Οἰκεδεσποτικά] Non satis *apta patris familiæ officio*. Villæ Silii et Drusi adeo pusillæ erant, ut bono patrifamilias deesset, in quo posset occupari. BOSIUS.

Druso ludus] Aliquod malitiæ genus est excogitandum, ut suos nobis hortos Drusus vendat æquiore pretio. MANUT.

Carteiæ] In extrema Bætica, ad mare Ibericum. IDEM.

Fulviaster] Fulvio similis: solet Fulvium imitari, qui pro Pompeio facile mentiebatur. IDEM. Alii *Fulviniaster*.

Caniniano] Supra ep. 36.

CICERO ATTICO SAL. 45

Συντάγματα] *Volumina, libros.*

Ἀκηδία] *Torpedo cum mæstitia.*

Ἀνεκτότερα] *Tolerabiliora.*

Σύνναον] *Contubernalem.* Sic ipse hanc vocem interpretatur XIII. 28. Quantum autem ad historiam, quæ totam hanc rem aperiet, traditum est nobis, Romanos Cæsaris dictatoris imaginem in templo Quirini dedicasse, quæ *Deo invicto* inscriptum habebat: quod nunc Cicero breviter tangit. Domum autem Attici scimus fuisse in colle Quirinali. VICTOR.

Hirtium] Librum ab Hirtio scriptum contra Catonem. MAN.

Ὑπόθεσις] *Argumentum.*

CICERO ATTICO SAL. 46

Admonitio] An, quod ibi aliquid esset, quod illi memoriam sui doloris renovaret? Nisi conjectura fallor, aliquid erat, quod ad Tulliolæ obitum pertinebat. Suspicarer eam ibi diem suum obiisse, nisi scirem Plutarchum et Asconium etiam tradere, eam apud secundum virum mortuam esse ex partu. Verum hi optimi auctores fortasse intelligere voluerunt, quod verum est, eam quo tempore obiit, in conjugio Dolabellæ fuisse. Nam et alium conjugem habuit, ut ambo illi crediderunt, Pisonem, et fortasse duos, ut ex plurimis Ciceronis locis videtur colligi et affirmari posse; neque de loco intellexerunt: ut non repugnet, quin credi possit, eam in Tusculano patris degentem, morte correptam fuisse, præsertim cum peregre vir esset. Eo enim tempore Dolabella in Hispania cum Cæsare, adversus Cn. Pompeii liberos bellum gerente, erat. Neque tamen hoc affirmo. Sed cum cogitarem quid esse potuerit, quid ei vulnus sui doloris refricaturum esset, si eo proficisceretur, nil aliud mihi occurrit, et hoc valde quadrare visum est. Hæc enim præcipue res dolorem renovare poterat, quæ eum in maximo mœrore et luctu tenuerat. VICTOR.

CICERO ATTICO SAL. 47

Tu igitur] Subaudi, ad me venies. MANUT.

Vel binæ] Prius quam ad me venias, vel binas uterque dare litteras poterimus. IDEM.

Occurram] Veniam ipse ad te, si

tu ad me minus commode poteris. IDEM.

Magnum opus est] Ut Scapulanos hortos habeamus: supra ep. 37. ID.

Cum cupido] Cum Othone. Epist. 39. 41.

Pluris] Video fore ut pluris æstimetur. Jocatur. Vide supra. MAN.

49 CICERO ATTICO SAL.

C. F. C. N.] Id est, *Caii filio, Caii nepote.* Ut scilicet neque libertum se esse ostenderet, neque libertinum, cui pater erat, et avus. Hic si fuisset C. Marii junioris filius, avum maternum habuisset L. Crassum oratorem clarissimum: si nepos C. Marii septies consulis, cognatione attigisset Ciceronem, cujus avus in matrimonio habuerat amitam Marii, ut est lib. III. de legibus, et propinquus fuisset Cæsaris ex eo, quod idem Marius uxorem habuerat Juliam Cæsaris amitam. Sed fuit Pseudomarius, et vero nomine Herophilus quidam medicus equarius: quem agnitum Cæsar extra Italiam relegaverat: deinde post mortem Cæsaris carceri impactus et necatus est, quod de trucidando senatu cogitasset; ep. 8. lib. XIV. Philipp. I. Valerius Max. XV. 9. POPMA.

Cognationem] Quia Ciceronis avus amitam C. Marii septies consulis in matrimonio habuerat. lib. III. de legibus. MAN.

Quem scripsissem] Cicero scripsit versibus librum de C. Mario, eumque inscripsit, *Marius*. lib. I. de legibus. IDEM.

L. Crassi, avi sui] L. Licinii Crassi, oratoris eloquentissimi, qui consul fuit cum Q. Mutio Scævola, avi sui materni. Etiam ep. 8. lib. XIII. appellat eum L. Crassi nepotem. ID.

Ut se defenderem] Contra eos, qui negabant C. Marii nepotem esse. IDEM.

Propinqui ejus] C. Marius, ille septem consulatibus insignis, uxorem duxit Juliam Cæsaris amitam. IDEM.

Cum dubitet Curtius] Quasi incertum esset, posset necne consulatum petere. At republica bene constituta non dubitasset, sed pro certo et explorato habuisset, sibi ad petitionem consulatus nullum aditum patere. Miserrima igitur erant tempora, quibus homines flagitiosissimi spem quandam haberent summorum honorum adipiscendorum. Nam qui dubitant, partim sunt in spe, partim in metu. BOSIUS.

51 CICERO ATTICO SAL.

A Peduceo] A Sext. Peduccii auctione. Ep. 1. lib. XIII. CORR.

Πολιτικοὶ] Libri de republica, vel homines reipublicæ administrandæ periti.

Isti] Balbus, Oppius, &c. CORR.

Perscriptionem] Assignationem ad trapezitam, ut vulgo loquuntur. GRÆ.

Hoc] Ne sit contra dignitatem meam, debere. *Alterum:* ne non sit, unde solvamus. MAN.

Sustinenda] Quasi differenda. COR.

Metone] Suspicabatur Mongaltus hoc nomine designari Cæsarem, qui Romanis annum correxerat; quod suis præstiterat civibus Meto Atheniensis, ut dictum supra, epist. 3. OLIVET.

52 CICERO ATTICO SAL.

Scapulanos, aut Clodianos] Hortos.

Talia] De philosophia: cum Græcorum verborum vim exprimere Latinis verbis cogeretur; atque idcirco verbis uti non admodum consuetudine tritis. MAN.

Ἀπόγραφα] Exempla, res descriptæ.

CICERO ATTICO SAL. 53.

Epiroticæ litteræ] Quas in Epirum scribis tuorum negotiorum causa. Forte autem, *litteræ*, abundat. Aptius certe ad brevitatem videretur. MANUT.

Fasciculum] Quem in Epirum mittis, ut ex Epiro d. inde Athenas deferatur. Nam Athenis erant Martianus, et Montanus cum Cicerone filio. IDEM.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER XIII.

CICERO ATTICO SAL. 1

Severius] Objurgans eum, quod immoderatos sumptus faceret. Quod indicat libri hujus ep. 26. MAN.

Tullios] Martianum, et Montanum, qui cum Cicerone filio Athenis erant. IDEM.

Ob eam causam] Ob fanum, quo filiam consecrare deliberatum est. ID.

Κατάλυσιν] Reliquum vitæ decursum.

Istis placeat] Oppio et aliis. Vide superioris libri ep. 49.

CICERO ATTICO SAL. 2

Veruntamen] Expectabam. Et est figura, qua usus est XIV. 8. MAN.

Pisonem] Argentarium. *Sicubi*, convenias, sicubi poteris.

Attribuatur] *Attribuere* in re pecuniaria est adsignare. POPMA.

Accipies] Cognosces ab Erote, quantum nobis a Faberio debeatur. MANUT.

Parochus] Parochus erat qui lautia præbebat legatis exterarum nationum, ut intelligitur ex interpretatione Græcæ vocis lautiorum, in senatus-consulto facto, Q. Lutatio, M. Æmilio consulibus, in gratiam Asclepiadis Clazomenii, Polystrati Carystii, et Menisci Milesii. Quod S. C. Græcis verbis explicatum cum fragmento quodam Latinorum, quibus primum conceptum fuerat, Victorius publicavit in postrema editione harum epistolarum. BOSIUS.

CICERO ATTICO SAL. 3

Nondum] Tabellarii enim Roma profecti, nondum ea hora, qua scribo ad te, pervenire in Tusculanum potuissent. CORR.

Ista nomina] De quibus ad me scribis. Cicero, cum pecuniam non haberet, unde hortos emeret, Attico mandaverat, ut aliquid venderet. Atticus in venditione non pecuniam accepit ab eo, qui emit, sed nomina, ita tamen, si ea nomina Cicero probasset, ad quem de ea re scripturus erat. MANUT.

Cælium non probas] Decreverat Cicero jam ante mortem Tulliæ, metu belli civilis, quicquid domi habebat auri, argentive facti vel infecti cum pecunia commutare, ut intelligitur ex epistola ultima libri XI. quod postea fecit. Nam argenti aurive, quod erat in supellectile, magnam partem cum Cælio nummulario num-

mis aureis permutavit. Idcirco rogabat Atticum epistola 9. libri XII. ut videret de Cælio, ne qua lacuna esset in auro. Quia vero valde egebat pecunia ad hortos emendos, negotium dederat Attico, ut si non posset ea vendere, quæ proscribi jusserat, quod domi superesset auri argentive cum Cælio pecunia permutaret. Cui mandato ita rescripserat Atticus, se non probare quod ille scripserat de auro argentove commutando cum Cælio, cujus fraudes antea expertus fuerat, suadereque ne plura ex supellectile distraheret. Id ergo Attici consilium scribit se probare in utraque re, ne scilicet cum Cælio sibi negotii quicquam sit, nec de supellectile plura commutet, sed illis nominibus utatur ad hortos emendos. Bosius.

His igitur] Nominibus. Corr.

Præs] Nisi haberemus hæc nomina, necesse fuisset, ut pro me præs fieres: nunc omnia sint a me. Idem. Illudit Tullius Attico, quod illi constitutum erat, quamdiu vixit, nunquam prædem pro altero, neque mancipem esse, ut auctor est Cornelius Nepos. Fregisses, inquit, consilium illud tuum causa mea. Sed postea subjicit, *a me igitur omnia* præstabuntur; ne te prædem fieri mea causa postulare me putes. Cætera sunt perspicua. Junius.

Quod dies longior est] Quantum ad id attinet quod dies meorum nominum longior est quam ut pecuniam repræsentare possim, spero præconem in tam longam diem, quam illa nostrorum nominum sit, solutionem destinaturum: aut, si id a præcone impetrare non possum, certe ab heredibus Scapulanis assequar. Teneamus modo quod volumus, et hortos illos nobis elabi ne sinamus. Hæc enim verba, *teneamus modo quod volumus*, κατὰ παρίνδεσιν sunt legenda. Bos.

4 CICERO ATTICO SAL.

Munus] Infra ep. 26. ita scribit: *sicunde potes, erues, qui decem legati Mummio fuerint.* Polybius non nominat. Eorum nomina Atticus invenit, inventa misit ad Ciceronem. Et hic perspicuum est, lapsum esse in ordine qui has epistolas retulit in volumina: cum infra de nominibus decem legatorum Atticum roget, hic autem ea se dicat accepisse. Man.

Et quidem puto] Vetus codex, teste Pighio, rectius legit, *et quidem sic puto.*

Nominibus] De quibus epist. super.

Aulus] De quo XII. 5. Utrobique *Avius* legunt Victorius et Bosius.

Ante] Velim ante, quam Brutus veniat, mecum esse possis. Corr.

5 CICERO ATTICO SAL.

Sed videlicet] Hoc sensu, sed videlicet vere existimas eum legatum quidem fuisse bello Achaico, sed non fuisse in decem illis legatis, qui Corinthum missi sunt ad res Achaicas componendas. Etenim verisimile est eum C. Mummio fratri legatum extitisse. Bosius. Hanc scripturam asserunt quoque Balliol. et Helmst. sed omittunt *etenim.* Mihi videntur hæc verba non esse sana. Concise in his epistolis loquitur quidem Cicero, non tamen tam abrupte. Facile mihi assentientur, qui genium Ciceronianæ dictionis non ignorant, et hæc accuratius perpenderint. Opinor autem loci hujus corruptelam ortam esse ex rariore et parum trita constructione τοῦ *videlicet.* Ciceronem enim scripsisse puto: *Spurium Mummium putaram in decem legatis fuisse: sed videlicet eum legatum fratri fuisse.* Nimirum *scilicet, videlicet* sæpe cum infinitivis junguntur. Putabam. Sp. Mummium in decem legatis fuisse, sed ex tuis litteris videre mihi licuit, eum fuisse legatum fratris. Cum non intelligerent imperiti, quid esset le-

gatum fratris esse, nec viderent unde penderet infinitivus *fuisse*, mire hunc locum perverterunt, et pro Latinis, ut sensum aliquem eruerent, Græca supposuerunt. GRÆV.

Εὔλογον] Verisimile.

Torquatum] Librum IV. *De finibus*.

Diem] Solutionis. Lib. XII. ep. 24.

Negotio] De hortis scilicet. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 6

Columnarium] Quod hic Cicero scribit de columnario, hoc est, de tributo in singulas columnas pendendo ad legem Juliam sumptuariam referendum arbitror: quasi Cæsar singulis columnis, quæ postea erigerentur, tributum imposuerit, ut hac pœna Romanorum animos ab insanis ædificiorum sumptibus revocaret. Antea monuimus eadem lege minutos fuisse sumptus sepulcrorum. BOS.

Pisoni] Cato puer, hereditatis paternæ nomine, pecuniam quandam heredibus Herennii debebat, quorum unus erat Piso. Hic et reliqui coheredes cum eam pecuniam sæpe frustra petiissent, minabantur se postulaturos a prætore, ut in bonorum Catonis possessionem mitterentur. Quod cum Atticus Ciceroni tutori significasset, rescripsit Cicero, se nihil habere quod honestius petitioni Pisonis, et reliquorum coheredum Herennianorum respondere tunc posset, quam, puerum Catonem solum esse, hoc est, destitutum esse præsidio tutorum: se enim et reliquos tutores abesse: simileque responsum eidem Pisoni dandum putabat de pecunia quam petebat a puero Lucullo, cujus itidem tutores aberant, isque potissimum, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia. Proinde expectandum esse reditum utriusque pueri tutorum. BOSIUS.

Solitudinem Catonis] Pupillus solus esse dicitur, cui tutores, a quibus defendatur, præsto non sunt. Ideo Cicero solitudinem Catonis vocat absentiam ejus tutorum. Fuit Cicero, ut hinc conjicimus, unus de tutoribus puerorum Catonis, et Luculli: ac quidem Luculli tutelæ meminit libro III. de finibus. BOSIUS.

Ad rem pertinet] Ut solutio non urgeatur: cum is tutor non adsit, qui eam pecuniam mutuam sumpserat in Asia. IDEM.

Quod reliquos coheredes] Bene fecisti, quod colloquutus es cum reliquis coheredibus Herennianis, et ab iis impetrasti ne prius solutionem urgerent, quam aut ego adessem, aut alii tutores Catonis. Cæterum edidi, ut erat in Decurtato et Tornæsiano, *plane bene fecisti*. Nam verbum, *fecisti*, a vulgatis abest. IDEM.

Objurgatoria] Qua Brutus eum objurgaverat, quod interitum filiæ mollius ferret, quam virum deceret. Itaque ipse Brutum solans in morte matris, *est*, inquit, *alienum tanto viro*, &c. Epist. ad Brutum. MANUTIUS.

Judiciali molestia] Judicatu. Poterat providere vel ne sors ejus educeretur, vel si esset educta, ut aliquis ejus loco judicaret. CORR.

Legatus] Vide supra, ep. 4.

Non in decem] Proficiscentibus ad bellum legati dabantur: postea, ut victa provincia componeretur, decem legati decernebantur. Fuit igitur Mummius in primis fratris legatis, in decem non fuit. MAN.

Εὐλογώτατον] Maxime probabile.

CICERO ATTICO SAL. 7

Εὔλογον] Consentaneum.

Istis] Quibus eam epistolam mitti non placet. Epist. 28. MAN.

Nisi placet] Nisi tu in hac opinione es, ut omnino scriptam epistolam ad Cæsarem mittamus. IDEM.

Et Lentulum cum Metella] Refertur ad illud, Sextius narrabat. IDEM.

8 CICERO ATTICO SAL.

Triplices] Id est, tabellas trium paginarum, in quibus ad te scripseram, cum responso remiseras. Videtur intelligi codicillos. J. F. GRON.

Cælianorum] Ut Fannianorum, XII. 7. De hoc Cælio, *Brut.* 26.

Παναιτίου περὶ προνοίας] *Panætii de Providentia* librum.

9 CICERO ATTICO SAL.

Ἐντονώτερον] *Cum majore significatione benevolentiæ.* Et subintelligi perspicuum est, illius sermone. MANUTIUS.

Φιλοστοργότερον] Amantius.

Quintum] Ciceronem puerum, cujus multa gravia scelera Dolabella narrabat, perpetrata ab eo in castris, dum comes Cæsaris esset contra liberos Cn. Pompeii bellum gerentis. VICTOR.

Ἄφατα] Non dicenda. Ἀλήγητα, non narranda.

Εὐκαίρως] Opportune.

Si quid de Bruto] Quid significat? Bruti novas nuptias. Nam, dimissa Claudia, Appii filia, de qua *Famil.* III. 4. Porciam duxit Catonis Uticensis filiam. MAN.

Laboro] Ut Porciam ducat, Catonis filiam. In quo fallitur Plutarchus, qui Brutum ait eam uxorem accepisse a Catone avunculo: cum hæc scripta sint post devictos in Hispania liberos Pompeii, id est, post obitum Catonis. IDEM.

Hæc res] Nuptiæ Catonis filiæ. Quos enim offendit Claudiæ divortio, eos sibi reconciliabit Porciæ conjugio. Erat enim Catonis nomen maxime populare, quod nemo unquam a libertate constantius stetisset, usque eo, ut sibi mortem consciscere maluerit, quam servire. IDEM.

10 CICERO ATTICO SAL.

De Marcello] M. Marcello interfecto. Vide *Fam.* IV. 12.

Παρὰ τὴν ἱστορίαν] *Præter historiam.* Scripserat Atticus Ciceroni, ut se diligentissime custodiret, præsertim reliquum consularem. Hoc, inquit, est *præter historiam;* contra veritatem. Quid enim? Ser. Sulpicius non et ipse consularis? *Tu præsertim*, qui errare non soles in historia. MAN.

Hoc] Consularem esse jam parum refert, nec fructum ullum affert, aut dignitatem, uno Cæsare tenente omnia. GRON.

Cum illis] Qui mortui sunt. COR.

Ista nescio quæ] Philosophica. ID.

Κοινότερα] *Communiora*, et *ad rempublicam administrandam magis accommodata.* Subaudi, mittenda. Puto, inquit, quemadmodum tu scribis, librum aliquem ad Dolabellam nobis esse mittendum, qui contineat non τὰ φιλοσοφικά, sed potius κοινότερα quædam, et πολιτικώτερα. Quod ejus generis scripta magis viderentur Dolabellæ convenire, qui non in studiis doctrinarum, sed in republica, et in communi quodam litterarum genere versatus esset. MAN.

Si quid] Supple, *egerit:* quod Lamb. et Bosius addiderunt: abesse tamen a Mss. testantur Victorius et Grævius.

Sermunculum] Eorum, qui divortium Claudiæ reprehendebant. MAN.

Causam sustinet] Αἰτίαν ἐπέχει, id est, nonne in eum furiosum omne crimen verti debet? Ad verbum enim transtulit, quod Græci αἰτίαν ἐπέχειν, et αἰτίαν ἔχειν dicunt, hoc est, suspectum esse, et crimine premi. Gaudet enim Cicero Græca quam maxime assequi, præsertim cum apud doctos et liberius loquitur. Et esse κατὰ λέξιν videri potest δίκην ἐπέχειν, quod Cicero causam sustinere dixit. BUDÆUS.

Constantius] Negantem se daturum: ex eo Magium in iram, et amentiam prolapsum, illum occidisse. Hoc Cicero, conjecturam secutus, opinabatur. MAN.

Οὐ ταυτὸν εἶδος] Supplendum ex Euripidis Ione, φαίνεται, &c. *Non eadem facies apparet, cum res procul sunt, et cum prope cernuntur.* Hæc verba prorsus ad initium sequentis epistolæ pertinent, non ad finem istius. Nihil hoc certius, nihil verius. CAS.

CICERO ATTICO SAL. 11

Facile] Longius abesse a te. Nam hæc scripsit Arpini, quo se ex Tusculano contulerat. MAN.

Tusculani] Sui, quo, me quotidie volens videre, et ob id ad me veniens, frui non poterat. IDEM.

Servilia] M. Bruti mater. IDEM.

Quid] De divortio, et nuptiis. ID.

Quando obviam] Cæsari sit iturus. IDEM.

Convenies] Ep. 2. *Pisonem sicubi de auro.* MAN.

CICERO ATTICO SAL. 12

Vendidisti] Metaphora sumpta de iis, qui, quod vendere cupiunt, prius laudant, quo libentius ematur. Vendidisti, inquit, præclare oratiunculam meam pro Q. Ligario: hoc est, ita meam orationem laudasti, ut alii, tuam auctoritatem, tuumque judicium secuti, eam probare coeperint. MANUT.

Φιλολογώτερα] Eruditiora.

Προσφώνησιν] Libri destinationem, *dedicationem*, ut nunc loquimur, expressit Græco verbo, quod Latino non potuit. MAN.

Καλλιπίδης] Callipides fuit aliquis in stadio cursor; vide Græci. Anthol. tit. εἰς ἀγωνιστὰς lib. II. CAS.

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λάϊον] *Eadem mensura et cumulatiore.* Hesiodus.

Αἴκε δύναι] *Si modo possis.*

Περὶ τελῶν σύνταξιν] *De finibus* bonorum et malorum, *opus.*

Ἀκαδημικὴν] Supple σύνταξιν. *Academicam* commentationem, seu libros duos, quorum prior *Catulus*, posterior *Lucullus* dicebatur.

Ἀντιόχεια] Hoc est, sententiam Antiochi de Academia complectuntur.

Rem ad me] Coheredum omnium sententia magistrum auctionis me esse constitutum. MAN.

Dies] Quo in auctione venibunt. MANUT.

CICERO ATTICO SAL. 13

Illum velle] Varronem velle, ut ego eum meis ornem scriptis. MAN.

Ζηλοτυπεῖσθαι] Invideri.

Exierunt] Effecti sunt. J. F. GRO.

Φιλαυτία] Amor sui ipsius.

Ἀποῤῥῶ] Dubito.

Αἰδέομαι] Vide lib. II. ep. 5.

Μέμψιν] Reprehensionem.

CICERO ATTICO SAL. 16

Σύνταξιν] Commentationem.

Παρὰ τὸ πρέπον] Præter decorum.

Ἀπαιδευσία] Ignorantia.

Ἀτριψία] Usus nullus.

Ἀντιόχεια] Vide supra, ep. 12.

Ad Nonas] Ero in Tusculano. COR.

CICERO ATTICO SAL. 18

Vides] Nunc, cum longe absimus.

Πολυγραφώτατος] *Multa scribens.*

Ζηλοτυπεῖν] *Invidere.*

Ζηλοτυπεῖ] *Invidet.*

19 CICERO ATTICO SAL.

Ἀκίνδυνα] Non periculosa.

Ligurianam] De qua supra, ep. 12.

Φιλόνδοξος] *Ambitiosus, illustrium virorum amator.* Scripserat Atticus, non semper Ciceroni quærendos esse Catulos, et Lucullos, Africanos, et Lælios, aut hujusmodi viros, quibus sermonem tribueret in suis libris; ne nimis ambitiosus in claros viros videretur; sed etiam dandum esse aliquid iis, qui minus illustres essent; proptereaque de Varrone cogitandum. Respondet: Academicas quæstiones ad Varronem non ideo transtuli, ne viderer φιλόνδοξος, (nam ista causa me non moveret: si quidem idcirco ego Varrone minus cogitabam, non quod essem φιλόνδοξος, verum quia constituebam, eorum, qui viverent, neminem in dialogos includere) sed quia scribis, et desiderare illum, et magni æstimare. MAN.

Ἀκαταλυψίαν] Opinionem eorum, qui nihil comprehendi posse dicunt.

Κωφὸν πρόσωπον] Muta persona.

Περὶ τελῶν] *De finibus*, supple, *bonorum et malorum.*

Περιπατητικὰ] *Peripatetica*, Peripateticorum philosophorum partes.

Ἀζηλοτύπητον] Sine invidia.

Λογικώτερα] Eruditiora.

Ἐρμαῖον] Inseratum lucrum.

Easque partes] Pendent e superioribus, *aptius ad eas partes.* CORRAD. forte legendum: *easque partes sumpsi, ut non sim consecutus.* LAMB. Legendum, ut est in manuscriptis nostris, *measque partes.* Nihil, inquit, aptius fuit ad eas partes, quas tueor, nempe Philonis, quam ut inducerem Varronem, qui Antiochi sententiam defenderet, ut melius cuique persuaderetur, potissimumque ipsi Varroni, id me consequi noluisse, ut superior mea sententia videretur. BOS.

Πιθανὰ] Probabilia.

20 CICERO ATTICO SAL.

Consolatorias] In Tulliolæ morte. Ep. 22. MAN.

Augenda] Infra, epist. 33. et 35.

De uxore] Monuerat Atticus Ciceronem, ut orationi, quam habuerat, pro Q. Ligario, quædam adderet de uxore Tuberonis et de privigna. Ei Cicero nunc respondet, aitque sibi, ut id addat, integrum non esse, cum oratio illa pervulgata sit. BOS.

Φιλαίτιος] Querulus.

Theatrum] Habuisti: quod, tanquam in theatro, spectare posses cum voluptate. Quid autem spectare? Rixam scilicet inter uxorem Tuberonis, et privignam. MAN. Id est, locum et occasionem commodam habuisti exerendæ et explicandæ virtutis aut facundiæ tuæ. Est novum caput epistolæ nihil commune habens cum superioribus. J. F. GRON.

De fama nihil laboro] Quid homines de me loquantur, et quam carpant meam sive infirmitatem, sive desidiam, susque deque habeo. IDEM.

Tunc] Alia quadam epistola, stulte scripseram, nihil esse melius, quam laborare de fama.

Atque hoc] Subintelligitur, *curandum.* Malim autem, *quemquam*, pro, *quemque.* MAN.

Φιλοσόφως] Philosophice.

Hæc] Libros de philosophia tractare? Nam hoc tempore philosophiam Cicero Latinis litteris explicabat. ID.

Δεδῆχθαι] *Morsum esse, ægre tulisse.* Videtur fuisse qui dixerit turpe fore Ciceroni, si pro amico in foro periclitante non contenderet, et causam ejus ageret. J. F. GRON.

In toto] *In toto* scilicet hoc negotio, ut ei, cui volebant homines Tullium patrocinari, sim advocatus, etsi non sim patronus, et loquar. IDEM.

Tenere] Sensus est, quasi vero id mihi curæ sit ut in foro dominer, et primus oratorum esse videar. Sic *forum tenere* dixit in Bruto 27. IDEM.

μὴ γὰρ αὐτοῖς] *Neque enim illis*, supple, nunc delector. IDEM.

Tam domestica] Quæ passus sum a fratre et filio ejus, ab uxore Terentia, in morte filiæ. IDEM.

Me voluisse] Jam olim scilicet excellere in foro, et jam ipsum morari vetera vota, et memetipsum destituere. IDEM.

Non licet scilicet sententiam suam] Scilicet mutare; et olim quidem ita sensisset, nunc vero aliter. IDEM.

Tum] Cum quasi habitarem in foro, assiduam operam amicis darem, eorum me non pœnitet. IDEM.

Pulchre possum] Possum actionibus abstinere causarum, quando aliter scilicet tempus fert. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 21

Simul ac] Simul ac scripserit ad me Dolabella quid egerit cum Cæsare de Torquati re, continuo perscribam. MAN.

Inhibere *illud tuum*] Qui putas ἐπέχειν reddi Latine posse per verbum *inhibere*. CORR. De hoc toto loco multis disputat J. F. Gronovius lib. IV. *Observ.* cap. 26.

Ab ἐποχῆς] Ab assensionis retentione. Inhibitio, inquit, non idem est, quod retentio. Nam retinere, illud est, quod aurigæ faciunt, equorum cursum adductis habenis sistentes. Inhibere autem, non cum remiges navem sistunt, sed cum, alio modo remigantes, eam convertunt ad puppim. MAN.

In libro] Acad. Quæst. sed primæ editionis. Alii librum de Oratore, (I. 33.) significari volunt. CORR.

Lucilius] Plerique, *Lucullus*.

De rumore] Quem Atticus scripserat de Cicerone non esse bonum, quod urbem et forum fastidiret fugeretque. GRON.

De Pollione] Qui erat cum Cæsare in Hispania; sive de eo, quod Pollio ad Ciceronem scripserat de Quinto filio, lib. XII. ep. 38. sive Pollioni aliquid accidisse adversi. IDEM.

Edere] Libros a me scriptos.

Αἴγοισιν Ἑρμόδωρος] Supple, ἐμπορεύεται: *verbis Hermodorus mercatur*. proverb.

Προσφωῶ] Librum *dico*.

Ἀδιόρθωτα] Non emendata.

Ἔωλα] Obsoleta.

Περὶ μικρὰ σπουδάζειν] In parvis rebus multum studii ponere.

Εὐκόλως] Placide.

Cogitatione] Cuinam in matrimonio Attica collocetur, cum fere jam sit nubilis. MAN.

Proxime] Prope Attici ædes. Edidit Lamb. *habitat*. Bosius, *accedet*.

Εὐγενέστερος] *Nobilior*: quod ad genus attinet, propter maternos affines. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 22

Ἀσμενέστατα] Libentissime.

Τὰ κατὰ μέρος] Particularia, singula quæque particulatim.

Attributos] Debitores a me tibi assignatos quod flagitas, ut pecuniam numerent, qua ad fani ædificationem uti cogito, valde bene facis. *Attribuere*, et *appellare*, verba ad pecuniæ solutionem exactionemque pertinent. Unde *attributi*, *attributio nominum*, et *attributa pecunia*. POPMA.

Valde probe] Facis. CORR.

De prædio aviæ] De prædio, quod ad te hereditate pervenerat aviæ tuæ morte. Epist. 2. lib. I. MAN.

Perodiosum] Quod Bruto est domesticarum tricarum, sane quam molestum est: sed hæc eveniunt quotidie, et vix possunt vitari. J. F. GRON.

Mulieres] In mulieribus autem (quæ sine dubio juxta propinquæ suis rixis et intemperiis eum distrahebant) mitiorem animum desidero, quæ, cum utrique aliarum rerum constet pudicitia et boni mores, altera alteram tolerare non possit, ut alterius facta

dictaque omnia secus interpretetur. IDEM.

Tullium scribam] Hic est M. Tullius cognomento Laurea, de quo in epistola ad Rufum, et Plinius. MAN.

Nomine voti] Ad fanum, quod filiæ voverat. Epist. 18. et alibi. IDEM.

Dixi, ubi] Dixi, apud eam me pecuniæ nescio quid habere. IDEM.

Lucum hominibus] Ait se non probare ut consecratio Tulliæ fiat in luco, quemadmodum suadebat Atticus, quod in luco sit solitudo; hominum autem consecratio egeat celebritate. Nam quod ad deos attinet, ii ita moti sunt, ut ad eos colendos in desertissima quæque loca frequentissimi homines conveniant. Idcirco nihil eis opus est loci celebritate. Contra homines celebri loco consecrari debent, ut eorum nomen vulgo innotescat. Bos.

Εὐλογίαν] Quod probetur.

Qui omnia] Ad te refero. MAN.

Adero] In Tusculano. IDEM.

Sin quid] Sin quid te Romæ detinebit, multa enim possunt. IDEM.

Sine te] Harum rerum perito.

23 CICERO ATTICO SAL.

Affecti] Ego reipublicæ et filiæ interitu: ille reipublicæ ruina, et nescio quo mulierum odio. Ep. sup. COR.

Σύμβίωσις] Convictus.

Detexti] Valet idem, quod absoluti, et confecti. Tralatio sumpta est a tela. LAMB. Vulgo *defecti*. Forte *descripti*. MAN.

Dubitasse] Num ad Varronem mitterentur. Epist. 22. IDEM.

Retentione] Ut partem scilicet de solvenda pecunia non solvant. Poterant enim solvere æstimatione ex lege Cæsaris, et deducto summæ, quod in usuras solutum erat, sic ut quarta pars crediti periret. Suet. Jul. c. 42. J. F. GRON.

Istos] Homines tam attentos et lucri nullius negligentes. IDEM.

Εὐαγώγως] Qua commodissima ratione poteris.

Quam habere qui utar] Hoc est, habere me pecuniam qua utar in sumptus honestos. Sic et superius loquitur II. ep. 11. Sed videtur non posse præcedere, quod id doleat. Ideoque vel addendum est lætor, sive gaudeo, inter *quam* et *habere*, vel tollendum τὸ *habere*, ut intelligatur *non habere* ex præcedenti. Et sensus tum esset, non ita me afficeret me non habere in sumptum, quam afficit me non habere bonum heredem. GRON.

Cum illo Scæva] Cassio Scæva Cæsariano, acerrimo Cæsaris defensore, cum quo non est contendendum, sed moderate agendum. Ep. 10. Trebatium hoc cognomine designari censent alii, de quo lib. IX. ep. 15. POP.

De die] De retentione recusandum nobis non est: de die, quam illis ad solvendum permitti velimus, videndum: neque id ipsum tamen vehementer est agendum. Confici enim prorsus volo; si non licebit, qua die volumus; ea, qua licebit. MAN.

24 CICERO ATTICO SAL.

Διφθερίαι] *Libri*, sic dicti, quod membranis, et pellibus contegerentur.

Αἰδίομαι Τρῶας] Vide II. 5.

In alteram aurem] Dormio. Securi animi sum de Academicis; quando tu hoc suscipis, fore ut Varroni placeant. MAN.

25 CICERO ATTICO SAL.

Retentione] Supra, ep. 23.

Illam] In Tusculanum exiturum. MANUTIUS.

Ita volui] Sed non videor fortasse ita scripsisse, quia obscure scripsi. CORRADUS.

Ἀνωφίστιος] Obscurior.

Nec enim ad tabulam] Brutum cupiebam Idibus esse Romæ, non ut auctioni interesset, sed ut ad obsignandum testamentum adhibere possem. MAN.

Ad testamentum] Veteres facto testamento obsignatores ex lege adhibebant: adhibebant autem amicos fere, aut homines auctoritate præstantes: quo magis ratum haberetur id, quod annulis clarorum virorum esset obsignatum. Vide ep. 2. lib. VII. IDEM.

Δεινὸς] Vehemens vir, et qui vel insontem accusare audeat. *Iliad.* λ. 653.

Si quando] Nunc enim te Alexionis epistolæ occupatum habent, quas te nolo abjicere, tuis de rebus ex Epiro scriptas. MAN.

Macrocolla] Vide Plinium, XIII. 12. ubi Harduinus: chartæ, inquit, olim inter se jungebantur, et glutino compingebantur. Majore modulo compaginatam chartam μακρόκολλα vocabant. Hæ *chartæ majores* apud Suetonium, in Augusto; et apud Martialem, I. 45.

Antiochius] Probat Antiochi partes, quas Varro defendit in Academicis: ut eas a Varrone ad ipsum transferre non absurde possimus. MAN.

Volaticam] Quasi volarit a Catulo, Lucullo, et Hortensio ad Catonem, et Brutum primo, deinde ab his ad Varronem, ep. 15. hujus libri, et nunc rursus ad Brut. volare cogitet. COR.

Sui similem] Non consistentem, et nihil affirmantem. IDEM.

Epistola] Quæ legitur Fam. IX. 8.

Ἔργον] Opus.

Περιοχὰς] Comprehensiones, complexiones verborum.

CICERO ATTICO SAL. 26

Virgilii] Virgilius unus erat ex coheredibus Scapulanis, qui fortasse Attico dixerat, se suam partem Scapulanorum hortorum Ciceroni concessurum: ut ei locus esset, si fortasse coheredes non in auctione hortos vendere, sed inter se liceri cogitarent. Vide lib. II. ep. 37. et 42. Quo in loco debuit hæc epistola collocari. MAN.

Primum; proximum] Scapulæ hortos primum cupio; secundum eos, Clodiæ. Vide XII. 40. 41. 43. ID.

Turbem] Scilicet rationes, vel *conturbem*, hoc est decoquam: ne vel impenso, et insano pretio emam Drusianos, adeo ut mihi decoquendum sit. J. F. GRON.

Tu litteras conficies] Dicit hoc, *tu ad me velim sæpe scribas*. MAN. Vel, quibus videbitur conscribe meo nomine, ut ep. 5. lib. XI. COR.

Romam] Venero: nam ipse epistolam mecum afferam. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 27

Isti] Balbus, Oppius, &c.

Κολακεία] *Assentatio*. Hactenus fuerat in vulgatis omnibus κολακία: quod cur retineamus, nemo dixerit.

Ἐπίτευγμα] Prosper successus.

Ἀπότευγμα] Erratum, offensio.

Παρακινδυνεύειν] Se temere periculo objicere.

Μείλιγμα] *Lenimentum*. Ne putet me ob eam causam hanc sibi epistolam misisse, ut hoc quasi munere eum placarem, alienatum eo libro, quem scripsi de laudibus Catonis. MAN.

Σπουδὴ] Studium.

In illos] In calumniatores, qui apud Cæsarem sunt, inter quos Q. Cicero sororis tuæ filius. POP.

Faberio] Vide ep. 29. lib. XII.

CICERO ATTICO SAL. 28

Qui esse debeam] Constans, vere philosophus, non adulator. CORR.

Simile simulacri] Vult ostendere; quemadmodum e quercu simulacrum

facere difficile sit, duriore materia, quam ut circumcidi, aut expoliri possit; ideoque potius simulacri quiddam simile, quam simulacrum efficiatur; sic se, cum ad Cæsarem scriberet, argumento admodum angusto, (neque enim, quod et ipsi honestum esset, et Cæsari gratum, scribere licebat; itaque difficili in loco versabatur, ut quasi e quercu videretur exsculpere) perfectum opus non potuisse facere, sed fecisse nescio quid, quod operis tamen simile videretur. MAN.

Hunc de pompa] Dio lib. XLIII. *Decreverunt, ut eburnea Cæsaris statua, et currus etiam solidus, quo die cursus equorum in circo spectantur, inter deorum imagines in pompa gestaretur; et ut alia præterea statua in Quirini templo poneretur, cum hac inscriptione, Deo invicto.* Ideoque eum appellat Cicero *Quirini contuberniale*: ut supra XII. 44. IDEM.

Πρόβλημα Ἀρχιμήδειον] XII. 4.

29 CICERO ATTICO SAL.

Chrysippo] Architecto. *Fam.* VII. 14.

Ἀφίδρυμα] Sacellum, fanum.

Τὸν τύφον] Insolenti et vanæ ambitioni meæ, per deos, indulge.

Non esse] Futurus. CORR.

Pateretur] Nescio quid fieri, quod nummis redimere posset, si nummos haberet. J. F. GRON.

Causam] Cur non veneris. Causam autem, quæ te moretur, hanc puto fore, ut pecuniam exigas a Faberio. MANUTIUS.

30 CICERO ATTICO SAL.

Misissem] Scilicet nisi tu illam, quæ ad te data erat, ante misisses ad me, ut altera, quam mihi scripsit tanquam ejusdem argumenti easdemque querelas complectente carere possis. GRÆ.

Illam alteram] Sensus est. Nam quæ præterea sunt in epistola ad me missa, de fortibus scilicet ejus factis, et pugnis, ea scito esse eadem, quæ ad te scripsit. J. F. GRON.

Ab ea] Post eam huc venies.

Negat] Venturum. CORR.

A te colendus est] Faberius ut Cæsarianus, ut solvat libentius. IDEM.

Κολακείας] *Assentationes*, τὸ *non* dele, sensus enim hic est. Nam sic assentari licet, nempe ut a debitore potente pecuniam recipiamus. J. F. GRONOV.

Decem legati] Supra, ep. 4.

Libonis] De quo in Bruto, cap. 23.

Non sane quadrat] Quoniam sic annis XIV. ante, quam prætor est factus, legatus esse potuisset. CORR.

Πολιτικὴν σύλλογον] *Conventum et sermonem de republica.* Cicero fingere volebat disputationem illam, quam instituebat de republica ordinanda, habitam fuisse Olympiæ. Quo exemplo fortasse Dicæarchus Ὀλυμπικὴν scripserat. Fertur enim librum hoc titulo edidisse. BOS.

31 CICERO ATTICO SAL.

Quoniam etiamdum abes] Nondum in viam te dedisti. MAN. Mallem: *quoniam diu habes.* MURET.

Καταβάσεως] Hoc est, Dicæarchi librum *de descensu* in antrum Trophonii.

Canum] Q. Gellius Canus, de quo Nepos in Attici vita cap. 10.

Pudet me patris] Ita Vict. Man. Lamb. Quod habent Grut. et Grævius, *putet me patris*, nihili est. Illud autem, *O gulam insulsam!* dictum intelligunt de Othone, qui tantummodo ut bibacitatis haberet domicilium, hortos emere illos volebat, quos alium honestiorem in usum appetebat Cicero. Ego de Q. filio interpretor. Nam et ille aliquid tunc temporis commune habuit cum Cano, ut mox dicetur epist. 41. *Pudet me patris*, hoc est, Q. patris. Quod si facias cum Mongalto, qui de M. filio inter-

pretatur, legendum erit: *pudet-ne patris?* Athenis enim, ut supra dictum est, strenuum agebat M. filius ganeonem. Ad eum litteras dederat Atticus severas ac temperatas, quibus responderat adolescens parum decenter. Hinc illa indignatio: O insulsum helluonem! Eumne ergo pudet, quod me patrem habeat? adeo studet mei esse dissimilis. OLIVET.

CICERO ATTICO SAL. 32

Περὶ ψυχῆς] *De animo:* quem quidem Dicæarchus ipse vult efficere esse mortalem. Tusc. I. 10. 18. 31.

Utrosque] Muretus, *utique.*

Καταζάσεως] Supra, ep. 31.

Τριπολιτικὸν] Scripsit Dicæarchus librum, cui titulus, Τριπολιτικὸς, ex quo quædam adducit Athenæus, lib. IV. VICT.

Torquatus] Liber I. *de Finibus*, in quo Torquatus disputat.

Catulum, et Lucullum] Academicos libros, quos primum scripserat: quorum alterum, *Catulus*, alterum, *Lucullus*, inscripserat. Vide illud ep. 12. MAN.

Eas litteras] Ea procemia. Quandoque enim litteræ pro scriptis ponuntur. IDEM.

Διὰ σημείων] *Per notas.* Extat de notis Romanorum veterum liber Tironis et Senecæ nomen præ se ferens, editus a Jano Grutero, et magno inscriptionum corpori subjectus. GRÆ.

In Libonis] Supple, annali.

Sciebam] Lege, *nesciebam.* MUR.

Σύλλογον] Conventum.

Πομπεύσαι καὶ τοῖς προσώποις] Ex personarum dignitate quasi pompam agere.

CICERO ATTICO SAL. 33

Professionem relatam] Quovis lustro, cum agebatur census populi Romani, quilibet civium profitebatur, quantum in bonis haberet. Condito lustro, si quid accedebat ad possessiones, id quoque publicas in tabulas apud prætorem referri oportebat. Prior illa professio dici possit *censualis;* hæc posterior, *quotidiana.* De censuali hic agi plerique volunt interpretes: ego de altera: quemadmodum *Fam.* XVI. 23. Actum enim esse censum a Cæsare non vidi usquam; neque illi demonstrant. Tum, cur hic appellatur Faberius, nisi quia ejus de negotio agitur? MONG.

Librarium] Eum, qui cujuslibet professionem in tabulas publicas referebat. MAN.

Δυσωπία] *Verecundia.* C. Virgilius in Africa adversus Cæsarem militarat, et Thapso præsidio fuerat, ut auctor belli Africani tradit cap. 78. 79. 86. Videtur post victoriam Cæsaris evasisse aliquo, et latitasse, neque enim ibi ejus mentio fit vel interfecti, vel dediti. Erat autem is Virgilius in Scapulanis heredibus. Fortasse pro ejus parte confiscata interveniebant procuratores Cæsaris. Dicit igitur Cicero; non inani verecundia absterreor de Virgilii parte emenda. Accedit quod hic Virgilius erga Ciceronem exulem parum amice se gesserat, ut patet ex orat. pro Plancio, cap. 40. J. F. GRON.

Ut Cælius] Verebatur Cicero, ne forte, quemadmodum C. Cælius Caldus (de quo supra, X. 12.) in Italia Marianarum partium reliquias collegerat, ita hic Virgilius in Africa novas Pompeianis faces subjiceret, instauratoque bello, viam sibi ad honestiores pacis conditiones muniret. Tunc enim exigere potuisset, sua sibi prædia ut redderentur ipsa, non modo pretium, quo venierant, coactusque esset Cicero eam restituere partem hortorum, quæ ad Virgilium e Scapulana hereditate pervenerat. MONG.

Destinat] Statuit hortos emere. MANUT.

Etsi nihil scripsit] Cæsar in lege,

vel Balbus ad me: etsi videri potest Otho de hortis aliquid, sed de æstimatione nihil scripsisse. CORR.

Καταβάσεις] Supra, ep. 31.

Dederis] Cui videbitur ex tuis servis, ut quærat de decem L. Mummii legatis in eo libro, &c. MAN.

Εὔλογον] *Probabile.*

Antiocho] Servo tuo litterato. MANUTIUS.

Tuum] Feci, inquit, quod memini te solere; qui sic interdum ad cœnam invitas, ut penulam tamen non scindas. MAN. Κατ' ἔλλειψιν dixit *tuum*, cum morem, aut institutum tacite intelligeret. Sic Terentius, *pol Crito antiquum obtines.* BOS.

Duci] *Perduci.* BOS. *Baluzianus.*

Ad tabulam] Iturus eram, ut emerem Scapulanos hortos, *si recte,* id est æquo pretio possem. Tabula proponebatur inscriptis nominibus earum rerum, de quibus auctio futura erat. MANUT.

In via] Id est, dum ad me accedis, in itinere nimium laborare et defatigari. VICT.

Idibus Maii] Manifestum mendum. Nec dubito, quin legendum sit, *Idibus Julii:* vel, *Idibus*, mense subaudito. Nam de Maio absurdum est intelligi: cum e Tusculano profectus esset Arpinum VIII. Kal. Quint. et recurrere Nonis Brinnianæ auctionis causa cogitaret, Nonis inquam Quintilis. MAN.

34 CICERO ATTICO SAL.

Cum Publilio] Fratre Publiliæ uxoris, cui restitutio dotis debebatur post divortium; quod non arbitrabatur populum improbaturum, cum vulgo jam ante jactatum fuisset, et quasi fabula decantatum, hoc futurum. POPMA.

Id populus curat scilicet] Terent. And. sc. 2. act. 1. CORR.

35 CICERO ATTICO SAL.

Gentilis] Aliquis eodem nomine quo tu es, hoc est, Atticus, vel Atheniensis artifex geometres, a Cæsare adhibitus designando spatio proferendi pomœrii. Proprie gentilis est, qui habet idem nomen familiæ, et est ejusdem gentis, sed postea qui habet idem cognomen. Cic. Tusc. I. 16. J. F. GRONOV.

Simul ac venerit] Subaudi, daturum quatuor Academicos. MANUTIUS.

37 CICERO ATTICO SAL.

De Xenonis nomine] Pecuniam quam Xeno tibi debet, et sestertia quadraginta quæ in Epiro habes in nominibus, bene fecisti quod Ciceroni filio Athenis curasti. Ep. 16. lib. XIV. POPMA.

Ἀξιόπιστος] Fide dignum.

Φοβερὸν ἦν] Formidabile erat.

Regem] Cæsarem, invidiose. CORR.

Vexari] Filium a me male et indigne haberi, sic ut hoc quoque sit inter crimina Q. filii in M. patrem. J. F. GRON.

Laudationem] Mortuos Romani veteres in funere laudabant, præsertim ortos illustri familia. Laudabant autem non modo propinqui, sed et amicitia conjuncti. Cicero Porciam laudavit, Catonis sororem, laudatione non habita, sed scripta. MAN.

Si modo mittetur] Ut nunc est, non adhibita lima ista, quam tu desideras. J. F. GRON. Immo adhibita illa. Vide infra ep. 48. quæ hanc præcessit. MONG.

Ἀνεμοφόρητα] Digna, quæ ventis ferantur, inania, levia.

Auctione] Cluvianorum bonorum. Vide infra, lib. XVI. ep. 5. MANUTIUS.

Omnia] Cluviana bona, quæ in auctione venibant. IDEM.

Romæ] Proscribi auctionem Romæ, non Puteolis. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 38

Οὐκ ἐνίσχησεν] Non animadvertit, non satis cogitanter scripsit.

Pote] Ita Victorius et Bosius. Sed habent *potest esse*, Man. et Lamb.

Ἡ σκολιᾶς] Vide notam superiorem, et infra ep. 39.

Δίχα μοι νόος] *Ambigit animus ad verum dicendum.* Pind. ibid.

Opprimar] Q. filii repentino adventu cum Cæsare ex Hispania. Epistola libri hujus 39. POPMA.

Cæsar] Asturam Cæsar cum venisset, apud Ciceronem cœnavit. Epist. 4. lib. XIV. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 39

Σκολιὰ] *Obliqua, simulationes.*

Hæreo] Totus in scribendo sum. Scribebat autem quæstiones Tusculanas. MAN.

Eadem] Adverbium est, significatque eadem via, ut ex Charisio alias docui. Tu, inquit, scribis me, cum Romam veniam, eadem via Brutum scilicet visurum. Sed nisi Romam ire decrevissem Quinti vitandi causa, occasio illa Brutum visendi me hinc non moveret. Brutus Cæsari tunc valde familiaris erat; idcirco eum videre Cicero nolebat. Bos.

Nec inde venit] Non inde venit, ubi sunt boni viri, qui, quod inimicum habeant Cæsarem, patria exulant. IDEM.

Φαῦρον πιρισσῶν, *et* Ἑλλάδος] Videntur his verbis duo libri Dicæarchi significari: sed manifeste, inquit Ernestus, corrupti sunt. Alii aliter emendant. Vide in primis Th. Reinesium, *Var. Lect.* III. 3.

CICERO ATTICO SAL. 40

Illum] Cæsarem. MAN.

Εὐαγγέλια] Vide II. 3. et 12.

Ubi eos] Ubi bonos viros inveniet, nisi forte ipse se suspendit, ut eos apud inferos visat? nam ejus scelere omnes boni perierunt. Bos.

Ut fultum est] Scilicet ejus imperium, milite, amicis, pecunia, &c. GRÆV.

Φιλοτίχημα] *Opus ingeniose, summoque studio elaboratum*, cujusmodi erant statuæ Ahalæ, et Bruti assertorum libertatis populi Romani, quas Atticus habebat in Parthenone. Ubi, inquit, est opus illud artificiosum, quod ipse vidi in Parthenone tuo, cum Brutus diceret se moveri et excitari ejus aspectu ad liberandam tyrannide rempublicam, exemplo gentilis sui L. Junii Bruti, et Servilii Ahalæ? BOSIUS. Intelligit stemma Bruti ab Attico compositum, in quo M. Brutus a L. Bruto, qui Tarquinium expulit, et Servilio Ahala, qui Spurium Mælium occidit, deducebatur quasi a duobus tyrannicidis. J. F. GRON.

In Parthenone] Parthenon dicebatur templum Minervæ in arce Athenarum, de quo vide Meursii Cecropiam cap. 14. Sed hic haud dubie est pars ædium Attici, aut prætorii alicujus, vel villæ lautioris. IDEM.

Sed quid faciat?] Quasi dicat, nihil. Neque enim possit. Itaque foro utendum est, cum nequeat, quod constituerat, efficere. Hic Brutum excusat. BOSIUS.

Sed ne is quidem] Verba sunt Attici ex ejus ad Ciceronem epistola repetita. IDEM.

Auctor] Hirtius potius, quam Cæsar. Nam is ad Cæsarem Quinto filio aditum aperuit; (ep. 20. lib. XI.) ut quæcunque flagitia Quintus committit, Cæsaris gratia fretus, Hirtio adscribi jure possint. MAN.

Ad meas] Rescripsit. Supple, *litteras*. CORR. Recte *ad me*, scilicet dedit Quintus filius. Vide sup. ep. 38. GRON.

Degustasse] Vellem Brutus aliquid degustasset de fabulis et fictis sermonibus, quos Q. filius de me et te habuit; certe illum non amaret. POPMA. Scribe: *degustasses*, scilicet tu patrue, Marce Cicero, vellem gustasses aliquid de suavitate sermonum, quos cum Bruto habui, dum una in Hispania sumus. GRON. Facit cum Gronovio Mongaltus: neque alteram tamen interpretationem prorsus repudiat.

Acronoma] Quod nomen, etsi proprium sit alicujus loci, videtur tamen ex eo fictum, quod summa pars eorum saxorum a pecore depasta esset. BOSIUS. P. Pithœus marginem notaverat ex ingenio, an ex vetere libro non liquet, legendum: *ad saxa Acherontia*. GRÆV.

Κεπφοῦμαι] Fluctuo, animo suspenso illuc impellor.

Posthac] Nihil illi dicam. CORR.

Τὰ ὅλα] Omnia.

41 CICERO ATTICO SAL.

Alterum mirabatur] Commodas ad matrem litteras misisse. MANUTIUS.

Σκολιᾶς] Vide supra, epist. 38. Jam locum hunc omnem sic putat Mongaltus esse intelligendum. Quia vero dicit Quintus frater, se jam minus esse iratum filio; lectis ego tuis litteris, quibus me a sinceritate revocas, dissimulata mente *significavi*, *me* quoque *non fore* iratum. Hoc *iratum* latet in verbo *relanguisse*. Cicero non vocem respexit, sed ejus vim. Ab eo genere loquendi non abhorret epistolaris familiaritas. OLIVET.

Cana] Significat filiam Gellii Cani, (cujus mentio supra, epist. 31.) de qua nuptui danda Q. Ciceroni filio nescio quid actum fuerat. BOS.

Necesse] Ut placeret ei. POPMA.

Nulla dubitatio] Quin placatos Quinto filio nos præbeamus. MAN.

Commeatus] Est permissio ac venia domo abeundi, aut peregre proficiscendi, aut, diutius, si profectus fueris domo, remanendi. Suet. Tib. 10. *Tunc autem honorum satietatem, ac requiem laborum prætendens commeatum petiit.* Hoc est, discedendi potestatem. Et cap. 12. *Centuriones a commeatu castra petentes.* A commeatu, est, elapso tempore quo illis, indultu imperatoris, castris licebat abesse. Hoc ipsum quoque voluit Cicero. Cras, inquit, ad te veniam, nisi mihi scripseris me nondum desiderari, licere mihi diutius abesse. Tuæ litteræ mihi commeatum facient, hoc est, longius manendi in agro potestatem. GRÆV.

42 CICERO ATTICO SAL.

Καὶ μάλα] *Et admodum tristis.*

Σὺ δὲ] *Tu vero quid cogitabundus?*

Diem meum] Natalem. Ep. 5. lib. VII.

Effandum] Augurale et religiosum verbum: nam *effata sunt augurum preces*, teste Servio. Ritum ex parte describit Varro lib. VI. JUNIUS.

Μίας κόρδου] Cum sint in commentariis multa, nihil est quod deligam. Itaque et lectorum parcam tempori, et honori interpretum. Ancipiti remedio, ut in morbo desperato, suspicabatur Franc. Odinus, magister meus, legi posse: *eatur*. Μίας ὁδοῦ *videbimus te igitur*. Sensu valde commodo, et aperto. Eamus ergo. Eadem via, eadem itione videbo te denique. Nam *igitur*, ut monet Donatus, non raro est *denique*. OLIVET.

CICERO ATTICO SAL. 43

Utar prorogatione diei] Abero diem a Lepido, vel potius a te prorogatum, ep. 34. hujus libri. vel certe propter ferias concessum, ep. 4. hujus libri. COR.

CICERO ATTICO SAL. 44

Pompa] Pompam intelligit Circensem, qua Cæsaris signum inter deorum signa gestatum est decreto senatus. Dio lib. XLIII. et Sueton. in Julio. MAN.

Vel de Cotta] Vel id, quod scribis de Cotta percrebescere. Percrebuerat enim, ut ait Suetonius in Julio, L. Cottam XV-virum sententiam dicturum proximo senatu, ut, quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur. Quæ causa conjuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Vide *Divin.* II. 54. IDEM.

Victoriæ] Quia prope ejus signum gestabatur signum Cæsaris, mali vicini. POPMA. Deorum autem signis plaudebatur. Nautæ Neptuno, milites Marti, amatores Veneri, totus populus plaudebat Victoriæ. Vide Ovid. III. Am. eleg. 2. GRÆV.

Sed pompam videret] Opinor hoc intelligi: Non videtur ad eum esse scribendum, qui jam colatur ut deus, cum in solemni pompa inter deorum statuas ejus quoque statua gestetur. Quidquid enim scripsero, fastidiet. In eandem sententiam scripsit ep. 18. *Quid tu*, inquit, *hunc de pompa Quirini contubernalem, his nostris moderatis epistolis lætaturum putas.* MAN.

Dare] Libros Academicos.

Probo] Quod ludos spectarit. ID.

Cottam] Librum Cottæ, qui, cum Cæsaris esset legatus, περὶ τῆς Ῥωμαίων πολιτείας Græca scripsit. *Athen.* lib. VII. IDEM.

Libonem] Ejus annales. IDEM.

Cascam] Cascæ librum, quamvis ea de re nihil scriptum viderimus. Illud quidem scimus, duos Servilios Cascas in Cæsarem postea conjurasse. Phil. 2. IDEM.

Μνημονικὸν] *Memoriæ peccatum.*

Pharnaci, &c.] Librariis tuis. MAN. Appellatur cap. 11. Neque enim Tullio morem librarii gesserunt. Vide Jac. Perizonii Animadv. Histor. c. 1.

CICERO ATTICO SAL. 45

Diochariæ] A Diochare scriptæ, Cæsaris liberto. Ep. 6. lib. XI. MANUTIUS.

Poteris] Scire. Sic epist. 34. hujus libri. CORR.

Torquati causa] Ut agam de ejus re cum Dolabella. Vide ep. 9. et 21. MAN.

Puteolos] Ut cretionem Cluvii Puteolani, (de quo *Fam.* XIII. 56.) et rationem testamenti cognoscerem. Vide supra, ep. 46. IDEM.

Ad tempus] Ut advenientem Cæsarem possim excipere. IDEM.

Nummos] A Cluvio relictos. ID.

Dividi] Coheredibus. IDEM.

Negligentiores] Qui nostram rem non agamus, alteri mandantes. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 46

Plane pollex] Nullas a Vestorio litteras attulit, ut cognoscere quidquam possem de cretione Cluvii. Itaque fuit *plane pollex, non index.* Jocus in ambiguitate nominis. Pollex enim etiam digitus in manu; quem index pone sequitur. MAN.

Sua vi] Sua facultate, quam vellet in curatione ludorum ostendere. COR. Sic etiam locutus est *Orat.* I. 49.

Philosophi . . . qui de sua vi, *ac sapientia unus omnia pene profitetur*, &c. ANONYMUS.

In curatione] Cupiebat enim Lepta sibi tradi curationem ludorum, quos Cæsar parabat ex Hispania revertens: utebaturque opera Ciceronis, qui cum Balbo et Oppio familiaribus Cæsaris conficeret, ut hoc negotium sibi committeretur. De quo agit etiam in epistola ad Leptam ipsum scripta. *Fam.* VI. 20. VICT.

Hoc primum] Supple, cognovi.

Confirmat] Cæsar, se venturum.

Ex eo] Id est, ex Balbo.

Liberam cretionem] Libera cretio est, cum heres habet potestatem cernendi vel per semetipsum, vel per alium, vel per epistolam. POPMA.

Arcendus] Est *arcere*, ut notat Festus, *continere, reprimere*. Prius, inquit, metuebam, ne Vestorius, ut est diligens, officiosus, meique studiosissimus, in hereditatis cretione præcipitaret nimium, et ante cerneret, quam mature considerasset omnia: contra nunc video, mittendum esse aliquem, qui ipsum excitet. MONG.

Pollex] Puteolos remittendus. MANUTIUS.

Cum Balbo] Hic interpunge: nam quod sequitur, *liberalius*, per se consistit: ut sit, liberalius respondit. IDEM.

De Cossinio] Mortuo. IDEM.

Superabit] Ex nummis hereditatis.

47 CICERO ATTICO SAL.

Abs te] Versum poetæ veteris trochaicum, quo Cicero hic per parodiam utitur, talem fuisse: *Posteaquam abs te Agamemno, ut venirem tetigit nuntius*, docet Gasp. Scioppius. GRÆ.

Nisi Torquatus esset] Cujus causa hic tenet. Ep. 44. MAN.

Abjeci] Faerno redundare videbatur *abjeci*: Grævio, *omisi*.

Rationes] Rationes sumptuum, quos fecimus Athenis in Marcum filium. Nolo enim illum primo anno egere, etiamsi prodigus sit, et assignata pecunia non sufficiat. Ep. 1. POPMA.

Ille] Vestorius, supra.

Magistrum] Sic etiam appellat eum in Fam. ep. 7. lib. IX. quia docebat Ciceronem, quonam modo se gereret adversus Cæsarem, et quibus maxime rebus posset illius animum recolligere. *Molestum:* quod apud Ciceronem frequentior erat, quam ille, otii cupidus, voluisset. MAN. Interpretor, magistrum cœnandi, qui me docebit quo cœnæ apparatu Cæsarem accipiam. In epistola ad Pætum: *Hirtium ego et Dolabellam dicendi discipulos habeo, cœnandi magistros.* POPMA. Facit cum Manutio Grævius; cum Popma Mongaltus.

Apud nos] Cœnes, ut ep. 2. lib. II. CORR.

Transigi] De dote reddenda. MAN.

48 CICERO ATTICO SAL.

Ex uncia] Est heres. CORRAD.

Nihil adhuc] Certi scio. IDEM.

Ἀλόγως] Sine ratione.

Sin minus, antequam] Sententia postulat ut legamus: *sin minus, non antequam necesse erit*. GRÆV.

49 CICERO ATTICO SAL.

Μίμψιν ἀναφέρει] *Accusationem intendit*. Vide Fam. VII. 24.

Habuit suum negotium Gallus] Hac de re ita laboravit, ut ipsius res si ageretur. Duxit suum negotium. Eadem figura usus est ep. 22. MANUTIUS.

De illo nostro] Q. fratris filium sic jam designavit antea. Hoc unum, inquit, tibi mando, ut *exquiras*, et

cognoscere omni modo satagas, quid sentiat dicatve de nostro illo juvene. A quo autem *exquiras?* A Tigellio, quicum acturus erat Atticus, ut apparet ex epistola, quæ hanc sequitur. MONGALTUS.

CICERO ATTICO SAL. 50

Mancipio dari] Vendi lege mancipii. *Pro mea parte:* nam etiam ad alios, quos heredes cum Cicerone Brinnius reliquerat, is fundus pertinebat. Ep. 13. hujus libri. MAN.

Silius] *Sallustius*, legendum videtur: cum proxime dixerit, *Sallustius igitur urgebitur:* vel utrobique, *Silius.*

CICERO ATTICO SAL. 51

Micillus] Bosius, approbante Grutero, reposuit *Hemicillus*, quod interpretatur *semiasinus*. Admittat, si quis vult, atque ex hac emendatione cæteras æstimet, quibus describendis abstineo. Cum igitur non haberem quos hic sequerer, volui a doctore meo Franc. Odino per litteras expiscari, quonam modo possem ex difficili loco emergere. Is, ubi *Micillus* est, putat Ciceronem scripsisse μικκύλος, *parvulus, humilis, demissus:* sententia facili sane, et aperta. Si ejus, inquit Cicero, epistolæ, quam dedi ad Cæsarem, tibi exemplum non misi, non ea feci causa, quam tu suspicaris; quod me puderet tui, nollemque a te videri sic ad Cæsaris abjectus pedes, et *ridicule* parvulus. Non enim summisi memet, neque ita scripsi ut inferior ad superiorem, sed omnino ut æqualis ad æqualem. Conjectura hæc, opinor, Criticis valde arridebit. OLIVET.

Πρὸς ἴσον ὅμοιόν-que] Ad æqualem similemque.

Ἀκολακεύτως] Citra assentationem.

Quintus cras] Quinti filius cras venturus est. CORRAD.

Romam] Se venturum. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 52

Gravem] Timebat Cicero, ne Cæsar, quem hospitio excepturus erat, sibi gravis et molestus hospes esset. Sed periculo facto, eum facilem agnovit. Idcirco ait, *O mihi hospitem tam gravem!* quasi dicat, quem mihi valde gravem fore putabam, is mihi minime molestus fuit. Itaque subjungit, ἀμεταμέλητον, quod eum *non pœniteret* hospitio illum accepisse. BOSIUS.

Sum commotus] Quia Cæsar postridie apud me cœnaturus erat. MANUTIUS.

Barba Cassius] Philip. XIII. COR.

Mamurra] Cum et Mamurram, et seipsum a Catullo versibus perstrictum intellexit, non est tamen perturbatus. Suet. IDEM. Vide Catulli Epigr. XXX.

Ἐμετικὸν] Hoc est, vomere volebat. Vide orat. pro Dejotaro, cap. 7.

Ἀδεῶς] Fidenter, copiose.

Sed bene cocto] Verba Lucilii poetæ, quæ adducuntur lib. II. de *Fin.* cap. 8.

Quæri] Pro, *quæris.* Postrema littera, ut carminis ratio constet, eliditur: cujusmodi multa apud veteres. MANUT,

Οἱ περὶ αὐτὸν] Qui in ejus comitatu.

Σπουδαῖον οὐδὲν] Serium nihil.

Φιλόλογα] Erudita.

Ἐπισταθμίαν] *Hospitii procurationem.* Habes, inquit, odiosom ἐπισταθμίαν, id est, quam ego initio, ut gravem, oderam et refugiebam; quæ tamen mihi, ut dixi, molesta non fuit. BOSIUS.

Hoc ex *Nicia*] Audivi. CORR.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER XIV.

1 CICERO ATTICO SAL.

Ad illum] Sine dubio Matium intelligit: quem aperte nominat duabus epistolis, quæ post proximam inferiorem leguntur. Et, si loca conferas inter se, Matium hic significari, non obscure videbis: quem quidem et Calvenam, et Madarum, ficto nomine, appellat ep. 5. et 9. MAN.

Nihil perditius] Aiebat, subintelligitur: ut sit sensus: republica nihil aiebet esse perditius, nihil desperatius; periisse omnia. IDEM.

Ille] Cæsar, interfectus Id. Mart.

De Sexto] Pompeio; eum in armis esse Ep. 4. et 13. POPMA.

Niceæ] Quo Cæsari obviam profectus videtur ep. 37. lib. XIII. Quæ civitas in Liguribus ponitur a Plin. lib. V. cap. 32. CORRAD.

Apud eum] Cum ad Cæsarem venissem, ut agerem cum eo de P. Sextio. MAN.

2 CICERO ATTICO SAL.

Theatrum, Publiumque] Hoc est, theatri plausum, et Publii mimi dicta. De Publio Macrobius, *Saturn.* lib. II. et Gellius, XVII. 14.

L. Cassio] Tribunus plebis C. Cassii frater, ejus, qui Cæsarem occiderat. MAN.

Madaro] Id est, Matio, qui erat calvus. Hoc autem Græcis μαδαρός. JUNIUS.

Putas] Alii, *putat.*

Processi] A Matio, ad quem diverteram, ulterius progressus sum: quanquam tantum in via procedere nequivi, quantum voluissem; nam ille me diutius suo sermone remoratus est. BOSIUS.

Facilem] Scribe, *tam facilem hominem.* MURET. Sed non est necesse.

Tibi ignosco] Si tam dulcem filiam tecum vis retinere. IDEM.

3 CICERO ATTICO SAL.

Structores nostri] Ii, quorum hic utor opera ad villam ædificandam. MANUT.

Παγκὰν] *Inanis terror.*

Corumbus Balbi] Subintelligé, servus. *Nullus adhuc:* non venerat. ID.

Ad obignandum] Testamenta. *Tu adhibitus:* a quibusdam Cæsarianis. *Non sine causa:* ut mihi indices. COR.

Nescio cur] Cum isti me heredem faciant, et hac re se mihi amicos esse ostendant, nescio, cur non animo quoque idem sentiant, et ita vere sint amici. Hoc, inquam, nos volunt putare. IDEM.

Διάθεσιν] *Animum, et quasi voluntatem.*

Ἐπιστημασίαν] Significationem.

4 CICERO ATTICO SAL.

Putas me Lanuvii] Novi habere. MANUT.

Cum Matius] Lib. IX. ep. 6. *Matius ad me venit, homo, ut mihi visus*

est, temperatus, et prudens; existimatus quidem est semper auctor otii. Dicit igitur: cum Matius, quem studiosum reipublicæ putabamus, is nunc inimicissimus otii sit; quid censes cæteros? IDEM.

Sextus] Sextus Pompeius.

Idus Martiæ consolantur] Quod in his interfectus sit tyrannus. COR.

Ἥρωες] *Heroes*, Brutus, Cassius, &c.

CICERO ATTICO SAL. 5

Ἠσίτησας] A cibo abstinuisti.

Calvena] Matius. *Suspectum:* quasi Cæsarianum, et reipublicæ, id est, libertati, non amicum. Cur autem signa bella dicit esse, quod Matius moleste ferret, se suspectum esse Bruto? quia, cum de Bruti gratia Matius laboraret, apparebat eum Cæsarianorum partibus diffidere, ut infirmis. MAN.

Cum signis] Hoc, quod ad sententiam spectat, minime necessarium videbatur: (quis nescit sua cuique legioni esse signa?) sed addidit, ut quasi jocaretur ambiguo signorum nomine. IDEM.

Idem] Rumor enim erat, legiones, quæ in Gallia fuerant præsidii causa, Romam venire, postulaturas, ut promissum sibi a Cæsare solveretur. ID.

Transportavit] In Græciam jussu Cæsaris expeditionem in Dacos, et inde in Parthos destinantis. IDEM.

Μνημόνικὸν] *Peccatum memoriæ.*

Ab aleatore] A M. Antonio, consule.

Φυρμὸς πολὺς] *Perturbatio magna.*

Conjuratio] In sepultura, et busto faciendo. CORR. Vide *Philipp.* I.

In latere] Nam agri Campani partem incolebant a Cæsare assignatam. Hos postea quingenis denariis Octavianus in suas partes traduxit. ep. 7. lib. XVI. MAN.

Εὐρίπιστα] *Mobilia*, qualis Euripus, et fortuna, quæ τύχη Εὔριπος proverbio dicitur. CORRAD. Leg. ἀνίλπιστα *omnia*. MURET.

Eos] Maxime Brutum, et Cassium.

Νεωτερισμοῦ] Rerum novarum.

CICERO ATTICO SAL. 6

Melius] Te rectius valere. MAN.

Susque deque] Supple, habeo. Id. est, non laboro. IDEM.

De Mario] Infra, ep. 8.

Pro re nata] Ut se res habent.

Fundum] Quem Cæsar ademptum Sextilio, qui Pompeianas partes secutus erat, Curtilio tradiderat. MANUTIUS.

Quos ille] Quos Cæsar designavit? Cæsar enim, contra Parthos profecturus, consules et tribunos plebis designavit in biennium. *Dio* lib. XLIII. MANUT.

Πολιτεύεσθαι] Remp. administrare.

Σόλοικον] Vitiosum, absurdum.

Τυραννοκτόνους] Tyrannicidæ.

De re] De nece Cæsaris. MAN.

Πεπολιτεύμεθα] Rempublicam gessimus.

Πολιτικώτερα] Ad reipublicæ administrationem magis pertinentia.

CICERO ATTICO SAL. 7

In Caieta] Alii, *Caietæ:* alii, in *Caietano.* Vide VIII. 3.

Nihil] De his rebus tu nihil ad me dedisti litterarum: nec mirum: nemo enim meorum Roma profectus est, cui dare posses. MAN.

Πεπινωμέναι] Elegantes.

Πῖνος] Nitor, elegantia dictionis.

CICERO ATTICO SAL. 8

In actis] Id est, in littoribus nostris. Cicero enim prædia habebat mari finitima, ut Pompeianum, et Cumanum. BOSIUS. Maluisset Muretus, *in agris esse nostris.*

Mario] Pseudomarium intelligit,

qui ab Antonio interfectus est. Bosius.

Doleo] Εἰρωνικῶς, quasi Pseudomarius nepos fuerit L. Crassi, quod pro certo habendum erat, si is γνήσιος C. Marii filius extitisset. Idem.

Antonium] Factum Antonii in tollendo isto Mario. *Philipp.* I. Corradus.

Scriptas] A. M. Lepido, Juniæ Bruti sororis marito, fratre L. Æmilii Pauli; ex Gallia transalpina, ubi cum exercitu erat. *Famil.* X. 34. Popma.

Nec mihi placebat] Cicero interpretabatur hoc fingere Lepidum, ut causam tumultuandi et secedendi a bonis haberet. J. F. Gron.

Reginæ] Cleopatræ, Ægypti reginæ: quam Cæsar amavit, filiumque natum appellare suo nomine passus est. Man.

Clodia] Ep. 37. lib. II. Corr.

Pelopem] Byzantinum, ad quem Cicero Græce scripsit. *Plut. in Cicer.* Tunc fortasse Byzantiorum negotia Romæ procurabat. Idem.

Baiana negotia] Hæc dicit per ironiam. Nulla ibi negotia: sed est civitas otiosorum. *Suet. Aug.* 98. J. F. Gronov.

Chorumque] Turbam quæ illic versatur voluptatis causa. Nam chorus proprie symphoniacorum, aut saltantium in sacris. Idem.

Videbare] Sententia hæc est. Te fastidio ciborum et propensione ad vomitum leviter tentatum abstinuisse propterea a negotiis, et corpori curando vacasse non ægre ferebam. Videbar enim mihi agnoscere in tuis litteris, te novo quodam impetu post receptas vires ad scribendum venisse. J. F. Gron.

Veruntamem] Ne nimis fidat. Id. Subaudi, scribito ad me. Man.

9 CICERO ATTICO SAL.

Multijuges] Hoc est, plures.

Cluviana] A Cluvio relicta, quæ erant in Puteolano. Corr.

Chrysippum] Architectum.

M. Curtius] De quo supra, XII. 49.

Cæcilius] Q. Cæcilium Bassum, qui Pompeium Magnum secutus fuerat, excitasse bellum in Syria, et a C. Antistio Vetere Apamêæ, circumsessum, tamen, Parthis auxiliantibus, maximeque Alchandonio Arabe, obsidione esse liberatum, scribit Dio, lib. XLVII. Man.

Dolabella et Nicias] Dolabellæ enim Syria provincia et Parthicum bellum erat decretum, ad quod Curtium Niciam grammaticum familiarem suum secum duxit epist. 26. lib. XIII. et 21. lib. XV. Popma.

Calvena] Matius: qui dixerat, omnia periisse, ep. 46. lib. XIII. Manutius.

10 CICERO ATTICO SAL.

Ita-ne vero] Hæc cum indignatione sunt scripta. Ideone, inquit, Brutus Cæsarem occidit, ut deinde Lanuvii esset? ut in urbe tuto esse non posset? ut Trebonius, &c. Man.

Vocari] Vocandum esse, vocari debere. Et est figura, quæ properationem significat: ut hoc loco: nam dixit, *illo ipso primo Capitolino die.* Brutus autem et Cassius magnam occasionem amiserunt, cum primo Capitolino die senatum in Capitolium non vocarunt. Itaque et infra ep. 12. et 14. reprehendit Cicero sessionem illam, id est, moram Capitolinam. *Studio vehementius incitari, totam suscipere rempublicam.* Idem.

Liberalia] Quo die factum est senatus-consultum de præmiis veteranorum, (*ep.* 14.) multaque alia in æde Telluris decreta. *Philipp.* I. Id.

Tebassos, Scævas, Frangones] Nomina veteranorum qui ex Cæsaris largitione Pompeianorum bona possidebant. *Cassium* quidem *Scævam* centurionem, insigni fortitudine vi-

rum, nominat Plutarchus in Cæsare, et Florus lib. IV. *Franganem* puto esse, quem Dio lib. XLVIII. C. Fuficium Frangonem vocat, cui regendam Africam cum Numidia Octavianus dedit. MAN.

Illa] Agros a Cæsare donatos. Cupiunt igitur omnia misceri. IDEM.

De Curtilio] Cum scripsi, indignum esse, quod Sextilii fundum Curtilius verbero possideret; significavi etiam de fundo Censorini, de Messalæ, de Planci, de Postumii; quorum fundos Cæsariani, a Cæsare donatos, possiderent. IDEM.

Messala] Contra veteres libros opinor legendum esse, *Mustela*. Nam neque mutatio magna fit; et inter Antonii sodales Mustelam, non Messalam invenio. *Phil.* II. 4. V. 6. ID.

Quod nunquam] Lege, *quod utinam accidisset*, et ista verba parenthesi include. J. F. GRON.

Ῥιζίσημον] Litem, concertationem. Subintellige, futuram constat. MAN.

Buthrotia mihi tua res] Buthrotii cum pecuniam imperatam non solverent, Cæsar eorum agrum proscripsit. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo; et a Cæsare decretum abstulit, quo Buthrotii liberabantur. Illud decretum Atticus interfecto Cæsare cum a consulibus confirmari vellet, quibus et senatus-consultum, et lex cognitionem dabat earum rerum, quas Cæsar statuisset, decrevisset, egisset; Ciceronis in ea re tum gratia, tum auctoritate utebatur. Ep. 14. hujus libri, et 15. lib. XVI. IDEM.

Ad centena] Subaudi, perducatur. Ut sensus hic sit; quod scire vis, num ego hic Cluviana bona ita constituerim, ut ex iis posthac centena H-S. quotannis capere possim. ID.

Detersimus] Ex illa summa detraximus et diminuimus LXXX. H-S. quæ impendimus ad ea reficienda, quæ erant ruinosa. Sic enim hunc locum interpretor ex ep. 9. hujus libri, et ea quæ proxime sequitur. BOS.

Ille autem] Quintus filius.

CICERO ATTICO SAL. 11

Ἀκολασίαν] Intemperantiam.

De tanto] Verba sunt ex Antonii concione, quibus Cæsarem appellaverat. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 12

Ὦ πράξεις καλῆς] O factum præclarum quidem, sed imperfectum.

Latinitas] Aliud est, habere jus Latii: aliud, civitatem Romanam. Cæsar Siculos, non civitate Romana, sed Latinitate, donavit: quod ipsum vix ferendum Ciceroni videbatur: Antonius post etiam civitatem dedit: quod gravissimum, nec ullo modo ferendum, Cicero significat. MANUTIUS.

A dictatore] Impudens Antonii mendacium. Nam Cæsar non modo legem comitiis non tulerat de civitate Siculis danda, sed nec mentionem ejus rei ullam fecerat. Quoniam autem Cæsaris acta senatus rata esse voluerat; Antonius, ut ostenderet legem esse Cæsaris non suam, incidit in tabula eam legem, et fixit, ut a dictatore, et comitiis latam, id est, ut jure latam, et a dictatore, comitiis. IDEM.

Per Fulviam] Ad hoc spectavit in V. Philipp. cum dixit: *mulier sibi felicior, quam viro, auctionem provinciarum, regnorumque faciebat*. IDEM.

Illuc] Hæc idéo dico, ut ostendam; cum hæc de Siculis et Dejotaro fiant, quæ sunt iniquissima; rem fore non ferendam, si nos tam testatam rem, tamque justam Buthrotiam non teneamus. Quænam autem res esset Buthrotia, supra diximus. IDEM.

Philippus] Vitricus Octavii. *Nomen* quia lege curiata de ejus adoptione nondum lata, quam postea tulit Octavianus ipse consul, cognomen Cæ-

saris jure sibi adsciscere non poterat. *Dio*, lib. XLI. IDEM.

Posse bonum] Esse Octavium. IDEM.

Inquit] Supple, Accius. Versum integrum recitat infra, XV. 11.

Declamare] Nunc ep. 26. hujus libri et ante, ep. 34. lib. VII. *Fam.* et ep. 18. lib. IX. Fam. IDEM.

Vestorium] Nummularium Puteolanum, et ideo magis exercitatum in numeranda pecunia et rationibus subducendis, quam disputationibus instituendis. POPMA.

13 CICERO ATTICO SAL.

Ἀλιτεμῆ] Plana et humili.

Ἀλλ' οὐ δαιτὶς] *Sed nobis curæ non est convivio suavi operam dare: verum magnam cladem a Jove immissam intuentes extimescimus; incertumque est, salvine futuri, an interituri simus. Iliad.* I. 228.

Τίσιν ἐμὴν] *Non tibi, nata mea, data sunt opera bellica, verum tu placida persequere munera eloquentiæ.* Verba sunt Jovis ad Venerem, *Iliad*, E. 428. nisi quod pro γάμου, *nuptiarum*, Cicero, ut inserviret senili personæ, dixit λόγου, *eloquentiæ*. MAN.

Legari ab Cæsare] Nam etiam vivo Cæsare liberam legationem ab eo cogitaverat. Hanc unam ob causam, ut in Græciam filii causa proficisceretur. IDEM.

Ad lacum quod habeo] Prædium in agro Cumano ad lacum Lucrinum. POPMA.

Impenso] Impensum pretium est ingens, profusum, immoderatum; cujus scilicet magnitudinem emptor non expendit, nec reformidat. Horat. II. Sat. 3. *Luscinias soliti impenso prandere coemtas.* IDEM.

Quo introducatur] Ut eo domum ducatur locuples et dotata Aquillia: quam Q. pater ducere cogitabat post dimissam Pomponiam, ut constat ex ep. 17. IDEM.

Egnatio] Trapezitæ, quod ipsi obtulerit pecuniam ad solutionem dotis, quam Pomponia, mulier morosa, acerbe exigebat. De Egnatio, lib. II. ep. 3. POPMA.

Restitutione] Ab exilio, quo fuerat multatus, quod P. Clodii corpus in curiam intulerat. Ascon. in orat. pro Mil. CORRAD.

ANTONIUS CONSUL S. D. M. CICERONI.

P. Clodium] Antonii privignum, P. Clodii filium, quo cum inimicitias Cicero gravissimas gesserat: privignum autem, quia Pulviam ejus matrem Antonius duxerat uxorem. MAN.

Tua causa] Philipp. II.

14 CICERO ATTICO SAL.

Iteradum] Hoc est, repete quæso et rursus dic, quæ dixisti: sunt enim talia, ut vix credam me audisse. Formula dicendi qua utebantur in rebus nec opinatis ex Iliona Ennii Cic. IV. Acad. 27. Sic *memoradum*, Plaut. Pœn. IV. 2. 44. J. F. GRON.

Coronatus] Infra, ep. 17.

Parilibus] Puto Parilia illa significari, quæ dedisse Octavium suo sumptu, ut populum muneribus caperet, scribit Dio, lib. XLV. MAN.

De hæresi Vestoriana] Quia, cum ego ad te scripsissem, Vestorium *a dialecticis remotum, in arithmeticis satis exercitatum;* ipse eos, qui pecuniæ studiosiores essent, quam doctrinæ, hæresim Vestorianam appellasti. ID.

Phetriorum] Fecit Jac. Gronovius, ne sic primus ederem. Gruterus *Phariorum*, cæteri *Pherionum*. Neutrum ita quisquam explicat, ut possit intelligi. Simplex est atque apertum id quod admisi. Sodalitia hominum ex eadem tribu ad sacra et epulas, dicebantur *Phatria*, et *Phetria*, ut no-

tavit Maussacus ad Harpocration. verbo φράτορες. Posterior ætas dixit *Frerias*, quæ vox in populari sermone nostro vim eandem retinet. Strabo lib. V. narrat, Neapoli, ac vicinis in urbibus, adeoque Puteolis fuisse, Græcorum imitatione, *Phratria*. Horum quis Puteolanus mos esset, frustra curiositas inquiret. Tantum hinc intelligimus, aliqua fuisse ridicula, quæ Atticus fuerat cavillatus. De tribulibus conviviis, quæ Romanis id erant, quod Græcis *Phetria*, jocatur Horatius lib. I. ep. XIII. 15. OLIV.

Πολιτικώτερα] Quæ ad reipublicæ administrationem magis pertineant.

Nunquam scriptus] Quem Cæsar nunquam in commentariis scripsit se velle restitui. MAN.

Non venire] Venimus enim coacti ab Antonio consule. IDEM.

Sessionem] Moram, et ignaviam. Nam, sedere, quandoque valet nihil agere, tempus otiose terere. IDEM.

Aliorum brutorum] Non M. Bruti, non D. Bruti, sed aliorum qui vere sunt bruti, id est, insulsi et stupidi. BOSIUS.

Ad Opis] Antonius Cæsaris pecunias, in Opis templo positas, ad se transtulit. Vide Philipp. I. et II. MANUT.

Obsignatorem] Ciceroni aliquid testamento relictum fuerat a quibusdam, qui Cæsaris partes fovebant; quod intellexerat ab Attico, qui adhibitus fuerat ad obsignanda eorum testamenta. Eo ergo beneficio cum illis obstrictus esset, non poterat illos in historiis non laudare, nisi omnino ingratus videri vellet. BOSIUS. Vide supra ep. 3.

Vicinis tuis] Massilienses vicini dicuntur Attici, vel quod Atticus prædium aliquod in Allobrogibus aut Gallia propter Massiliensium fines possideret, vel, quod magis puto, quod Massiliensium legati in vicinia ædium Attici in urbe versarentur, et domum conductam haberent. J. F. GRONOV.

Reddis] Ita de iis scribis, quasi propediem futurum sit ut illis adempta a Cæsare, senatus-consulto restituantur. *Phil.* XIII. 15. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 15

Ἀναθεώρησιν] Animadversionem.

De saxo] Subaudi, præcipitare eos, qui Cæsari columnam erexerant. MANUT.

In crucem] Tollere. Nam ex illa seditiosorum manu, qui liberi homines fuerunt, eos Dolabella de saxo Capitolino dejecit: servos in crucem egit. IDEM.

Acta Cæsaris. IDEM.

Non possunt] Explicari eodem tempore omnia non possunt. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 16

Epicopum] Qui remis agitatur.

Tyrotarichum] Obsonium, ex caseo et salsamentis. Vide *Fam.* IX. 16.

Ἀριστείαν] Præclarum facinus.

Quomodo nunc est] Verba Leonidæ, qui ita scribebat: quomodo nunc est, Cicero filius laudandus est: adhuc laudandus est, adhuc eum non possum non laudare: aut quid simile. Ep. 18. hujus libri, et ep. 17. lib. XV. CORR.

Κατὰ μίτον] Per filum, singillatim.

De Montani negotio] Quid significet ipse declarat ep. 61. lib. XII. MAN.

Ne pro se, &c.] Puto fore, ut ipse solvat quod Planco debet: non ut Montanus præs pro illo dependat. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 17

Μελήσει] Ipse viderit, ipse cogitet.

Ἀνέκδοτον] Non editum.

CICERO DOLABELLÆ COS. SUO S.

Etsi] Legitur *Fam.* IX. 14.

18 CICERO ATTICO SAL.

Faberii] Fuerat Cæsaris scriba, cujus manu Antonius abutebatur, et pro lubitu mutabat aut addebat in Cæsaris commentariis: qua occasione Dolabella magnam partem ejus pecuniæ, quam Cæsar in templo Opis custodiæ causa deposuerat, accepit, quasi a Cæsare ipsi adscriptam et attributam: cum tamen id Antonius manu Faberii scribæ effecisset quo collegam magno ære alieno oppressum sibi obnoxium fidumque faceret. Hinc jocus Ciceronis, Dolabellam se maximo ære alieno Faberii manu liberasse, et *opem* ab eo petiisse. Meminit ep. 14. lib. XVI. et in Philippicis. POPMA.

Mihi suppeditatus es] Pro, mihi suppeditasti. Si tamen locus vacat mendo. Nam, suppeditor, cum agendi significatione, inusitatum. Ideo legendum putabat Montagnanus, *suppetiatus es*: pro subvenisti, opem tulisti: quo verbo Appuleius usus est. MANUT. Et hic locus a me est integer. Quod tu, inquit, mihi reus debendi suppeditatus es in locum Petulcii: et quod te ipse delegari ultro ab ipso voluisti in meum commodum, gratissimum est, &c. JUNIUS. Edidit Lamb. *quod mihi abs te suppeditatum est*; verum, ut fatetur ipse, ex ingenio.

Saufei legisse] Supple, epistolam.

19 CICERO ATTICO SAL.

Ἀπιστίᾳ] Defectu solutionis.

Alium portum] Mors portus proximus senectuti. Bene Cato Senex: *mors mihi quidem tam jucunda est; ut quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa navigatione esse venturus.* POPMA.

De coronatis] Supra, ep. 14.

Illum] Dolabellam.

Ab istis] Publilio, matre, et sorore. Missa, ut ageret cum eo de reducenda Publilia. Ep. 43. lib. XIII. et 1. lib. XV. MAN.

Me facere] Hæc cum interrogatione lego. Respondet enim Attico scribenti, factum illud Dolabellæ ea potissimum de causa magnum videri, quod ipse id laudando magnum faceret. Itane scribis, inquit, me laudatione mea magnam facere πρᾶξιν Dolabellæ? BOSIUS. Interrogandi nota potuit carere hic locus.

πρᾶξιν] Actionem.

20 CICERO ATTICO SAL.

Tuas litteras] Legendum forte: *duas litteras.* Mox enim dicit, *persolvi primæ epistolæ. Venio ad secundam.* Et paulo post: *venio ad tertiam*, quæ videtur fuisse illa, quam reddidit Lucullus. NIC. RUBENIUS.

Quid speres] Hoc non Buthrotum, sed ad rempublicam refertur. Nam Antonius cursabat huc illuc, ut agros veteranis divideret, quibus beneficio devinctis uteretur adjutoribus ad omnia. Vide supra, ep. 17. MAN.

L. Antonii] Qui tribunus erat plebis, Marci frater. IDEM.

Idibus] Quibus fiebat pecuniæ debitæ solutio cum usuris. Horatius: *omnem relegit Idibus pecuniam.* POP.

Tertullæ] Juniæ Tertiæ, uxoris Cassii, sororis Bruti. IDEM.

Regina] Cleopatra, supra, ep. 8.

Cæsare] Quem Cæsarionem Cleopatra vocabat. Dion. lib. XLVII. CORR.

De Quintis] De Quinto Cicerone

patre, inquit, et de Quinto ejus filio, de Buthroto etiam tuo videbo, cum venero. Bos.

Scriptam] A me, sed tanquam a Bruto in Capitolio habitam ep. 1. et 3. l. XV. vel habendam paulo post. Corr.

Καθολικὸν] Regulam generalem.

In edicto] Brutus edictum composuit, quo postulavit ab Antonio consule, ut sibi et Cassio prætoribus liceret ab urbe abesse: quos leges vetabant. Quibus ille item edicto respondit minaci, et contumelioso. Ep. 3. lib. XI. Fam. Man.

De optimo] Titulus libri quem ad Brutum scripsit, quique extat, *Orator*.

Non scite] Non eleganter.

Ibat res] Erat, cur bene speraremus. Ep. 15. *incipit res melius ire.* Man.

Μὴ πολιτεύεσθαι] Accedendum non esse ad rempublicam.

Quod volemus] Impetrare de Buthroto ab Antonio ep. 23. huj. lib. Cor.

Produxit] In concionem ut tribunus plebis, nam tribuni plebis in concionem sæpe producebant, *(Orat. in Vatin.)* cum concionem habere privato non liceret, nisi magistratus aliquis dedisset. Octavium postea produxit Canutius tribunus pl. Dion. lib. XLV. Idem.

Concio] Octavii ipsius. Idem.

CICERO ATTICO SAL. 21

Hoc metuere] Senarius est ex veteri quodam poeta sumptus, quem Cicero sæpe adducit suppresso auctoris nomine. Bos.

Ὑποσύλοιπα] Subabsurda.

Pontii] Fuit Pontius Aquila inter Cæsaris conjuratos, qui postea Mutinensi prælio cecidit, ut est etiam in epistola quadam Pollionis: *ibi Hirtium quoque periisse et Pontium Aquilam*, ut hujus fortasse hoc prædium Cæsaris hastæ subjectum sit, quod ille Serviliæ matri Bruti dederit: cui amplissima prædia ex auctionibus hastæ nummo addixit, ut Suetonius tradidit. Ὑποσύλοιπον nunc, et subabsurdum videatur Ciceroni, Bruti matrem prædia ejus possidere, quem filius præclari illius facinoris socium habuerit. Vict.

Cato major] De senectute.

Βεβίωται] Vita transacta est.

Λῆρος πολύς] Nugæ multæ.

Tinniat] An pecuniam mihi debitam annumeret, quæ tinnire ac sonare solet. J. F. Gron.

An in meo nomine] An propter pecuniam, quam mihi debet, legem tulerit de tabulis novis: qua creditæ pecuniæ debitoribus condonabantur. Man.

CICERO ATTICO SAL. 22

Discipulus] Hirtius. *Hirtium et Dolabellam dicendi discipulos habes.* Fam. IX. 16.

Ὑπόθεσιν] Prætextum, occasionem.

Εὔλογον] Consentaneum.

Quod tibi tum licuit] Cæsaris bello, ut neutram partem sequereris. Manutius.

Φαινοπροσωπητέον] Levato velo, posita dissimulatione, agendum.

Ἰτέον] Eundum.

Ἄλλοις ἐν ἰσθλοῖς] *Aliis in bonis hanc effugiunt vituperationem.* Hoc dicit: ita de republica meriti sunt, ut ad eos hoc dedecus non pertineat. Man.

Istos] Brutum, et Cassium.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER XV.

1 CICERO ATTICO SAL.

Alexione] Medico, qui perierat.

Mecum] Loquuntur. CORR.

Primum quod attinet] Quod pertinet ad primum caput epistolæ tuæ, scilicet de re Buthrotia, in eo Hirtius favore et gratia nihil mihi concedebat, æque atque ego curare videbatur. POPMA. Eadem de re supra, XIV. 20.

Nostros] Brutum et Cassium. MAN.

Edictorum] Vide *Fam.* XI. 3.

Οὐδὲν ὑγιές] *Nihil sinceri.*

Istam vero] Fortasse Publiliæ matrem, vel ipsam Publiliam. CORR.

Οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ] *Non idem ex eodem:* eleganti sane sententia. Nam cum dixisset se eam mulierem, de qua hic agit, apud amicos collaudasse, statim subjicit se eandem probris et maledictis postea conscidisse, coram tribus ejus filiis et filia. Id enim significare voluit, cum ait se non eadem ex eodem ore efflasse. Integrum proverbium non apposuit, sed ejus duntaxat partem, omissis suo more quibusdam verbis, quæ facile extrinsecus assumi poterant. Explicate dixisset οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ στόματος ἐκπνευσα, id est, non idem ex eodem ore efflavi, sed pro laudibus probra objeci. Videtur autem allusum hoc proverbio ad fabulam Æsopicam de Satyro, qui mirabatur rusticum ex eodem ore calidum et frigidum efflare. Bos.

Quid est hoc?] Hoc additum est tanquam ex persona Attici, qui miraturus erat Ciceronem vituperasse, quæ paulo ante laudasset. Est enim improbi viri, quod modo laudaveris, vituperare. IDEM.

Ut ante Kalend.] Supple, veniam Romam, vel potius Lanuvium. COR.

Regina] Cleopatra. Epist. 8. lib. XIV. MAN.

Nec ambitiose] Est, non ambitiose, nulla cum adulatione, sed libere. Bos.

Ὑποθέσεις] Argumenta.

Solus] Sic vulgati: sed malunt *totus*, et Malaspina, et Ursinus, et Grævius.

Ὑπεραττικὸς] *Admodum Atticus:* hoc est: vereor, ne, quia cognomen tibi est Attico, valde propensus sis ad ea probanda, quæ sunt Attice scripta. Nam Brutus eam rationem scribendi in oratione sua secutus erat, quam Attici plerique oratores adamaverant, id est puram, aptam ad docendum potius, quam ad movendum: qualis agnoscitur in orationibus Lysiæ. Hunc igitur oratorem et probabat Brutus, et imitabatur: cum eum Cicero principem poneret, non qui uno in genere excelleret, ut Brutus, Calvus, et alii, qui se Atticos esse profitebantur, sed qui parva summisse, magna graviter, mediocria temperate posset dicere. Qualis Demosthenes maxime fuerat. MAN.

Ἀττικώτατα] Maximae Attica.

CICERO ATTICO SAL.

De legionibus] Eas scilicet venire in Italiam accitu cos. Antonii, et fortasse, bellum bonis facturas. Sex legiones erant in Macedonia, (*Appian.* III.) a Cæsare ad bellum Dacicum et Geticum gerendum præmissæ (*Dio*, XLV.) quas ad se Antonius pertraxit. J. F. GRON.

Quod puto] Totus hic locus sic videtur esse constituendus: *Sed non satis hæc mihi videris tibi persuasisse, qui de Buthrotiis nostris per senatum speres confici posse, haud puto. Quantum video, non videmur esse victuri. Sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet.* Sententia est, at tu ipse, qui hæc scribis de legionibus, videris mihi ea non credere, speras enim Buthrotios periculo agri sui amittendi liberari posse a senatu. Id ego minime spero. Nam quantum prospicere possum nihil est propius quam ut pereamus armis Antonii. In hoc si vanus sum vates, tu rem Buthrotiam facile obtinebis. IDEM.

Ludorum] Vide *Fam.* XI. 28.

Hos tamen] Supple, defendam.

Πεντήλωπον] Supra, XIV. 21.

Pecuniæ] Publicæ; quam Antonius erogavit ad arbitrium suum: cum ea pertineret ad populum Romanum. MANUT.

Quos] Supple, fecerat. CORRADUS.

CICERO ATTICO SAL. 3

Lentulo et Marcello coss.] Illa quæ acta sunt Lentulo et Marcello consulibus non debent in exemplum trahi, ut Romam omnes boni veniant, et senatus-consulto facto negotium dent consulibus, ut videant, ne quid respublica detrimenti capiat, quod actum est initio belli civilis illis consulibus. Bos.

Marcellum] Consularem. CORRADUS.

Novi] Intelligit colonias proximis superioribus diebus ab Antonio in agrum Campanum deductas. Philip. 2. MAN.

Tabula] Auctionaria.

Mario] Hic est M. Marius, de quo ep. 9. lib. II, ad Q. fr. et *Fam.* VII. 1. MAN.

Ad propierem] Epistolam.

Ἰλιὰς] Concise dictum est pro ἰλιὰς κακῶν. Significat enim a Q. filio *Iliadem* malorum proficisci. Notum est proverbium ἰλιὰς κακῶν. Bos.

Bene tribuni] Recte factum a tribunis, qui Cæsaris sellam in spectaculis apponi vetuerunt. Quanquam vetuisse Antonium consulem, non tribunos, Appianus tradit: sed credendum potius Attico præsenti. De hac sella, Suetonius sic: *ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, et pro tribunali tensam, et ferculum Circensi pompa.* MANUT.

Etiam XIV. *ordines*] Equites in theatro studium erga rempublicam significantes. Hi enim in XIV. ordinibus sedebant ex lege Roscia theatrali. POPMA.

CICERO ATTICO SAL. 4

Q. Fufio] Caleno, Ciceronis inimico jam inde a temporibus Clodianis. Asconius in Miloniana. Postea Ciceroni, acerbe Antonium in senatu accusanti, non minus acerba oratione respondit, quam recitat Dio libro XLVI. MAN.

Hic *Fufium* dicit, quem alii *Fusium*.

Et legio] Iis Cicero respondet, quæ Atticus ei scripserat de legionis cujusdam ab Antonio ad Octavium defectione: et quia mox Carfuleii mentionem facit, puto legionem Martiam significari, cui in bello Mutinensi præfuisse Carfuleium scribit Appianus lib. III. bell. civil. Bos.

Ἄνω ποταμῶν] Supple, ex Euripide, ἱερῶν χαοῦσι πηγαὶ, *sursum fluminum sacrorum feruntur fontes.* Si Carfuleius quoque relicto Antonio ad Octavium transivit, omnia in contrarium feruntur. Nam Carfuleius amicissimus fuerat Antonio. Itaque non minus mirum videbatur eum ab illo descivisse, quam flumina sursum versus relabi. IDEM.

Illius] D. Bruti.

Cavetur] Illud *cavetur* Mongaltus

intelligit sensu jurisconsultorum, censetque Atticum scripsisse Ciceroni, auctorem sibi esse Antonium ac spopondisse, quamvis irrita fierent acta Cæsaris, ratum tamen fore id, quod Buthrotio de agro edixerat. Videtur hæc interpretandi ratio cum iis, quæ sequuntur, melius convenire, quam Manutiana, vel Gronoviana. Hic vero quis Bosianam ferat? OLIVET.

Rides?] Hoc fingitur dici ab Attico. Sane non poterat malle Cicero, Galliam in M. Antonii, quam in D. Bruti potestate esse. Quare hoc uno verbo significat, neque loqui se serio, neque serium satis videri, quod agebat Atticus, qui Antonio, de Buthrotiorum securitate, mallet credere, quam senatui. IDEM.

Ἀπορία] Dubitatio.

Saufeium] Tua causa, inquit, quoniam videri non vis ab Epicuri secta deficere. Saufeium Epicureum celemus, tibi valde probari Tusculanas. BOSIUS.

Sermone] Dabit enim sermonem hic meus cum Bruto congressus. MA.

Μελήσει] Curæ erit.

Contendis] Fortasse, *contundis*.

Παρεγχείρησις] *Molitio in opere alieno.* Vide Turneb. Advers. XII. 11.

Ἡρακλείδιον] Opus simile iis quæ scripsit Heraclides Ponticus.

Nunquam revertisset] Plerique sic intelligunt, quasi dicat Cicero: nolim id actum esset, quod Idibus Martiis, interfecto Cæsare; eo enim sine cæde et sanguine caruissemus, quippe nunquam e Parthico, quod meditabatur, bello revertisset. At quam inconsiderate id dixisset? Quis de futuro eventu eum præmonuerat? Aliud ergo voluit, atque huic loco petenda lux est ex illo: *usi sumus consiliis puerilibus: excisa est arbor, non evulsa.* Si prudenter, inquit, fecissent conjurati, Antonium simul cum Cæsare sustulissent: quod si factum esset, nunc in Antonio Cæsarem non haberemus, quasi ab inferis reversum. Legunt alii, *revixisset*, sensu eodem. Fortasse dixit *revertisset*, quoniam fama tum erat, Antonium reverti Romam cum ingentibus copiis, ut Gallias sibi a senatu extorqueret. MONG.

Aut (ut in Saufeii] Aut, si tollere nolebant Antonium, Cæsarem non debebant: ut enim in Saufeii Epicureorumque sectam abeam, qui dominatum ferre et servire malunt quam mori, relinquamque Tusculanas disputationes, quæ docent mortem esse servituti anteponendam, ita gratiosi eramus apud illum, ut nostræ senectuti, siquidem dominum habituri essemus, non fuerit dominus ille fugiendus. POPMA.

Nemus] Locum intelligit Dianæ sacrum in agro Aricnio. Eo loco prædium habuit C. Cæsar, quod inde Nemorense dicebatur. BOS.

5 CICERO ATTICO SAL.

Utrum de duobus] Utrum Romam eant ut in senatu Kal. Jun. adsint, an in iisdem locis maneant periculi causa, de quo mox infra. POPMA.

Se actutum] Ἑλληνιστικῶς dictum est, pro, *qui quidem ait se actutum*, et statim iturum quo decrevit. Ideo mox subjicit, *etenim jam in Tusculano est.* Bos. Alii, *Se acturum.* Hirtius promisit se acturum ut illud S. C. fiat de provincia Bruto et Cassio mandanda. IDEM.

Rejiciantur] A portione publici agri. Fam. ep. 2. lib. XI. MANUT.

In Decimum] In D. Brutum mittitur, vel proficiscitur. CORR.

Nostros] Hac voce semper M. Brutum, et C. Cassium designat, ut epistola 4, *scribis te nescire, quid* nostris *faciendum sit.* Item ep. 1. lib. XIV, et 6. hujus libri. MAN.

HIRTIUS CICERONI SUO, S. 6

Etiam ex urbe] Hoc vult dicere: non solum, mi Cicero, rure jam redii, sed etiam, postquam redii, ex urbe sum profectus. CORR.

Præsidia] Præsidia vocat magistratus quos Cæsar, paucis diebus antequam occideretur, designaverat in biennium, ut scribit Cicero lib. XIV. ep. 6. et Dio lib. XLII. sed Appianus lib. III. in quinquennium. Cui videtur Hirtius hic consentire. POP.

Cedentes] Discedentes. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 7

Sexti] Sexti Peducæi. POP.

Legationem] Cum hunc, et illum conveniat pacis causa, quasi legationem hac de re susceperit. MANUT. Ironice: non enim erat legatus. POP.

Captiunculas] Ut jurisconsultus.

Non ex jure] Ennii versus: *non ex jure manu consertum, sed mage ferro Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.* Quos versus apud Gellium licet videre lib. XX. cap. 6. et Orat. pro Murena. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 8

De Kal. Martiis] De eo, quod eo die agere decreverunt. Sed locum hic esse Kalendis *Martiis* non video: *Juniis* posset esse: quibus futurum erat, ut ageretur in senatu de commodis veteranorum. Vide *Fam.* XI. 2. MAN. Assentiunt Corradus, Popma, Mongaltus: itaque tollatur extrema vox, quæ locum hunc videtur occupasse, quod e verbo sequenti littera *m.* accreverit, et librarius *Mart.* descripserit.

Eutrapelum] P. Volumnium.

Utraque] Et votiva et provinciali a Dolabella. Vide infra ep. 11. POPMA.

Videndæ] Hoc est, villæ plures, in quibus latere, et hominum armatorum vim effugere possimus, providendæ, et quærendæ. GRÆV.

CICERO ATTICO SAL. 9

Ab istis] Antonio, et Cæsarianis.

Legatariam] Per contemptum; quod quasi legati ad curandum frumentum mitterentur. Scribit Appianus libro III. senatum Bruto et Cassio timentem, demandato rei frumentariæ munere, honeste illos amandasse. MAN.

Ad Eurotam] Usque eo legatariam istam provinciam parvi facio, ut nesciam, utrum ea sit melius uti, quam prorsus nihil agere, et Lanuvii sedere. Lanuvii enim erat Brutus. *Eurotam:* fluvium Laconiæ, Lanuvii pictum in porticu, quæ Persice dicebatur, fortasse quod in ea simulacrum pugnæ fuerit, qua Persæ a Græcis cæsi sunt. IDEM.

Persice porticus] Porticus quam in Lanuviana villa extruxerat Brutus, ubi et aut Eurotam pictum habebat, aut rivulum quendam illam villam irrigantem, quem Eurotam dixit. GRÆV.

Nolo enim] Quia Eurotam nominavi, fortasse poteras accipere de Lacedæmone, quam præterfluit Eurotas: ideo addidi de Persice porticu: ut intelligeres, me de Eurota picto locutum, et Lanuvium significare. MANUT.

Casus armorum] Rixam significat nescio quam in Attici domo ortam, ita, ut ad arma ventum sit. IDEM.

Legatione] Est *legatio*, ut *provincia*, negotii cujuslibet, privati an publici procuratio, vel aliunde commissa, vel sponte suscepta. *Consiliari* non est dare consilium, sed consultare, deliberare. Quod neglexerint hæc

interpretes, (non enim ignorasse puto) falsam Ciceroni sententiam affinxere: quasi constituisset Atticus, legationis specie, ab urbe discedere: qua de re dicat Cicero, difficile esse, ut quis ei dare consilium possit. Qui sic sentiunt, intelligere non videntur nisi legationem liberam, quæ senatoribus dabatur extra Italiam abeuntibus. At senator Atticus non erat. Aliena est igitur explicandi hæc ratio. Aptiorem suggerit Mongaltus, quem sequor. Atticum invitarat Brutus in suum Lanuvinum ad consiliandum cum amicis. Hæc illa est legatio et provincia tristis, difficilis, *inexplicabilis*. Antea cum esset rogatus, ut Brutum eadem de causa conveniret, *O rem*, inquit, supra epist. 4. *odiosam et inexplicabilem!* Sine Attico deliberarunt alii. Fuit enim ab coitionibus ejusmodi semper alienus, ut locuples auctor narrat in ipsius vita Cornelius Nepos, cap. 8. OLIVET.

10 CICERO ATTICO SAL.

Beneficio] Provincia legataria. Ep. 8. hujus libri, et ep. seq. CORR.

Si vero] Si Antonius gravius consulat in Decimum Brutum, ut si eripiat provinciam Galliam, quemadmodum paulo post tentavit, Mutinam obsidendo. J. F. GRON.

Quæ nostris vita] Quamvis nemo molestus sit Bruto et Cassio nostris, quam turpis tamen futura est eorum vita, si opem non ferant Decimo. Bos.

Ludos vero non facere] Brutum prætorem, ad quem hoc pertinet, ut etiam postea cum in urbe esse non posset, absens fecit curante C. Antonio. Ep. seq. Appianus lib. III. POPMA.

Dionis legatio] Proverbii formam habet de beneficio aut honore in contumeliam collato: natum a facto Dionysii tyranni, qui Dionem familiarem suum specie legationis in exilium misit, cum tamen eum non in exilium a se missum, sed secessum quæsivisse diceret, ut refert Plutarchus et Nepos. Hinc Cicero: illa curatio frumenti mandata Bruto et Cassio, ut quasi in exilium missi procul a republica absint, non est alia quam Dionis legatio. IDEM.

Ingrediar] Ad dandum consilium.

Matris] Serviliæ, quæ et amica Cæsaris fuerat, et Cæsarianis favebat.

Mittam] Litteras vel Antium, vel Circæos: nam alterutro in loco futuri erant Brutus, et Cassius. MAN.

11 CICERO ATTICO SAL.

Egone] Egone, Cassius aiebat, ut quæ contumelia est, eam beneficii loco ponam? Clarius explanemus. Si hac, inquit, frumentaria uterer curatione, quodam modo fateri viderer, beneficium mihi esse datum, cum ego ita sentiam, tam sordido munere demandato, non datum beneficium, sed impositam contumeliam. MAN.

Atque ut omnino] Respondet Cicero: si tuto potes, omnino mihi placet te Romæ esse, non modo nunc, sed et post cum prætura fueris in urbe defunctus, mallem te Romæ manere, quam in provinciam ire, quia tua opera, et consilio eget respublica. Quamvis autem sic sentiam, tibi tamen auctor non sum, ut nunc urbem ingrediaris. GRÆV.

Decimumque graviter accusabat] Manutius accusatum putat, quod cum et Galliam provinciam, ut in ea tres legiones haberet, otiosus nihil pro republica moliretur. Verum accusandi causa fuit, quod, ut narrat Velleius Paterculus II. 58, Cassio *repugnaverat* censenti interimendum esse simul cum Cæsare Antonium. Atque idcirco negabat Cicero, oportere præterita refricari. MONG.

Quemquam præterea] Id est, Antonium præter Cæsarem, oportuisse occidi. LAMB.

Tua familiaris] Servilia. CORR.

Ego repressi] Vel, ego Cicero repressi Serviliam ita exclamantem: vel, ego Servilia repressi Brutum, et Cassium id, quod dicis Cicero, facere volentes. CORR. Puto supplendum *me*. Ut se dicat Cicero cum muliere contendere noluisse, et se cohibuisse. MALASP.

Noster] Brutus. *Inani sermone:* cum dixit, se Romam iturum. *Velle enim se dixerat:* uti Asiatica curatione frumenti. MAN.

Ἡ δεῦρ' ὁδός] *Inter hoc susceptum cui tibi usui nunc est, age, dic tu, qui oraculum consulis.* Senarius poetæ nescio cujus.

Nec Pelopidarum] Supra, XIV. 12.

April.] Ut minus sincerum sustulerim libenter. Nonas Apriles futuras Cicero expectaturus non erat, qui statim cuperet navigare. MAL. Et hanc vocem delendam censet Corradus. Neque enim Cicero mensem nominabat semper: quem supplere eum vellent librarii, turpiter se dederunt. Vide supra, epist. 8. OLIVET.

Quæ si stetisset respublica] Vota pro salute reipublicæ etiam privati suscipiebant, ut Cicero hic scribit vota a se facta sub hac formula, *si respublica stetisset:* quæ cum respublica non staret, sed eversa plane esset, dissolvere absurdum erat. Sed ut plurimum magistratus publico decreto pro salute reipublicæ vota diis nuncupabant in hæc verba: *si eodem statu respublica staret, si in decem annos respublica in eodem stetisset statu.* Quæ refert Livius. POPMA.

Quinquennii licentia] Ut legatus per quinquennium abesse possim. MAN.

Βλάσφημα] Quæ mali sunt ominis,

CICERO ATTICO SAL. 12

Antiatibus] Bruto, et Cassio.

Καὶ μάλα σεμνὸς] *Et valde gravis.* Dixit εἰρωνικῶς: quod Brutus, ut ad illustrem et gloriosam provinciam, sic ad sordidam rei frumentariæ curationem æquo animo proficisceretur. MAN.

Ni in Tusculanum] Si, inquit, Antonius in Tusculanum non veniet, quo eum venturum prædicant, alterum ab eo beneficium habebo. Narratum fuerat Ciceroni Antonium venturum esse in Tusculanum cum armatis hominibus: qua de re supra, epist. 8. BOSIUS.

Τῶν δ' αἰτίαν] Legendum est cum interrogatione, *horum culpam quis Brutorum sustinet?* qui scilicet auctor fuit, ut Antonio parceretur. Si enim una cum Cæsare Antonius occisus fuisset, non fierent hæc negotia non ferenda. POPMA.

Κατηχήσει] *Institutioni*, qua fuit a Cæsare informatus, eruditus.

Vitricus] L. Martius Philippus.

Nostro nostri] Nonnulli hic vident Quintum Quinti filium, et hoc putant responsum esse Attico, qui scripserat, Marcellum Quinto filio præcipere, quas partes in republica sequeretur. Mongaltus *nostro*, et *nostris* reponit, et sic explicat: *si præcepit* Octaviano, deditum esse *nostro* Bruto, *nostris* heroibus. Favet quod paucis ante versibus dictum est: *videbaturque erga nostros ἥρωας ita fore*, &c. Nihil offendi melius. OLIV.

Ἐὰν διαμείνῃ] Si permanserit.

CICERO ATTICO SAL. 13

Orationem] Quæ non extat: nam Philippicæ post hoc tempus habitæ. MAN.

Diem] Supple, videbimus. CORR.

Ἀναντιφωνία] Silentium.

Legiones duas] Accitas e Macedonia a M. Antonio cos. et a Caio ejus fratre Brundusium advectas, ad quas Marcus mox profectus est, *Philip.* III. POPMA.

Prius] Auditis, quam nos.

Διάλογοι] Dialogum.

Ἡρακλείδιον] Vide supra, ep. 4.

Prius] Videtur Atticus in quodam

Ciceronis opusculo recensendo, ubi ille posuerat τὸ *antea* ibi maluisse haud scio quam ob causam τὸ *prius*. Id nunc ei ridens in memoriam revocat. J. F. GRON.

Tu vero] Locus apud Lambinum planus et commodus: apud cæteros perturbatus. Videtur tamen deesse aliquid post hæc verba, *prius scripsi*, nempe *expectandum tempus maturius*, ut supra dixerat, epist. 4. OLIVET.

Quid egerit] Quasi dicat, nihil egerit, quamvis id fecerit, quod instituit. BOSIUS.

Itane Gallo] Scilicet injuriam fieri; huic enim cum Antoniis inimicitiæ videntur intercessisse. *Valer. Max.* IV. 2. CORR.

Hominem nequam] Antonium. Ignota res, brevitate magis etiam obscurata. MAN.

Cautum] Qui discedat. Ep. 2. hujus libri. CORR.

Balbilium] Erat tum in Hispania Balbus minor, quem scite putat Mongaltus hoc vocabulo designari. OLIV.

Item] Hoc est, *item* ut tu sum affectus. Quod addit, *sed hæc quidem humana*, argumento est, agi de Anniani hujus morte. IDEM.

Selicia] Mulier. Supple, dicebat. De M. Scaptio, vide lib. V. epist. 21.

Non qua pompa] Non illo quo solebat insignem comitatu. MAN.

Statim] Ad te scribam. IDEM.

Bassum arcessi] A legionibus Alexandrinis, quæ illi tradere se vellent. De Cæcilio Basso epist. 9. lib. XIV. IDEM.

Ne quid ante] Supple, accidat.

De attributione] Ut ii, qui ipsi debent, mihi se soluturos pollicerentur. MAN.

Accusat] Debitorem suum, qui sibi, qua die promiserat, non solverit. IDEM.

Φιλοσοφούμεθα] Philosophamur.

Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος] Quæ de officia.

Προσφωνοῦμεν] Inscribimus.

Myrtillo] Servi nomen videtur, non Romani hominis, ad ejus fortasse Myrtilli imitationem, quem aurigam Œnomai fuisse, antiquæ fabulæ tradunt. MAL.

14 CICERO DOLABELLÆ COS. SUO.

Ut tuam eximiam] Malles, opinor, quod est inter varias lectiones editum a Grævio, *tibi ut apud me gratias ageret, cujus eximiam*, &c. OLIVET.

Συντάξεις] Scriptionem librorum.

Miniata cerula] Qua solitus erat, ea, quæ non probaret, notare. MAN.

Μετέωρος] Animi pendens.

15 CICERO ATTICO SAL.

Testimonium] Quo poteris uti contra L. Antonium urgentem agri Buthrotii divisionem; quem ego testor Cæsarem voluisse liberum esse. POP.

Nummos] Arpinates nummos apud Ciceronem depbsuerant. MAN.

Φιλόλογα] *Erudita:* quæ homine erudito digna essent.

Φιλοφρόνως] Humaniter.

Nec tam animum] Putant me non modo animum non habere, ut ulcisci audeam, sed nec stomachum, ut irascar. MAN.

Dispensatio] Pecuniæ ex meis nominibus exactæ. IDEM.

Ex reliquis] Eros Nonis Aprilibus rationes omnes confecerat: summaque facta, quantum pecuniæ Ciceroni deberetur, quantum aliis ab ipso, apparebat Ciceroni tantum pecuniæ superare, ut non modo non egere, sed etiam abundare deberet. IDEM.

Ex istis fructuosis rebus] Insulis, et ædibus locatis. Epist. 13. IDEM.

Ad illum fanum] Quod erigere filiæ cogitaverat. Lib. XII. MAN.

Placuisse] Supple, intellexi. CORRADUS.

CICERO ATTICO SAL. 16

Πεπιπαμένως] Eleganter.

Προκοπὴν] Progressum in litteris.

Adhuc] Vide lib. XIV. epist. 16.

Οἶκος φίλος] *Domus amica.* Proverbium Græcum, quod significat nusquam commodius viri quam domi. POPMA.

Ῥητορεύουσιν] Declamitant.

CICERO ATTICO SAL. 17

Ficto] Antonius enim barbaris stipatus procedebat, cum sibi fingeret timere, aliis re vera timorem incutere vellet. MAN.

Φιλοστόργως] Peramanter.

Τὰ μὲν διδόμενα] Vide VI. 5.

Siregio] Forte *Sira regio*, cujus Siræ meminit in epist. super. J. F. GRONOVIUS.

De Plætorio] Forte, hunc fuisse ab exilio revocatum. MONGALT.

De Syro] Ep. 17. lib. XII. et fortasse Horat. Sat. 6. lib. XII. CORR.

Deterrebis] Ne Buthrotiis sit molestus. Ep. 15. hujus libri. IDEM.

Antroni vetui] Quicquam de nummis Arpinatium dari. Supra, epist. 15. et infra, epist. 20. hujus libri. BOS.

Nisi explicato Λ] Locum obscurat hæc sigla Λ, quæ torsit Criticos. Opportune eandem habemus sententiam clare explicatam supra epist. 15. *profectionem meam, ut video, Erotis dispensatio impedit.* Infra, ep. 20. *nisi explicata solutione non sum discessurus.* Jam si quæritur quid sigla contineat: aliqui scribunt *A.* ut sit *Argento, Asse*, hoc sensu: *nisi explicato argento*, exsoluto omni *asse* æris alieni. Bosius rescribebat Δ, legebatque δανείῳ, hoc est ære alieno. Plerique retinent Λ, sensu non diverso. Ut enim animadvertit Corradus, (e veteri Aristophanis scholiasta, *Plut.* IV. 3.) Λ. trigesimum Atticis signabat mensis diem, quo die dissolvendum erat æs alienum. Itaque explicare *lambda* est æs alienum dissolvere. OLIVET.

Probari] Supple, id, quod feci.

Ab illis] Bruto et Cassio.

Εὐπιτῶς] Eleganter.

Buciliano] Bucilianus et Sextius ex percussoribus Cæsaris fuerunt. De quibus etiam epist. 3. lib. XVI. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 18

In lacu] Lucrino. CORR.

De mulis] Muli vecturæ itineris sunt, quibus utimur in itinere ad vehenda impedimenta, ut *linteum extersui*, quo utimur ad extergendum, et mille talia. GRÆV.

In eis] J. F. Gronovius legebat, *in his*: supple, rebus. Totum hunc locum, alias tenebricosum, nos ea, quam præcipit vir doctissimus, interpunctione distinximus. OLIVETUS.

CICERO ATTICO SAL. 19

Stetisse] Stantem expectasse in ædibus consulis, et aliorum qui erant compellandi. GRÆV.

Se refert] Facturum. CORRADUS.

Decem hominibus] Homines appellavit, non viros, per contemptum. Nam ad agrorum divisionem decemviri creati erant. Fam. epist. 20. lib. XI. MAN.

Referendum est acceptum] Ut agros meos ne dividant. IDEM.

Ἐργώδες, sed ἀνυκτὸν] Laboriosum, sed tolerandum.

Coram] His de rebus colloquemur. MAN.

Σχιδ'ασμα] Subitum consilium et tumultuarium.

Ἄφατα] *Non dicenda* mecum locutus est olim Q. pater. MAN.

Dignus] Antonius homo nequam dignus est qui in societatem illorum hominum improborum, qui civium agros divident adsciscatur. GRÆV.

20 CICERO ATTICO SAL.

Mihi aliquid] Muretus probabat, *modo aliquid, vel quod*, &c.

Niciæ] Intelligit Curtium Niciam nobilem grammaticum, de quo lib. XII. pluribus egit. Hujus etiam inter grammaticos vitam scribit Suetonius Tranquillus, seu quicunque fuit qui libellum illum conscripsit. Ducebat autem secum, vel potius præmiserat in provinciam, Niciam hunc Dolabella. VICT.

Ante? ne nunc] Ita emendavit Victorius: nam, *anteno* legitur in Mss. Unde Popma, *ante non? Nunc dubitare*, &c. Aliorum conjecturas flocci facit Mongaltus, nec injuria.

Clarissimum virum] Vide XIV. 11.

Cartheiæ] Oppidum in extrema Bætica. Sex. Pompeium audita Cæsaris morte scribit Dio Bæticam eum occupasse, cum aliquandiu apud Lusitanos latuisset. MAN.

Subito] Profecturus est. Profectus est autem Puteolis VII. Kal. ut ep. 26. IDEM.

Πάσχω τι] *Patior aliquid*, Bruti discessu commoveor: quando enim erit ut illum videam?

Mortuo] Cæsarem dii mortuum perdant, qui unquam Buthrotum proscripserit, siquidem te nunc ejus civitatis liberandæ cura Romæ tenet; ut Brutum videre discedentem non possis. MAN.

Dotalium prædiorum] Ex Terentiæ dote. Nec dubito, quin intelligat insulas in Argileto et Aventino: quarum fructus Ciceroni filio in annuum sumptum assignaverat. Tria loca, XII. 31. XV. 17. XVI. 2. confer in unum, et considera: mecum senties, At insulæ in urbe, et prædia non idem sunt. Immo vero sunt: nam prædiorum nomine, auctore Pediano, et domus, et agri comprehenduntur. IDEM.

Laxius] Suppeditari. CORR.

Sed id] Ciceroni ita solvetur, ut ex prædiis dotalibus cadet. Mihi autem quod pro viatico opus est, non duabus tribusve dandum est pensionibus, ut Ciceroni filio, sed universum simul ante quam discedam. MAN.

Iste] Fingebat Antonius consul se timere, ut haberet ob eam rem barbaros Ityreos circa se, ad omne facinus paratos. IDEM.

De Fadio] Ep. 15. h. l. CORR.

21 CICERO ATTICO SAL.

Me, inquit, collegi] Ne ad Brutum profugerem. Et est μίμησις. CORR.

CCCC] Hoc est, CCCC H-S. ab Antonio mihi Q. promissa. MONG.

Nebulonem] Potes, et de Statio, et de Q. filio intelligere. Equidem de Q. IDEM.

Ἐποχὴν *vestram*] Ἐποχὴ hic valet *retentio* simpliciter: ut sit, ἐποχὴ deliberationis, quod deliberare noluisti de re Cani. Ep. 32. lib. XIII. MAN.

De tabulis] Quantum hinc licet conjicere, hæc Cani filia prius alteri viro nupta fuerat, a quo dos, soluto matrimonio, exigi non potuerat, quod ejus bona non essent solvendo. Ideo scripserat Atticus novas tabulas factas fuisse in illius dote. Quod Cicero nunquam suspicatus fuerat: imo putabat dotem integre restitutam fuisse. BOSIUS.

Ἀκεραίως] Sincere.

Quod scribo] Quod opus nunc in manibus habeo, mittam ad te, cum absolvero. MAN.

Brundusium] Tiro negat jam tibi placere me ire Brundusium, propterea quod Antonius cum legionibus

Macedonicis dicitur adventare, ut eo proficisci minus tutum sit. At ego Hydruntem proficisci destinaram, unde in Græciam trajectum esse quinque horarum tu aliquando dixisti. Hic enim si conscendero, quam longa esset navigatio? POPMA.

πλοῦς] Navigatio.

Nullas] Litteras accepi. CORR.

Sextus] Ne ante Sex. Pompeius in Italiam cum exercitu veniat. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 22

Exiisse] Ex urbe. CORR.

Cytherius] M. Antonius: e Cytheride mima; quam usque adeo amavit, ut, in Galliam cum legionibus proficiscens, hiberno tempore secum adduxerit. Hoc et Virgilii carmine notum est:

Galle, quid insanis? inquit: tua cura Lycoris
Perque nives alium, perque horrida castra secuta est. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 23

Ὑπόμνημα] *Libellum, commentarium* dabo a me conscriptum de rebus novis. Sic enim vocat epistola proxima. BOSIUS.

Si quid novi] Subaudi, scribe. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 24

Causam] Ὑπόμνημα, cujus in præcedente epistola meminit.

CICERO ATTICO SAL. 25

Ad me] Scribunt, alii consilium meum probantes, alii reprehendentes. MAN.

Si sic tamen] Alii; *sic tamen, ut si nihil*, &c. Antiqua editio: *si tamen, ut nihil*, &c. Verebatur Cicero, ne suus Roma discessus offensionis in publicum haberet aliquid; neve ita incusaretur, ut qui suam patriæ opem difficili tempore subduceret. Ejus formidinis non obscura significatio in aliquibus est superioribus epistolis: atque ex nonnullis, quæ post legentur, apparebit, eo metu suspensum distulisse diu profectionem, ac tandem e medio cursu revertisse. Eandem hic locus habet sententiam. Neutram, inquit, in partem propendeo: vel ad Nonas Decembres adero, vel non ante Kalendas Januarias, utcunque tu probabis; *si sic tamen* potest res componi, ut hæc dilatio atque absentia nullam præbeat materiam sermonibus. Mongalto hic aliquid debeo. Quod ego de reliquis profiteor, quæ in hanc daturus sum epistolam. OLIVET.

Quo die olim piaclum] Quæsierat Cicero, annon operæ pretium esset Romæ se adesse, circiter Nonas (quintum diem) Decembris; propterea quod IV. Idus (die decimo) inituri essent magistratum novi tribuni, quorum non pauci Bruto favebant et Cassio; atque unus etiam particeps conjurationis adversus Cæsarem fuerat. Ut designaret Nonas Decembres, dixerat *mysteriorum diem*, quoniam eo die sacra fiebant a mulieribus in operto bonæ Deæ. Eorum religionem, cum exerceretur in ædibus C. Julii Cæsaris, violaverat P. Clodius illo facinore, quod aliquoties exagitavit oratorie Cicero, et historice narrabat Attico, I. 13. Ipso illo die Cicero consul in custodiam tradiderat principes Catilinariæ conjurationis, quorum morte piata conjuratio fuit. Atticus rescribens, pro *mysteriorum die* posuerat, *quo die olim piaclum*. Laudat hoc, ut scite dictum, Cicero: cum enim *piaclum* et facinus sit, et piamentum, ea voce unica memoriam Atticus refricabat

et Clodianæ infamiæ, et gloriæ Ciceronianæ. Sed a vera hujus loci sententia multos avertit falsa mente concepta opinio, quod sacra bonæ Deæ Kalendis Maii fierent. Constat autem ea sacra ævo Ciceronis ac Cæsaris facta esse Nonis Decemb. Si Kalendas Maias assignant Ovidius, *Fast.* V. 148. et Macrobius, *Saturn.* I. 12. id eo factum, quod diem mutasset ea religio. Mutandi causam indicat Ovidius, *Fast*, V. 157. Templum scilicet bonæ Deæ restituerat Livia, et Kalendis Maii dedicarat. Neque solum dies, sed locus etiam est mutatus. Cum enim Ciceronis ætate ac Cæsaris, ea fierent sacra in ædibus consulum, aut prætorum, Dio Cassius, *lib.* XXXVII. *ad annum U. C.* 692. de illo more ita loquitur, uti consuetum est de rebus veteris ævi, et antiquatis. IDEM.

Ut ut se res] Vict. et Man. *ut tu scires.* Lamb. *ut tu scribis.* Nullo utrobique sensu. Gruterus ex Bosio, *ut ut sit res.* Convenit sententia, Latinitas repugnat, ut animadvertit Vavassor, libello *de vi et usu quorumdam verborum.* Edidi quod latebat in illa vetere scriptura, *scires.* Integrum esset, *ut ut se res* habebunt. Deinde, *casus judicabit*, hoc est: ut res cadent, ita consilium instruam itineris mei. Ibo, redibo, ut feret cursus rerum, et temporis opportunitas. IDEM.

Mysteriorum] Certum mihi est, inquit, adesse Romæ Kalendis Januariis: at si reditum in id tempus differam, obeunda erit *hiberna navigatio*, quæ semper *odiosa.* Id effugiam incommodum, si maturius proficiscar, ac redeam. Idcirco *quæsieram ex te*, annon satius foret redire me ad *mysteriorum* diem. IDEM.

26 CICERO ATTICO SAL.

Ψευδόγραφον] False perscripto.

Ἀτοπώτατον] Absurdissimum.

Epistolæ] Quam ad me Brutus misit. MAN.

Is me paucos] Locus, nam fatentur omnes, depravatus. Audacem itaque, ut solet, me fecit desperatio. Sic muto. *Is* metuit *paucos specus... servitus* apud se *aliquid*... voluerat Cicero paucos specus subterraneos fodere in extremo fundo suo: Ælianus vicinus metuebat, ne, si prohiberet, infensum haberet Ciceronem: si non prohiberet, aliquam *apud se*, suo ipse fundo servitutem susciperet. Ea vult cura hominem liberari: mandat dici, se consilium mutasse, *jamjam*, hoc est, omnino *nolle* fodi specus illos; neque ullum sibi commodum esse tanti, ut ob id talis vicini gratiam amittat. Porro *specus* dicuntur subterranei meatus, per quos aqua ducitur. Vitruvius, VIII. 7. Cujacius, *Observat.* XVI. 17. Jurisconsultorum formulis lectores non impediam. OLIVETUS.

Item] Sic Victorius. Alii, *idem.*

Tulliano capite] Tullianum caput vocat, quod epistola proxime sequenti Tullianum semissem. Caput enim quandoque sortem, et pecuniæ summam significat. BOSIUS.

Tua malitia] Id est, nisi tu homo malus dolum illorum pervidisses. Hypallage elegans, et redolens familiaritatem summam. JUNIUS.

Octavum partem tuli] Locus a doctis hominibus plane desperatus, ut et asterisci notam affixerint; Manutius etiam ut depravatum assequi se posse negaret. Corradus ita legebat, *octavam partem tolli luminarium ædium ad Streniæ memineris.* Memineris, inquit, nisi res impediatur, tolli octavam partem luminarium earum ædium, quæ sunt ad Streniæ fanum. Et sane Cicerones in carinis ædes habuisse apparet epist. 3. lib. II. ad Q. fratrem: et Pub. Victori, regione IV. caput sacræ viæ a Carinis oritur ab Streniæ sacello. Bosius vero legit et explicat: *octavam partem tuli luminarium* in ædium ἄθυρα. Junius autem e Glossario, *astranea*, juncta voce, pro

ad Streniæ, hic comminiscitur ingeniose. Alii etiam aliter legunt, et interpretantur. Ego vero Barravio Tolosati propemodum assentior, ut interim aliorum in re dubia solertiam minime contemnam, ita e vestigiis scripturæ veteris reponenti: *octo pedes tolli luminaria ædium ad Streniæ memineris:* hoc est, octo pedes altius tolli luminaria ædium mearum ad Streniæ ædem memineris. A. SCHOTTUS, *Cic. Vind. cap.* 7. Placet Schotti conjectura; nec tamen interpretatio: nam ille *altius tolli* vult; ego contra *tolli* pro *deprimi, minui*, dictum arbitror. MON.

Videris] Curabis, ut id, quod proscriptum est, ei mancipetur, cui petit Cærellia, ad eam summam, quæ in auctione oblata fuit maxima. IDEM.

Mundus istum] Infra, epist. 29. *de Mundo si quid scies.* Hoc tamen loco ita concisa brevitas, ut conjecturæ vix locus videatur. MAN.

M. Ennius] Quod rarum sit hoc nomen, vereor, ne legendum sit, M. Lenius, vel M. Annius, vel Memmius. CORR.

CICERO ATTICO SAL. 27

Πάνυ φιλοστόργως] Valde amanter.

Quod Puteolos prosequitur] Quod me Puteolos, ut tu scribis, prosecuturus est; humane facit: quod autem queritur, quia de Cosano redeuntem non expectavi; hoc scilicet injuste. MAN.

Ἡρακλείδιον] Supra, epist. 4.

De Bacchi] Quid de Bacchi coronis potuerit Atticus scribere, quod Ciceroni tam gratum fuerit, nemo facile explicabit. Quid enim ad Ciceronem et Atticum quæ coronæ Baccho fuerint impositæ. In Balliol. legitur: *quod me de Bacchide*, et in veteri libro quoque se deprehendisse testatur F. Ursinus. Lego, *quod me de Bacchide, de statuarum*, &c. Per Bacchidem vero intelligi puto mimam, aut aliam concubinam, cum qua se oblectabat Antonius, quas exagitat toties in Philippicis. De coronis autem statuarum, quæ aut impositæ, aut detractæ a populo aut Julii Cæsaris, aut Antonii statuis videtur loqui. In re obscura licet hariolari. GRÆVIUS.

CICERO ATTICO SAL. 28

In te] Qui oblitus fueris quod mandaveram, ut eam juberes salvere. CORR.

Me minime totum] Quanquam longius discedam; futurum tamen, ut absens eam æque diligam, ac si una essemus. MAN.

CICERO ATTICO SAL. 29

Ἀμηχανία] Consilii inopia.

Nullus tu quidem domum] Non tu quidem ad eum domum veneris; sed, sicubi inciderit, alloquaris. Ep. 17. MANUT.

Tulliano semisse] Vide ep. 27. ID.

Istam, quam tu excipis, metuo] Ne parum jucundus ei meus sit reditus. Dictus joco. Atticus, ad superiorem respondens epistolam, scripserat, spem esse, rediturum brevi Ciceronem, et cum suis Romæ victurum: id esse omnibus jucundissimum, præterquam uni Atticæ, quæ placari nollet. Dictum hoc quoque per jocum. MONGALTUS.

Usque Puteolos] Prosecutus est vel, potius prosequetur profecturum. CORRAD.

Σπονδάσθαι] Fœdus facere.

Ferre] Scilicet conditionem; quod loquendi genus frequens est; hoc est, matrimonium offerre. GRÆV.

Nisi de ore, et patre] Dixi, me Juliæ patrem cognovisse, illam autem de facie tantum, de fama nihil scire. MANUT.

Filium velle] Juliam ducere. MAN.

ἐβδελυττόμην] Abominabar.

Σκοπὸς] *Scopus, finis.* Notat Quinti patris avaritiam, qui nihil spectaret aliud, quam ut filio ne quid in sumptum præberet, ideoque ei concederet de uxore ducenda. MAN.

Οὐ παρὰ τοῦτο] *Non in eo:* non in eo ponit rem, aut difficultatem, quasi quod Q. filius dives non sit, hoc non curet, dum illum habeat maritum. Ita enim videtur credidisse Q. frater. CORR. Non Q. frater, sed Q. filius. MONGALTUS.

Certiorem] Supple, facias.

Buthrotium] Qui profectus erat ad agrum Buthrotium dividendum. Ep. 1. lib. XVI. MAN.

Sine phaleris] Phaleræ proprie sunt, quæ frontibus equorum, ornatus gratia, imponuntur. Μεταφορικῶς aliis de rebus usurpantur. IDEM.

Agripetas] Qui Plancum secuti, partem agri Buthrotii petierant, sedem in alieno quærentes. Epist. 1. et 4. lib. XVI. et Phil. 7. MANUTIUS.

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

LIBER XVI.

1 CICERO ATTICO SAL.

Nesidem] Nesis insula Campaniæ, in qua Brutus erat in villa Luculli filii. Meminit Plinius l. XIX. cap. 8. POPMA.

Nonis Juliis?] Scripserat Atticus Ciceroni, Bruti ludos esse proscriptos sic, *à Nonis Juliis ad* III. *Idus:* ut scilicet populo significaretur, ad sextum diem ludos esse duraturos. Eam proscriptionem ut maxime turpem Cicero detestatur: nec id quidem injuria: quia certe nimis absurdum videretur, apparere *Julii* nomen in proscriptione ludorum, quos Brutus daret, is, qui ipsum Julium non ferens vita privasset. Oportebat autem non Nonis *Juliis* proscribere, sed Nonis *Quintilibus;* primum, ne tyranni nomen usurparetur: deinde, quæ ad Cæsaris honorem civitas non libera constituisset, ea ne confirmarentur. Nam ex historia notum est, decrevisse senatum, ut *Julius* mensis e Cæsaris nomine vocaretur, *Quintilis* ante dictus. Sed de Bruti ludis ita proscriptis unde afferam, si quis quærat; locus est infra, unde didici: quo ex loco descripta verba recitabimus. Sic igitur epist. 4. lib. XVI. *In Nesida* VIII. *Idus. Ibi Brutus. Quam ille dolait de Nonis Juliis. Mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut venationem eam, quæ postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent,* III. *Idus Quintil.* non, III. *Idus Jul.* ut extremum ludorum diem fuisse constet, IV. Idus, cum dies venationis, quæ ludos est Apollinares consecuta, III. Idus sit. MAN.

Dii hercule istis] Imprecatio est adversus eos, qui ludos Bruti proscripserant Nonis Juliis, non vero Nonis *Quintilibus.* Sic quoque loquutus est epistola 10. hujus libri: *O qualis tu semper istos! Itane in D. Brutum? Dii istis.* BOSIUS.

Quicquamne] Magnus Scaliger IV. *de temporum emendatione* reprehendit et satis acriter castigat Ciceronem, quasi annum a Julio Cæsare correctum improbasset, et propterea Cæsari obtrectasset. Non defuerunt, inquit, qui illud incomparabilis viri divinum factum reprehenderent. In-

ter quos M. Tullius Cicero, homo potius virtutum Cæsaris obtrectator quam vitiorum castigator, cum anno primo Juliano quidam diceret, cras lyra orietur: ex edicto, inquit, orietur: tanquam coactus illam ordinationem non solum acciperet, sed audiret. Hoc etiam animadvertere licet ex quadam epistola ad Atticum lib. XVI. *Itane? Nonis Juliis? quicquamne turpius, quam Bruto, Nonis Juliis?* Sed Cicero Pompeias Nonas veteris anni ineptissime amasset, qui Julias anni castigati aversatur. Hæc Scaliger. Sed immerito vapulat Cicero, qui non reprehendit annum castigatum a Cæsare, sed Cæsaris superbiam, et ambitionem, qui æque ac Janus et Mars dii, passus sit de suo nomine mensem appellari Julium, abrogata veteri Quintilis appellatione. Hinc et Suetonius in Jul. cap. 74. inter illa recenset, propter quæ jure cæsus esse credatur, *mensem e suo nomine*. Præterea his Bruto exprobrat Tullius, cum ludos suos proscribi Nonis Juliis passus est, quod hac ratione probet honores, qui tyranno decreti sunt ab adulatoribus, et sic suum tyrannicidium ipse damnet, cum tyranni memoria sit abolenda. Inde statim subdit, *quidquamne turpius Bruto, Juliis?* nimirum quam Juliis: non Quintilibus proscribi ludos. GRÆV.

Ἔτι ἰῶμεν] Adhucne sinimus et patimur ista fieri? Sic Bosius. Alii vero, ἴλθωμεν, hoc est, *discedamus* ex Italia.

Nihil vidi] Potest esse ἀποσιώπησις ut sit, nihil vidi turpius. MAN. Aliter Turnebus *Advers.* IX. 22. *Nihil vidi*, hoc est, imprudens fui, qui nondum discesserim.

Plancus] Vide XV. ep. ult.

Dymæos] Pompeius, ut Plutarchus scribit, captis piratis, magnam eorum partem constituerat in agro Dymæo: quod erat et fertile territorium, et a cultoribus infrequens. Ii postremo pulsi ea sede, quam assignatam a Pompeio per aliquot annos tenuerant, rursus se ad piraticam veterem artem contulerunt. Dyme civitas est in Achaia. MAN.

Videndum] Gaudeo quidem meam profectionem laudari, sed, quoniam Dymæi mare infestum habent ita, ut tuta non sit navigatio, videndum est, ut, si forte ob id sit manendum, mansio quoque laudetur. CORR.

Ἐν ὁμοπλοΐᾳ *Bruti*] In societate navigandi cum Bruto. MAN.

Ἀπατεῶν] Vanum terrorem.

Λῆρος πολύς] Nugæ multæ.

Explicentur] Sententia hujus loci hæc est. Ducenta decem millia nummum commode præberi poterunt filio Marco, quibus indiget ad se tuendum, et debita quæ contraxit solvenda. J. F. GRON.

Abunde] Hoc est: Ovius, qui recens Athenis venit, narrat habere se in mandatis, a filio mandatum sibi esse, ut referret mihi, sufficere ad omnia summam assignatam, *satis esse, abunde, affatim*. Vide Turneb. Advers. XXIII. 29.

Γλίσχρως] *Minutatim*. Quod etiam fuerat, inquit Manutius, receptum in epistolam ignorantia describentium. MANUT.

Plus permutasti, &c.] Scis convenisse, ut Ciceroni tantum daremus, quantum reciperetur ex insularum fructu. Eo si quid plus Athenis permutasti Ciceronis causa, volo id ei concedatur supra annuam pensionem, pro sumptu, quem primo anno fecit dum Athenas proficiscitur. ID.

Hinc ex Kal. Apr.] Quoniam assignavimus Ciceroni quantum ex insulis reciperetur, deinceps detur ei ad H-S. LXXX: quoniam tanti nunc insulæ locantur, quæ antea tantummodo LXXI. locabantur. Ex Kalendis autem Apr. quia Ciceroni filio id erat annui temporis initium. Vide XV. 15. IDEM.

Videndum] Curandum nobis est, ut sit, quod filius in sumptum habeat, cum Romæ erit. Cum enim Publiæ uxoris meæ matrem ferre non possim, divortium erit faciendum: ita dote reddita, re familiari comminuta, unde filio suppeditabimus? IDEM.

Decumano] Est in plerisque veterum *de Cumano*. Sed cum res obscura sit, statui nihil potest. MAL.

Se Catonem] Talem, qualis erat Cato.

Me motum] Me fidem habuisse verbis Quinti filii. MAN.

Sed ego] Ἀπιστούμενος] IDEM.

Attributionem] Posuit pro solutione pecuniæ, quam debeat Q. filius. IDEM.

2 CICERO ATTICO SAL.

Ut esset] Ut esset qui Hortensio, filio scilicet, solveret pro parte hereditatis Clunianorum, quam Cicero ab eo emerat. GRÆV.

Equitibus] Qui illi fuerint equites, et quodnam negotium fuerit, de quo cum illis constituerat Eros, id sane, ut multa alia in his epistolis ignoramus, Attico tamen procul dubio fuerunt perspectissima. Non inepte Manutius Publilios hic intelligi conjicit, qui post divortium cum Publilia flagitabant restitutionem dotis, ut cum his constituisse Idibus dicatur Eros. IDEM.

Perscribi] Perscribi est de mensa numerari, aut chirographo ab argentario solvere, ut dudum eruditi viri docuerunt, qui modus solvendi nostris mercatoribus est notissimus, cui opponitur præsente pecunia solvere. IDEM.

Tereo] Fabula olim ab Accio de Tereo scripta, et nunc in Bruti ludis acta. ep. 5. hujus libri. CORR.

Quam Antonio] Sententia hæc est: Brutum putare placuisse magis ludos suos ob ingenium poetæ, quam quod curator eorum Lucius Antonius operam dederit, ut placerent. J. F. GRO.

Istorum] Antonii, et similium.

Repræsentandam] Citius aliquanto, quam fecissent, ostendendam. MAN.

Doleant] His plausibus. CORRAD. Ex Afranio sumpta sunt, ut est in Tuscul. IV. 20. Vult autem clarissimus Buherius hic legi *doleat;* quo modo Terentius, *Eunuch.* I. 2. 13. *Ut aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet.*

Consilium] Discedendi ex Italia. MAN.

Æculanum Oppidum in Hirpinis.

Ἡρακλείδειον] *Opus iis simile, quæ scripsit Heraclides Ponticus.* Vide XV. 4.

Eclogarii] Ab ecloga descendit *eclogarius*, quæ vox nusquam occurrit alibi. *Eclogas* vocabant locos insignes e libris excerptos. Proinde homo *eclogarius* is est, qui ejusmodi eclogas colligit: liber *eclogarius*, qui continet: locus in libro *eclogarius*, notabilis et dignus qui excerpatur. *Notentur*, qui legantur *in convivio duntaxat*, inquit Mongaltus. Cur autem in convivio legi permittit? Quoniam, ut videtur, nihil periculi est a calamis, minus a memoria convivarum. De usu legendi in conviviis, Plinius ep. III. 5. Juvenalis, XI. 178. OLIVET.

3 CICERO ATTICO SAL.

O Tite] Libro, qui, *Cato major*, inscribitur, cujus principium est: *o Tite*, &c.

Addis] Muretus et Bosius, *addit.*

Σύνταγμα] *Opus*, libros de Gloria.

Ἀρχέτυπον] *Exemplar primigenium.*

Macrocolum] Vide XIII. 25.

Non concurrerent] Dies nominum mihi attributorum non quadraret cum ea die, quæ præstituta est iis nominibus quæ ipse feci, dissolvendis; sed aliquanto longior esset. Bos.

Non amas] Dictum εἰρωνικῶς. Miserat eum Deiotarus, ut Armeniam, sibi a Cæsare ereptam, emeret ab Antonio: quod factum est, Fulvia, quæ Antonii uxor erat, intercedente, id est, cum Deiotari legatis de pretio paciscente. Vide *Philipp.* II. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 4

Juliis] Vide supra, ep. 1.

A Sexto] Pompeio. MAN.

Παρὰ λέξιν] Minus proprie dicta.

Boream] Fortasse oppidum, de quo Plinius lib. V. cap. 4. POPMA. Cum urbem in Hispania nullam reperitam, trajecta litterula *Eboram* libentissime legerim, quæ urbs est Lusitaniæ. TURNEB. *Advers.* XXIII. 30.

De Cæsare] Romæ occiso. MANUTIUS.

Aliquid litterarum] Dederis. COR.

Ὁμοπλοΐᾳ] Societate navigationis.

Et, si, cum processerimus] Si ubi jam in cursu fuerimus, speculatoriæ naves, ut mox est, præmissæ explorandi itineris causa, nobis referent mare pacatum liberumque a piratis esse, omisso Bruto ventis Etesiis nos mandabimus. J. F. GRON. De navigandi voluntate, et de Etesiis, vide *Fam.* XIV. 25.

CICERO ATTICO SAL. 5

Brutum] Attii poetæ fabulam de L. Junio Bruto, qui reges expulit. CORR.

Commissione Græcorum] Id est, cum Græci ludi ederentur. Committere ludos, est edere. GRÆV.

Græcis ludis] In ludis Græcis erant fabulæ, quas vocabant Satyricas: Horatius vocat *Satyros*, de Arte Poet. 221. Id spectaculi quid esset, Isaacus Casaubonus explicavit libro *de Satyrica Græcorum Poesi*, itemque Jul. Cæs. Bulengerus lib. *de Circo*, cap. 38. Has amare poterat fabulas spectator *et potus et exlex*, ut Horatius ait *ibid.* 229. Quid mirum, si non amaret Cicero? Visatur ep. 1. lib. VII. ad *Fam.* Illic Græcos ludos cum Oscis conjungit. In his Osci actores erant, et Oscus sermo: in illis Græci agebant Græce: in utrisque oblectatio erat plebis, et servorum, qui plerique Græci. OLIVET.

Quintus] Q. filius. CORR.

Μετεωρότερον] Suspensiore animo.

Ἀσφαλὲς] Tutum, securum.

Jocari me putas] Scilicet in eo quod dicturus sum. Atqui non jocor, et dicam ex animo. J. F. GRON.

Sed ante] Circumspice, inquit Cicero, num quis sit alius, cujus cupiditate remanere velim, sed ante oculos tuos, et in os tuum hoc dicere erubesco, ne me blandum existimes. ID.

O dies, &c.] Descripti dies erant, quibus Lepidum, qui erat pontifex max. cum augurum collegio dare operam auspiciis oportebat. Lætatur igitur, eam sibi fore causam, cur mature ad urbem redeat. Erat enim augur. MAN.

Ῥοπὴ] Impulsio, momentum.

Tuis litteris] Inest, cum te affore promittas. Ep. 3. hujus libri. CORR.

Nepotis] Cornelii Nepotis clarissimi historici, ad quem fuerunt Ciceronis libri epistolarum. Is non multum tribuebat philosophiæ, atque adeo exagitabat ipsos philosophos; quod indicant ipsius verba ex epistola ad Ciceronem, quæ Lactantius refert lib. III. cap. 16. Institut. POP.

Meorum] Scriptorum. MAN.

Γαυριῶ] *Glorior.*

Μετ' ἀμύμονα] *Post carentem nævo.* Respicitur Iliad. B. 674. ubi Nireus formosissimus dicitur, post Achillem *nævo carentem.* Atticus enim scripserat, Cornelium Nepotem, qui desiderio scriptorum ejus tenebatur, esse optimum scriptorem, scilicet post Ciceronem. Quam deinde laudem a se Cicero modeste amovet.

Ἀμύμων] *Carens nævo.*

Ἄμβροτος] *Immortalis, divinus.*

Συναγωγὴ] *Collectio.* Hinc volunt fuisse omnes a Tirone collectas.

CICERO ATTICO SAL. 6

Prodromi] Venti Aquilones, qui exortum Caniculæ octo diebus antecedunt, et IV. Id. Jul. flare incipiunt. POPMA.

Æquis] Vulgo *equis*. Pedes proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Hinc et pro velis. Hinc *æqui pedes* sunt vela æqualiter tensa, quod fiebat cum æquate auræ velorum sinus implebant. SALMAS. *Plin. Exerc.*

Obduxi] Ducere diem, noctem, est trahere et insumere. Obducere autem est longius et diutius ducere ac protrahere, ut obmanere, diu manere.

Festus. POPMA.

Δολιχὴν πλόον ἐρμαίνοντες] *Longam navigationem meditantes*. Odyss. γ. 169.

Corbita] Oneraria navi. MAN.

Ἡ δυρ' ἰδίς] Vide XV. 11.

Satisdato] Satisdato debet, qui pro alio cavit idonea cautione. Videtur intelligere Montani nomen, pro quo se soluturum spoponderat ep. 15. hujus libri. J. F. GRON.

Σύγγραμμα] Scriptum, librum.

7 CICERO ATTICO SAL.

Ἀνεμίωτα] Non reprehendenda.

Εὐθανασίαν] *Præclaram mortem*, supple, laudas, optas. Vide XV. 20.

Σχόλια] *Commentarium*.

Ἀπολογισμὸν] *Defensionem componam*.

Non constanter] Objectio. Non profectus es quidem, sed voluisti tamen.

Phædro] Si hoc fieret a Phædro nostro, facilis illi excusatio esset. Sic enim responderet: ego de honesto nihil cogito, dolorem fugio, summum bonum in voluptate pono. Nunc quid tu respondebis, o Cicero, qui non, ut Phædrus, Epicuream sectam, sed illam Socraticam, quæ virtutem et officium colit, es secutus? MAN.

Relictionis] Tam novum auribus meis hoc nomen est, ut id temere recipere et probare hæream. In antiquoribus exemplaribus, *religionis* legitur. Nos magis vitium et maculam aliquam subesse, affirmare audemus, quam quomodo castigari et elui possit proferre. VICT.

Flentes] Victorius et Bosius, *euntes* contra librorum omnium fidem. Sensus autem est, qui me, cum discederem navem conscensurus, deducebant, flentes querebantur me relinquere rempublicam, nec credebant me tam celeriter rediturum esse Kalendis Januarii, quod ego præ me ferebam. GRÆV.

Hoc] Tempore ita turbulento.

Ἀναπολόγητα] Careret defensione.

Δυσχρηστία] Difficultas versuræ faciendæ, seu mutuo sumendæ pecuniæ.

Horum] Bruti et Cassii prætorum.

Pisoni] Cui in senatu in Antonium invehenti nemo assensus est armorum metu. Fam. XII. 2. et Philipp. 1. MAN.

A sepulcro] Id est, a patria, in qua solemus sepulcrum nobis constituere. MAN. Quamvis spes nulla sit, tutiorem in urbe mihi stationem fore, quam Pisoni; hoc tamen adibo quodcunque periculi est, atque iis satisfaciam, qui me putant satis vixisse diu, ut ne diutius appetam. Vide *Phil.* II. 46. et *Fam.* XVI. 23. MONG.

Πειράζεσθαι παραλύσει] *Tentari paralysi*, seu nervorum resolutione, ut vertit Celsus, lib. III. c. 27. CORR.

8 CICERO ATTICO SAL.

Nomen... ætatem] Qui et Cæsar appelletur, et adolescens, ac pene puer sit. MAN.

Εὐκαιρίαν] Opportunitatem.

Aliquid tale] Putavi fore ut Cæsariani inter se collidantur. GRÆV.

Ἀσφάλειαν] Securitatem.

Romam] Mihi potius, inquit, videtur ut Romam eam. Hoc erat consilium Ciceronis. Dubitabat tamen adhuc. BOSIUS.

Ἀπορία] Dubitatione.

CICERO ATTICO SAL. 9

Σκήπτομαι] Tergiversor.

Ἀρίστεια] Præclarum facinus.

Brutum] Decimum: quem Antonius, Celtica provincia non decedentem, armis expellere parabat. MAN.

Dinumerat] Pecuniam. IDEM.

CICERO ATTICO SAL. 10

Ut veni] Sic Malaspina. Cæteri nihil sanum. Gruterus et Grævius, VI. *Kal veni.* Hoc *Kal.* primus in contextum Bosius intrusit: satis oscitanter, ut notat Mongaltus: siquidem Kalendas jam præterisse legerat in superiore epistola, et in hac videbat datam esse VI. *Id.* quo die profectus est summo mane Cicero e Sinuessana villa, et Minturnas diluculo venit. Infra, ep. 13. OLIVET.

Verti igitur] Tamen, cum hæc scriberet, erat adhuc in Sinuessano, neque in viam se dederat. Verum ita scribit, quasi post rem peractam, cum Attico loquatur. MONG.

V. Idus] Alii, *II. Idus*, errore tam proclivi, quam facile est in quinarii numeri compendiaria nota partem infernam esse aut male expressam calamo, aut tempore detritam. At is error deprehendi non ægre poterat. Etenim hanc dabat Cicero epistolam *VI. Idus* (die 8. Novemb.) ante lucem, mox profecturus Arpinum versus, Antonium ut fugeret, quem uti celeritate maxima audierat. An ergo constituisset, non venire Aquinum nisi *II.* aut prid. *Idus* (die 12. mensis) quo pervenire poterat eo ipso die, quo hanc dabat epistolam, et re vera pervenit: vide infra, ep. 13. ID.

CICERO ATTICO SAL. 11

Nostrum opus] Philippicam secundam. MONG.

Ἄνθη] *Flores*, meliora loca.

Florentiora ... tuo judicio] Pulchriora, elegantiora, posteaquam probata sunt tuo judicio. MAL.

Ita est] Nolim eum offendere. Ciceroni, cum se Clodiano furori subtraheret, receptum Sica dederat in suo fundo. Vide supra, lib. III. ep. 2. et 4.

Perstringam] Agitur de Philippica secunda, in qua, cap. 2. *Cum te omnes recordarentur libertini generum et liberos tuos nepotes Q. Fadii libertini hominis fuisse.* Quid in exemplo ad Atticum transmisso fuerit, unde Sicam offendi posse Atticus existimabat, quis dicat? Suspicatur Mongaltus fuisse positum nomen Septimiæ, quam habebat Sica uxorem, et Fadia cognatam. OLIVET.

Παῖδας παῖδων] Nati natorum.

Sine vallo Luciliano] Hoc est, sine ulla exceptione. Sensum hunc vidit Corradus, sed indicavit tantum. Conabor evolvere quod in hac metaphora continetur. Lucilius non omnes ad suas legendas satyras admittebat. Persium, exempli causa, excluserat: ut habet Cicero de Orat. II. 6. *Persium non curo legere;* vel, ut refert Plinius, præfat. Nat. Hist. *Manium Persium hæc legere nolo.* Hoc quasi *vallo* muniebat sese, et lectores quosdam excludebat. Atticus, qui lubens scribendo alludebat, ut significaret, esse in secunda Philippica, quæ Sicam offendere et alios possent, dixerat utendum esse *vallo Luciliano*, quo arcerentur a lectione: hoc est, denuntiandum, *Sicam non curo hæc legere.* Hinc Cicero ait, ita se stylo moderaturum, ut opus suum legi possit ab omnibus, neque sit necesse *vallo Luciliano* Sicam excludere, sed possit ea scriptio sine offensione in ejus domum introire. Alii plerique aliter et legunt, et interpretantur. OLIVET.

Utinam] Optat ita concidere opes Antonii, ut vulgari Philippica im-

pune possit. Interpretes fugit hujus loci sententia: quod non cogitarent, eam orationem, quamvis dicantur omnia, quasi Cicero præsenti Antonio in senatu respondeat, nunquam tamen dictam fuisse, sed domi scriptam per otium. MONG.

Quod fuit illis triumviris] Hoc sine epistola Attici non licet nobis divinare. MAN. Non displicet Gronovii conjectura: *sed illo tempore opus est*, quo fuerint *triumviri*. Hoc sensu: publicandæ orationi expectandum est tempus illud, *quo fuerint*, nec sint amplius, perierint Antonii fratres, Marcus, Lucius, et Caius, qui facete dicti Attico *triumviri*: quocirca subjungit Cicero, *moriar, nisi facete* hoc dictum est. OLIVET.

Εἰς ἐμοὶ μυρίοι] *Unus mihi decem millia*: vel, pro decem millibus. CORR.

Calvenæ] Martii. Vide XIV. 4.

Ἀδόλεσχος] Loquax.

Aristophani] Non poetæ, sed grammatico, qui scriptorum fuit alter Aristarchus, ut ostendit Diogen. in Plat. et Epicur. CORR.

Εὐμενίᾳ] Benevolentia.

Rubriana] Antonius multa subjecerat Romæ testamenta, quibus heres scribebatur. In iis fuit testamentum L. Rubrii, cui ne notum quidem illum fuisse tradit Cicero Philipp. II. 16. sed et in prædia quædam invaserat Q. Metelli Pii Scipionis, ut Philipp. V. refertur. Ideo cum Philipp. II. sic initio Cicero scripsisset: *ab hac perturbatione religionum advolas in M. Varronis sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem; quo jure? quo ore? eodem, inquies, quo in Scipionis, quo in heredum L. Turselli prædia*: admonitus postea ab Attico illud de prædiis Scipionis non satis apposite cum aliis facinoribus Antonii, quæ ibi commemorantur, conjungi, mandavit ei, ut pro, *Scipionis*, reponeret, *Rubriana*, et sane hodie eo loco non, *Scipionis*, sed *L. Rubrii*, legitur. BOS.

Ter contra cives] Hæc referenda sunt ad ea verba Philipp. II. *Ter depugnavit Casar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania, omnibus adfuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit; si de meo judicio quæris, nollem. Sed tamen consilium a principio reprehendendum, laudanda constantia.* BOSIUS.

Indignissimum] Philipp. II. ubi etiamnum hodie legitur, *quid indignius*.

Πεπλογραφίαν] Varro clarorum virorum nomina in unum librum congesserat; eumque inscripserat, Πεπλογραφίαν: quod Athenienses, (auctores sunt Euripides in Hecuba, Harpocration, alii) in Peplo eos, qui aliquid fortiter gessissent, expingere consueverant. Et Porphyrius ab Aristotele scriptum commentarium tradit, Pepli nomine inscriptum; quo commentario et navium, quæ ad Trojam profectæ essent, numerum, et ducum genealogias persequebatur. MAN.

Ἡρακλείδιον] Supra, XV. 4.

O Tite] Librum de Senectute: cujus initium est, *O Tite*, &c. Vide ep. 3. MANUT.

Ταξιάρχης] *Princeps gladiatorum*. Respondet Attico, nomina Anagninorum, quos secum Antonius haberet, scire cupienti. Legerat illud fortasse in Philipp. II. 41. *Cum duos Anagninos secum haberet: et rogaverat, quinam essent:* in quo, nisi me conjectura fallit, abundare crediderim in ea oratione Mustelæ, et Laconis nomina: cum Atticus ea quæsierit. IDEM.

Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος] *Quæ de officio sunt*. Libri de Officiis.

Τὰ κεφάλαια] Capita.

Περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος] De officio, cui quædam adjecta est circumstantia.

Προσφωνῶ] Nuncupo, dico.

Ἀλλοτρίῳ] Alienum.

De Myrtilo] Vide lib. XV. ep. 13.

O quales tu semper istos] Quales, id est, quam exitiosos reipublicæ tu semper existimasti istos, qui ore et vultu se bonos viros fingunt et eorum amantes, qui rempublicam tyrannide vindicare conantur, cum re ipsa acerrimi sint extincti tyranni et ejus actorum defensores. BOSIUS.

Itane in D. Brutum?] Itane in D. Brutum aliquid isti machinantur? ID.

Dii] Istis male faciant. IDEM.

Αἰδεῖσθαν μὲν δύναισθαι] *Veriti sunt quidem recusare, timuerunt autem suscipere. Iliad.* H. 93.

Erit] Octavius. Nam ut senatus Kal. Jan. tuto haberi, sententiæque de summa republica libere dici possent, de præsidio prius erat videndum: qua de re tribunos plebis verba fecisse, patet in extrema III. Phil. MANUT.

Ἀπάντησις] Obviam itio.

Stipulationes] Eos, qui stipulatione se daturos esse pecuniam spondent. Vult enim, opinor, e suis prædiis aliquod ab Attico vendi. MAN.

Gratiosorum] In suffragiis. IDEM. Quibus Valerium interpretem commendaret, et ut honore aut munere aliquo illum ornarent, peteret. POP.

Publice] Ad Catinenses, Tauromenienses, Syracusanos. MAN.

Nomina] Gratiosorum, ad quos nominatim possem scribere. CORR.

Lepidianis feriis] Quas indixit Lepidus pontifex maximus in sui pontificatus auspiciis, de quibus supra, ep. 5. GRÆV. Ego sic distinguo: *de Lepidianis feriis Balbus ad me, usque ad III. Kalend. Expectabo tuas litteras.* Hoc est: scripsit ad me Balbus de feriis, quas indixit Lepidus pont. max. atque in illius litteris intelligo, posse me abesse *usque ad III. Kalend.* Spero interim venturas mihi a te *litteras.* Ne cum vulgo distinguerem, causa hæc fuit, quod scribens ineunte mense, non videatur fuisse dicturus, tuas expectabo litteras ad diem nonum et vigesimum. Cur enim tam diu carere vellet amici litteris, quas ubique petit venire sibi creberrimas? Epistola libri hujus quinta ostendit, quam sit ad rem id quod sequor. MONGALT.

Deque.... sciturum] Bosius: *neque... stiturum* me Torquati negotio.

Eum amaret] Quint. filium. COR.

CICERO ATTICO SAL. 12

Domesticum] A me ipso. CORR.

Ἡρακλειδίῳ] Supra, XV. 4.

Negotia salsa] Facete scripsisti, meque ea pars litterarum tuarum ita delectavit, ut nihil unquam magis. MANUT.

CICERO ATTICO SAL. 13

Δολιχὸν πλοῦν ὀρμαίνοντα] *Longam navigationem meditantem.*

Lumina dimiseramus] Viatores noctu facibus aut lucernis sibi prælucebant. Plaut. Trinummo; *Face et viatico opus est.* Varro, de re rust. I. *Viatoris prætereuntis lascivi non metuit facem ardentem.* Suetonius Julio: *cum luminibus extinctis decessisset via.* POPMA.

Ἀπροσδιόνυσον] Absurdum.

Ψυρίης] Eleganter Psyriæ insulæ situm ab Homero descriptum accommodat insulæ Arpinatis positioni. Nam ut Psyria media interjacebat inter Chium insulam et montem Mimantem; si hæc Arpinas inter Apenninum, et viam Appiam. Itaque Mimantis nomine Apenninum significavit, quem Minturnis Arpinum proficiscentes dextrorsum habent, ut sinistrorsum viam Appiam. BOSIUS.

Et quidem] Sive altera hæc epistola, sive est alteri pars assuta, voces vel initio vel in contextu desunt aliquæ saltem, quæ significarent Tironem mitti Romam, et quibus istæ continuarentur. *Et quidem, ut* eum *a me dimitterem,* &c. Tironi circa hos dies scribebat: *mihi prora et puppis fuit a me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares.* Fam. XVI. 24. MONGALT.

Pares] Si pares copiis sunt Antonius, et Octavius; Romæ tibi censeo manendum. Ipsi enim inter se aliquandiu pugnabunt: intereaque periculi expertes erimus. Sin superior

alteruter est; discedendum: utercunque enim valeat, latius periculum manabit, et primo ad nos, (se ipsum, et alios intelligit, qui rempublicam fortiter defenderant) deinde ad omnes communiter, ideoque etiam ad te, quamvis reipublicæ administratione semper abstinuerit. MAN.

Venire] Vetus codex una voce auctior: *temere venire* BOSIUS. *Baluz.*

Historia] Vide lib. I. de Legib.

14 CICERO ATTICO SAL.

In Telluris] Templo. Quo in loco decretum est ut, quæ Cæsar statuisset, decrevisset, egisset, rata manerent. MAN.

Ut pedetentim] Ut in consilio capiendo ne properem. Et hoc monebat Atticus, quia Cicero jam illud iterum rogaverat, quid sibi esset agendum; manendum Arpini, an propius accedendum, an eundum Romam. IDEM.

Philippus] Monuerat Ciceronem Atticus, ut Philippum et Marcellum imitaretur, nihil propere agentes. Habebat autem L. Philippus in matrimonio Atiam, Octaviani matrem, C. Marcellus Atiæ filiam, Octaviani sororem. Oratione III. in Antonium. Ip.

Juvene] Octaviano. CORR.

An hoc] Faciendum erit. *Cum Antonius venerit*, Brundusio Romam. CORRAD.

De nepotis] Filio mortuo. IDEM.

Caninium] Gallum. *Fam.* II. 8. VII. 1.

Ὑπόμνημα] Commentarium.

Quintus] Muretus valde probabiliter suspicatur *Quintus* delendum esse, sane videtur interpretis cujusdam explicatio. Non minus enim hic *Quintus* ad intelligendum quis sit avi Attici pronepos, requiritur, quam in sequentibus verbis *Marcus* ad denotandum, quis sit patris Ciceronis nepos. GRÆV.

Ædem Opis] Hoc est, acturum in concione populi de pecunia in ædem Opis deposita. Eam Cæsar pecuniam in sumptus belli Parthici congesserat; Antonius magnam partem diripuerat. Antonii nomen deferre constituerat Q. Cicero, Q. filius, Nonis Decembribus, ut novum patriæ hostem eodem die, quo suus olim patruus M. Tullius Cicero Catilinariam conjurationem oppresserat. Mongaltus recte animadvertit, accusaturum fuisse Quintum privato duntaxat nomine, atque eos refellit, qui designatum fuisse illum aiunt, alii tribunum plebis, alii ædilem. Hujus enim rei nusquam est ulla mentio, ne in his quidem epistolis, in quibus multa referuntur minoris longe momenti. OLIVET.

Sexti] Sexti Peducæi judicium expecto de oratione mea in Antonium. POPMA.

15 CICERO ATTICO SAL.

Improbissime] Qui cum mihi pecuniam deberet, et de solutione asseveranter quotidie promitteret; diu variis excusationibus ludificans, ad extremum, ne nummo quidem persoluto, in Syriam profectus est. Ep. 13. lib. XV. MAN.

Dies] Exigendæ pecuniæ. IDEM.

Ἀναιδείαν] Verecundiam.

Possumus enim] Possumus ita rem agere. Introducemus procuratorem, qui sponsores appellet. Illi judicio non disceptabunt, sed nos ad Dolabellæ bona rejicient. Ita et ipsi liberabuntur: cum reus habeat, unde solvat: et nos tum demum honeste jus nostrum persequentes, e Dolabellæ re eam partem capiemus, quæ facta æstimatione, debitæ pecuniæ respondeat. MAN.

Ἐν πολιτικῷ In eo, quod ad reipublicæ administrationem pertinet.

Concio] In ea concione Octavianus res gestas patris Julii in memoriam

popalo redegit; Antonium accusavit: milites, qui se ducem securi essent, laudibus ornavit; sequę una cum iis ita animatum esse dixit, ut obsequi ad omnia, et inservire patriæ vellet. Hæc autem in templo Castoris, et Pollucis, cum ei Ti. Canutius tribunus plebis Antonio infensus, concionem advocasset. Dio lib. XLV. et Appianus lib. III. MAN.

Ita sibi parentis honores consequi liceat] Ut patriæ defensionem susceperit. IDEM.

Ad statuam] Per parentem juravit manu statuæ illius imposita: ex vetere Græcorum more, illa ipsa, per quæ jurabant, numina tangentium. Herodotus lib. VI. et Juvenalis sat. 14. IDEM.

Μαὶ σωθεὶν ἰπὶρ τουίτου] *Ne velim quidem servari ab isto.*

Discrimen] Id est, certo discernet et aperiet voluntatem Octaviani, an inimicus tyrannicidis, an amicus sit, si Cascam percussorem Cæsaris tribunatum pl. gerere patiatur. Hoc autem passus est, ut ex Philip. XIII. liquet. POPMA.

Ante Kal. Jan.] Quo die senatu a novis consulibus coacto, suam veteranorumque causam magnopere cupiebat Octavianus commendari. Id quod postea factum, declarat Philip. V. MAN.

Ὑπερστόλμῃ] *Imperatorculus.*

Dejectus de gradu] Elegans locutio petita a gladiatoribus, et militibus quorum status et habitus ad prœliandum compositus dicitur gradus. Vide Lips. II. Saturnal. 20. et J. F. Gronov. notas ad Senec. Agamem. v. 515. GRÆV.

Reliqua] Cum supra id quod debemus, tantum habeamus in nominibus. MAN.

Montani] Vide lib. XII. ep. 50.

Ut fide sua] Cicero filius se fidejussorem ejus summæ constituebat pro Montano. BOSIUS.

Sepositum] Tantum nummorum, ut id dissolvere possemus. CORR.

Si quisquam male intelligit] Romani sermonis elegans quædam ratio, qua significamus aliquem in eo genere, quo de agitur alios superare. MAL.

Flammam] Publicarum contentionum. MAN.

Consenti] Quamvis suadeas, ut in his locis potissimum sim. CORRAD. Balliol. *Constitue in hac cura invirum.* Videtur locus hic non esse perpurgatus, et aliquid latere vidi, quod ingeniosioribus eluendum relinquemus. GRÆV.

Qui minus] Romæ cur ego istic æque tuto esse non possim, atque est Marcellus, de quo epist. super. MANUTIUS.

CICERO ATTICO SAL. 16

Occupatione ista] De re Buthrotia. MAN. Commendatitias, quæ sequuntur, epistolas non eo habemus digestas ordine, quo scriptas. Qui collegit, has conjunxit, quoniam eandem omnes ad rem pertinent. Ipsa hæc ad Atticum extrema idcirco hic est, quia fuerat conjuncta cum epistola ad Plancum, quam Attico legendam mittebat Tullius. MONG.

M. CICERO CN. PLANCO PRÆT. DES. S.

Cn. Planco.] Alii, *L. Planco.* Atqui L. Plancus, Cn. hujus frater, erat tum in Galliis cum imperio, consul designatus cum D. Bruto. Hic Cn. Plancus (gentile nomen erat *Munatius*) a triumviris proscriptus periit, vel poscente Lucio fratre, vel non obsistente. Triumphavit de Gallis L. Plancus cum Lepido, qui ipse fratrem Æmilium Paulum proscriptioni dediderat; unde militaris jocus: *de Germanis, non de Gallis triumphant ambo consules.* MONG.

Pecuniam reliquam] Nam imperatæ pecuniæ partem jam antea solverant: reliquæ solutionem cum differ-

rent, Cæsar eorum agrum proscripserat. MANUT.

Præsentium] Qui divisionem agri Buthrotii præsentes petebant. IDEM.

Consulum decretum] Quod enim Cæsar in causa Buthrotia nobis postulantibus decreverat, id postea consules decreto probaverunt. IDEM.

CICERO PLANCO PRÆT. DES. S.

Voluntate esse] Lege: *qua quidem voluntate te esse erga Atticum.* Tò te absorpserat præcedentis vocis ultima syllaba, ut sæpe. GRÆV.

CICERO CAPITONI SUO S.

Capitoni] C. Ateius Capito, de quo lib. XIII. *ad Att.* epist. 33. et *Fam.* XIII. 29.

Plancum dederunt] Haud aliter scriptum est in antiquis libris: me tamen in hanc opinionem ratio ipsa perducit, ut legendum credam, *litteras ad Plancum dederunt.* Video enim ita scriptum supra: *consules probaverunt causam sine ulla dubitatione, seque ad te litteras daturos esse dixerunt.* MAN.

Eorum nomina, ad quos præter Atticum, in his sexdecim libris extant Ciceronis epistolæ.

Antonius	XIV. 13.	Dolabella	XIV. 17. XV. 14.
Cæsar	IX. 11. XI. 12.	Plancus	XVI. 16.
Capito	XVI. 16.	Pompeius	VIII. 11.
Cupiennius	XVI. 16.		

Eorum nomina, quorum aliquæ in his sexdecim libris epistolæ extant Ciceronianis adjunctæ.

Antonius	X. 8. 10. XIV. 13.	Cæsar	IX. 6. 7. 13. 16. X. 8.
Balbus	VIII. 15. IX. 7. 13.	Hirtius	XV. 6.
Balbus, et Oppius	IX. 7.	Matius, et Trebatius	IX. 15.
Cælius	X. 9.	Pompeius	VIII. 6. 11. 12.